INTRODUCTIO

IN HISTORIAM DOGMATUM

Ad Usum:
fr. Bec Blankap.

INTRODUCTIO

IN

HISTORIAM DOGMATUM

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PRÆLECTIONES

HABITÆ

IN COLLEGIO PONTIFICIO "ANGELICO" DE URBE

(1911-1922)

AUCTORE

P. Reginaldo-Maria SCHULTES, O. P.

S. THEOL. MAG.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA CASSETTE, 10

APPROBATIONES

Opus A. R. P. Reginaldi M. SCHULTES, O. P., *"INTRODUCTIO IN HISTORIAM DOGMATUM"* approbandum censemus dignumque existimamus quod typis mandetur et in publicam utilitatem edatur.

Datum Romæ e Collegio Angelico, die 14ª Martii 1922.

Fr. Eduardus HUGON,
Ord. Præd.,
S. Theol. Magister.

Fr. Josephus CUERVO,
Ord. Præd.,
S. Theol. Lector.

Imprimi permittimus :

Romæ, die 14ª Martii 1922.
Fr. Lud. THEISSLING, O. P.,
Mag. Gen.

Imprimatur :

Parisiis, die 6ª Maii 1922.
P. AUDOLLENT,
v. g.

PRÆFATIO

Hisce publici iuris facimus prælectiones introductorias in historiam dogmatum quas ab anno 1911 Romæ in Collegio Angelico habebamus. Secundum enim statuta nostri Collegii pro studentibus theologiæ quarti anni et simul pro studentibus cursus theologiæ superioris præter cursum ipsius historiæ dogmatum lectio specialis habetur : *Introductio generalis in historiam dogmatum.* Cum hoc munus ab anno 1911 nobis commissum esset, omne nostrum studium erat ut progressum vel evolutionem dogmatum explicaremus ac inde fundamentum, vim ac rationem historiæ dogmatum ostenderemus.

Tractatus noster est *tractatus introductorius :* generaliter quidem ad theologiam dogmaticam et moralem quæ sc. ipsa in evolutione dogmatica fundatur et fructum huius evolutionis, dogmata sc. Ecclesiæ, tenet, probat, explicat atque defendit : specialiter vero est tractatus introductorius ad historiam dogmatum. Dum enim ipsa historia dogmatum facta particularia et leges proprie historicas evolutionis dogmatum statuit, introductio nostra naturam et leges generales tum historiæ tum evolutionis dogmatum statuit et explicat; dum historia dogmatum methodo proprie historica procedit, introductio nostra methodo dogmatica utitur, habito tamen respectu ad facta historiæ.

3372A

Fructus inde intentus est intellectus naturæ, conditionis et legum tum historiæ tum evolutionis dogmatum, simul tamen factorum historiæ dogmatum. Quo sensu (cum omni modestia) verbum sapientis usurpavimus quo simul finis evolutionis dogmatum et operis nostri exprimeretur : « *Non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem* » (*Eccli.* 24, 47).

DIVISIO OPERIS

INTRODUCTIO 1

Caput primum : de notione dogmatis

Art. 1 : de usu historico vocis dogmatis 5
Art. 2 : de notione catholica dogmatis 7
Art. 3 : de conceptibus erroneis dogmatis et historiae dogmatum 27

Caput secundum : de evolutione dogmatum

SECTIO I.

Art. 4 : conspectus historicus doctrinae scholasticorum de explicatione revelatorum 46

SECTIO II.

Art. 5 : doctrina catholica de essentia progressus dogmatici 153

SECTIO III. Explicatio theologica essentiae evolutionis dogmatum.

Art. 6 : de distinctione revelationis immediatæ et mediatæ, explicitæ et implicitæ 166
Art. 7 : quomodo explicite, implicite et virtualiter revelata a nobis cognoscantur 179
Art. 8 : de definitione dogmatica 188
Art. 9 : de definibilitate conclusionum theologicarum 192
Art. 10 : de effectu vel termino progressus dogmatici .. 210

SECTIO IV. De proprietatibus progressus dogmatici.

Art. 11 : de formulis dogmaticis 219
Art. 12 : de explicatione revelatorum in ordine ad traditionem 231
Art. 13 : de explicatione revelatorum in ordine ad S. Scripturam 253

Art. 14 : de diversis statibus (de obscuratione), in progressu dogmatico 259
Art. 15 : de causis et legibus processus dogmatici 272
Art. 16 : de analogiis progressus dogmatici 287

Caput tertium : de historia dogmatum

Art. 17 : de objecto 297
Art. 18 : de methodo 309
Art. 19 : de definitione, distinctione et necessitate historiæ dogmatum 332

Conclusio operis 343

Index alphabeticus rerum et nominum 345

INTRODUCTIO

Inter quæstiones fidei nostris temporibus maxime agitatas certe nec ultima nec minima est quæstio de evolutione et de historia dogmatum[1]. Etenim adversarii fidei, imprimis Protestantes et Modernistæ, ex historia et evolutione dogmatum quam maxime argumenta contra veritatem fidei catholicæ fingere conantur ; ex altera parte apud ipsos historicos et theologos doctrina clara et distincta, completa et necessitatibus modernis sufficiens adhuc desideratur. Agitur enim de *disciplina nova*, minus expresse a SS. Patribus et theologis scholasticis tractata. Quamdiu enim unitas fidei vigeret et facta historica evolutionis dogmatum minus nota essent, distincta doctrina minus opus erat ; nunc vero insurgentibus adversariis fidei et factis historicis in lucem plenam positis, doctrina magis distincta et integra requiritur.

Quæstio de evolutione dogmatum est *bipartita*, historica et theologica : *historica* quærit de factis historicis, *theologica* de natura et legibus progressus dogmaticis. Quæstio prior ad historiam dogmatum pertinet, altera vero ad theologiam dogmaticam. Fatentibus enim vel adversariis fidei de re proprie, immediate et formaliter dogmatica agitur. Unde et Concilium Vaticanum quædam summa principia de profectu dogmatico definivit et Pius X in Iuramento contra errores Modernistarum plura de progressu dogmatico et de historia dogmatum determinavit et theologi communiter in tractatu de fide, de Ecclesia, de revelatione evolutionem dogmatum explicare conantur.

1. Indiscriminatim nominibus evolutionis, progressus, profectus et explicationis dogmatum utimur, quorum tamen nominum singulorum vis et ratio, veritas et utilitas determinabitur ; cf. a. 5, prop. V et a. 16.

Quæstio de evolutione et de historia dogmatum *tractatum specialem* omnino meretur ac postulat. Agitur enim de dogmate speciali et distincto quod quam maxime explicatione et defensione indiget : tum ob intrinsecas difficultates quas exhibet, tum ob errores multiplices qui exorti sunt, tum ob impugnationem ex parte adversariorum nec non ob diversa problemata quæ historia dogmatum deliberanda proponit. Sicut igitur quæstiones de revelatione, de Ecclesia, de inspiratione specialibus tractatibus absolvuntur, ita doctrina de evolutione et historia dogmatum tali tractatione digna esse videtur, ut totus complexus quæstionum modo systematico et sub ratione propria consideretur et exponatur.

Theologi scholastici ante et post concilium Tridentinum principia quidem theologica de progressu dogmatico sufficienter determinaverunt (ut ostendemus), at eorum doctrina parum nota est, magna ex parte explicatione indiget ac præsertim applicatione ad facta historica, nunc magis nota, et ad quæstiones recentiores ; ex theologis modernis plures doctrinam de evolutione dogmatum exhibent, at communiter unam vel alteram tantum partem problematis considerant (ut e. g. quæstionem de definibilitate conclusionum theologicarum), modo magis apologetico quam systematico procedunt vel etiam doctrinam nimis sobriam proponunt ; apud historicos denique doctrina proprie dicta vel penitus desideratur.

Inde nostra intentio est totum complexum quæstionum modo systematico determinare, præsertim eas quæstiones quas historia dogmatum proponit, explicare principia fidei de progressu dogmatico eaque applicare ad quæstiones recentiores, explicare et applicare doctrinam probatam scholasticorum. Non enim opus est doctrinis novis, sed potius cognitione perfectiori et applicatione scientifica doctrinæ traditæ, præsertim Concilii Vaticani et theologorum scholasticorum.

Divisio operis ex natura ipsius quæstionis sequitur. Cum enim historia dogmatum evolutionem dogmatum pro obiecto habeat, evolutio vero dogmatica naturam dogmatis sequatur, agemus :

In capite *primo de notione et natura dogmatis*,
In capite *secundo de evolutione dogmatum*,
In capite *tertio de historia dogmatum.*

In capite primo tractabimus :

1° de *usu historico* vocis dogmatis,
2° de *notione catholica* dogmatis, et
3° de *conceptibus erroneis* dogmatis (et historiæ dogmatum) apud Protestantes, Modernistas et Guentherum.

CAPUT PRIMUM

De Notione Dogmatis

ARTICULUS PRIMUS

DE USU HISTORICO VOCIS DOGMATIS

Vox dogmatis[1] ex lingua græca desumpta est (δοκέω). Primitus placitum, decretum, statutum significat. Ita in Septuaginta « dogma » decretum regium significat (*Esth*,, 3, 9; *Dan.*, 2, 13; 6, 8); Lc 2, 1 edictum Cæsaris, *Act.*, 17, 7 decretum Cæsaris, *Act.*, 16, 4 decreta Apostolorum et seniorum vel Concilii Hierosolymitani. Apud philosophos græcos « dogma » principia vel doctrinas fundamentales significat, sicut apud latinos vox decreti. Ita Cicero : « Sapientia neque de se ipsa dubitare debet neque de suis decretis quæ philosophi vocant dogmata... cum decretum proditur, lex veri rectique proditur[2]. »

In qua duplici significatione doctrinæ et decreti, vox dogmatis a græcis usurpata est ad *præcepta doctrinæ christianæ* designanda. Ita in Didaché (11, 3) : « Secundum decretum (δόγμα) Evangelii sic facite »; Ep. Barnabæ (1, 6) : « Tria igitur sunt dogmata Domini : vitæ spes et initium et finis fidei nostræ, et iustitia iudicii, initium et finis, caritas in hilaritate et lætitia, operum iustitiæ testimonium » (cf. 10, 1. 9. 10; 9, 7); S. Ignatius Ant. (ep. ad Magn., 13, 1) : « Studete confirmari in doctrinis (ἐν δογμασιν) Domini et Apostolorum. » Subsequenti

1. Cf. E. Dublanchy, in *Dictionnaire de théol. cathol.*, v. Dogme, n. 1, et communiter in capite librorum historiae dogmatum; Pinard, in *Dict. Apol.*, v. Dogme, 1.

2. Quaest. acad. II, 9.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tempore dogma magis significationem doctrinæ induit et sic ad significandam *doctrinam fidei* adhibetur, licet quandoque etiam pro sententia humana[1] et pro doctrina hæretica usurpetur[2].

Ita Origenes : secundum dogma nostrum, i. e. secundum Ecclesiæ fidem[3]. S. Cyrillus Hierosolymitanus inter pia dogmata et actiones bonas distinguit : « Ratio divini cultus in his duobus constat, piis dogmatibus et actionibus bonis ; neque doctrina sine operibus bonis accepta Deo neque opera respicit Deus a religiosis dogmatibus seiuncta[4]. » Apud Latinos vox dogmatis præsertim per S. Augustinum et *Massilienses* introducta fuisse videtur : Vincentius Lerinensis in Commonitorio doctrinam fidei vocat, « christianæ religionis dogma » (23, 9), « cœleste dogma » (21) ; « secretum est, ne cum summo æternæ salutis periculo... universalis dogmatis antiqua veritate demissa unius hominis (Augustini ?) novicium sectemur errorem » (28, 8) ; « Christi Ecclesia sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos » (23, 16 ; cf. 23, 4 ; 24, 4 et passim). A Gennadio habetur : « liber ecclesiasticorum dogmatum. »

Scholastici voce dogmatis[5] minus usi sunt ; termini

1. *Ep. ad Diogn.* 5, 3 : dogma humanum ; cf. Mart. S. Justini (Rauschen, Florileg. III, 98) : « Cum dogmate recto (doctrinam christianam) sequor ».

2. S. Epiph., Hær., 76, 1. 2 : Dogma Apollinaris.

3. *Contra Celsum*, II, 4 ; de princ., I, 7, 1.

4. *Catech.* 4, 2, Migne, P. G., 33, 455. Quidam, ut e. g. Tixeront, *Histoire des dogmes*, I, p. 2, putant, apud Patres graecos sæc. IV. dogma tantum veritates *theoreticas* significare. Citatur Gregorius Nyss., ep. 24. Attamen Nyssenus sicut et Cyrillus Hieros. id tantum docent, quod vita moralis (ἠθικὸν μέρος) et vera fides perfectum christianum efficiant : « διαιρεῖ (ὁ χριστὸς εἰς δύο τὴν τῶν χριστιανῶν πολιτίαν, εἴς τε τὸ ἠθικὸν μέρος καὶ εἰς τὴν τῶν δογμάτων ἀκριβείαν (Migne, P. G.., 46, 1089).

5. S. Thomas raro voce dogmatis utitur et communiter occasione alicuius citationis. Ita II. II, q. 11, a. 1 : « Hæresis est infidelitatis species, pertinens ad eos qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt ». In II. II, q. 11, a. 2 « pestifera et mortifera dogmata » hæreticorum (S. Aug., *De civit. Dei*, l. 18, c. 51) « dogmatibus fidei » opponit. Notus est locus in sequentia « Lauda Sion » : « Dogma datur christianis, quod in carnem transit

æquivalentes sunt : doctrina fidei, veritas fidei, regula fidei, doctrina Christi vel Ecclesiæ, articuli fidei, etc. Communis usus termini « dogmatis » ad significandam doctrinam revelatam et credendam[1] tantum post tempus reformationis invaluit, præsertim occasione quæstionis Iansenianæ, et a Concilio Vaticano sancitus est[2].

Quæritur igitur, quænam sit notio et natura propria dogmatis.

ARTICULUS SECUNDUS

DE NOTIONE CATHOLICA DOGMATIS

I. **Notio dogmatis ab Ecclesia catholica petenda est.** — Auctores protestantici non parum in determinanda notione et natura dogmatis, torquentur. Cum enim Protestantismus nullum veri nominis dogma noverit, singuli diversas definitiones dogmatis statuunt et secundum illas diversimode materiam historiæ dogmatum determinant[3], ita ut vel conceptus historiæ dogmatum maxime varietur, et conceptus communis historiæ dogmatum[4] nondum habeatur. Quæ tamen difficultas facile per recursum ad notionem catholicam dogmatis solvitur, immo historiæ dogmatum necessario a notione catholica dogmatis incipiendum est.

panis. » Alii loci : II. II, q. 86, a. 2 (dogma divinum), *I Thess.*, c. 5, lect. 2 (dogma ecclesiasticum). Tamen S. Thomas nomine dogmatis et pro doctrina philosophica utitur (cf. SCHUTZ, *Thomas-lexicon*, v. dogma) vel pro quacumque sententia : *In Ioh.*, c. 4, l. 7, n. 1 : « qui infirmatur pravis voluptatibus et dogmatibus » ; cf. II. II, q. 11, a. 2 ; II. II, q. 39, a. 2, sed contra).

1. In lingua latina moderna dogma communiter veritatem fidei particularem significat, in lingua vero vulgari, præsertim gallica, simul complexum veritatum fidei (le dogme, professeur du dogme) ; similiter dogma magis doctrinas fidei theoreticas indicat, unde theologia in dogmaticam et moralem dividitur.

2. Concilium Lat. IV damnat « perversissimum dogma impii Almarici » (DENZINGER, *Enchiridion*, 11, n. 433.

3. Cf. LOOFS, in *Realencyclopædie*, ed. 3, III, 734 ss.

4. HARNACK, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, ed. 3, I, 14.

Etenim *in sola Ecclesia catholica dogma proprii nominis et conceptus dogmatis universaliter receptus habetur.* Unde auctores catholici iure merito a conceptu catholico dogmatis procedunt eoque determinant, quænam sit materia historiæ dogmatum. Similiter tamen et auctores protestantici (vel alii) non possunt non admittere, dogmata non esse nisi in Ecclesia catholica (vel dogmata ab ea accepta, sicut in ecclesiis schismaticis), et dogmata de facto et historice secundum normam conceptus catholici accipi et teneri. Immo quicumque de dogmate loquitur, si proprie loquitur, conceptum catholicum in mente habet, licet eum forsitan in confuso tantum vel etiam falso intelligat. Certe auctores acatholici veritatem obiectivam conceptus catholici non admittunt quod sc. doctrinæ catholicæ revera sunt id quod esse affirmantur et creduntur ; tamen negari non potest, dogmata ita concipi vel eo sensu in Ecclesia admitti. Unde vel auctoribus protestanticis necessario ad conceptum catholicum dogmatis recurrendum est, saltem *ad materiam* historiæ dogmatum *determinandam*[1]. Ex eadem ratione nihil obstat, quin conceptum dogmatis accipiamus prout hodie in Ecclesia extat, i. e. in illa forma expressa quæ post longam evolutionem nunc habetur, quia de facto talis conceptus in Ecclesia viget.

II. **Definitio dogmatica dogmatis.** — Notio et natura dogmatis in Ecclesia catholica non solum per theologos determinata est sed extat definitio dogmatica ; et quidem duplex, quarum una tamen est explicatio alterius. *Concilium Vatic.*, sess. 3, c. 2. sic definivit : « *Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur*[2]. » In qua definitione vox dogmatis quidem deest, nulli tamen dubium est, ea omnia

1. Ita e. g. Harnack de facto proprie et ex intentione historiam dogmatum catholicorum tradit ; similiter alii plus minusve.

2. D., 1792. Sub litera D. citamus « *Enchiridion Symbolorum*, definitionum et declarationum », auctore H. Denzinger, ed. 13.. (Cl. Bannwart) ; numerus significat numerum marginalem.

et sola quæ fide divina et catholica sunt credenda, dogmata esse vocanda. De cætero ipsum Concilium Vaticanum in progressu eiusdem constitutionis loquitur de « fidei dogmatibus[1] » et definitionem infallibilitatis Romani Pontificis « divinitus revelatum dogma » vocat[2]. Altera definitio habetur in definitione infallibilitatis Romani Pontificis[3] : « *Docemus et divinitus revelatum dogma definimus : Romanum Pontificem cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, infallibilitate pollere...* »

Dogma igitur *definitur : Doctrina revelata de fide vel moribus quæ in verbo Dei sive scripto sive tradito continetur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata definitur (ut ab omnibus credenda proponitur).*

Vel *brevius : Dogma est doctrina revelata, ab Ecclesia ut ab omnibus credenda definita et proposita.*

III. **Explicatio definitionis**[4]. — In hac definitione quatuor conditiones dogmatis assignantur. Ad dogma requiritur quod sit : *a*) doctrina ; *b*) doctrina revelata sive S. Scripturæ sive traditionis divinæ ; *c*) doctrina de

1. Sess. 3, c. 4, D. 1797 ; cf. 1800, 1818.
2. Sess. 4, c. 4, D. 1839.
3. L. c.
4. Priores scholastici de dogmate tractant in commentariis ad Sent. III, d. 24 et 25 ; S. Thomas, in II. II, q. 1 ; eodem loco eius commentatores ; posteriores theologi principaliter in tractatu de fide (Salmanticenses, *De fide*, disp. 3 ; Suarez, *De fide*, disp. 3 ; Lugo, *De fide*, disp. 3 ; Billuart, *De fide*, disp. 3) : ita et auctores recentiores qui de virtutibus theologicis vel infusis scripserunt, ut Mazzella, Schiffini, Billot. Theologi recentiores doctrinam de dogmate exponunt : vel in prolegomenis ad theologiam dogmaticam vel in tractatu de magisterio Ecclesiae ; similiter apologetæ in tractatu sive de Ecclesia (cf. e. g. Groot, *De Ecclesia*[3], q. 10, a. 6) sive de revelatione (Garrigou-La grange, *De revelatione*, I, 169-190). Videsis et lexica : *Dictionnaire de théol. catholique*, v. dogme, col. 1075-79 ; *Dictionnaire apologétique*, v. dogme, II, VIII, *Kirchenlexicon*, v. Dogma *K. Handbuch* (Buchberger), v. Dogma. De reliquo consulenda est literatura ad cap. III citanda.

rebus fidei vel morum ; *d*) doctrina ab Ecclesia tanquam revelata definita et omnibus ad credendum proposita.

a) *Dogma dicit doctrinam.* Doctrina significat cognitionem vel veritatem ad docendum vel instruendum propositam[1]. Ex quo consequitur dogmata iudicium intellectus continere et per modum propositionis enuntiari. Veritas enim est obiectum intellectus[2] et intellectus humanus veritatem cognoscit componendo et dividendo, i. e. affirmando vel negando prædicatum de subiecto[3], cuius iudicii expressio in propositione habetur[4]. Unde dogmata ut talia obiectum intellectus vel cognitionis intellectivæ dicunt, et habent valorem obiectivum[5], in quantum sc. veritas cognitionis in conformitate intellectus ad res intellectas consistit[6].

Distinguendum est igitur inter res, de quibus sunt dogmata, et dogmata ipsa. Res, de quibus sunt dogmata, sunt diversissimæ, sive creata sive increata, sive corporalia sive spiritualia, sive simplicia sive composita ; dogmata vero ipsa sunt veritates vel iudicia, per modum propositionis enuntiata[7].

1. Doctrina derivatur a docere. Doctrina active sumpta est actio eius qui aliquid cognoscere facit, passive sumpta est doctrina quae est ex parte addiscentis, intransitive vel obiective accepta est veritas ipsa, quae est obiectum docendi vel addiscendi.

2. S. Thomas, I, q. 16, a. 1 ; *De Veritate*, q. 1, a. 1, 2.

3. S. Thomas, I, q. 16, a. 2, q. 85, a. 5 ; *De Veritate*, q. 1, a. 3;

4. « Propositio habet veritatem inquantum significat veritatem intellectus » S. Thomas, I, q. 16, a. 8, ad. 3.

5. Cf. Pègues, Qu'est-ce qu'un dogme ? *Revue Thomiste*, 1905, p. 438-454 ; E. Dublanchy, in *Dictionnaire de la foi cath.*, v. dogme. col. 1579-1596 ; Pinard, in *Dict. apol.*, v. dogme, VI : valeur de vérité.

6. S. Thomas, I, q. 16, a. 8 ; *De Veritate*, q. 1, a. 1.

7. S. Thomas, II, II, q. 1, a. 2 : « Cognita sunt in cognoscente secundum modum cognoscentis. Est autem modus proprius humani intellectus ut componendo et dividendo veritatem cognoscat ; et ideo ea quæ secundum se sunt simplicia, intellectus humanus cognoscit secundum quandam complexionem... Sic ergo obiectum fidei dupliciter considerari potest : uno modo ex parte ipsius *rei* creditæ, et sic obiectum fidei est aliquid incomplexum, sc. res ipsa de qua fides habetur ; alio modo ex parte *credentis*, et secundum hoc obiectum fidei est aliquid complexum, per modum enuntiabilis » (i. e. iudicii et propositionis).

Nihil tamen obstat quin dogmata dicant veritates sive theoreticas sive practicas, ut præcepta, leges, consilia, et similiter quin dogmata huiusmodi veritates exprimant sive in forma doctrinali sive in forma practica quæ sc. doctrinæ expressæ æquivaleat, ut quando e. g. Ecclesia ordinat sacramenta tali determinato modo valide administrari. Nam sicut in doctrina ita etiam in præceptis vel consiliis aliquid affirmatur vel negatur, sc. quid sit faciendum vel omittendum vel quid sit bonum aut malum ; et similiter per praxim (debitis conditionibus) statuitur quid sit faciendum vel verum secundum fidem. Ex prima igitur conditione dogmatis id tantum ponitur, quod iudicium vel assertio enuntietur, quocumque modo particulari id fiat. Unde quasi a limine errant Modernistæ, dogmata fundamentaliter tanquam obiectum sensus cuiusdam religiosi cæci, non vero tanquam obiectum intellectus et veritatem proprie dictam concipientes.

b) *Dogma dicit doctrinam revelatam.* Altera conditio dogmatis est quod sit veritas revelata quæ in verbo Dei scripto vel tradito contineatur. In hoc enim distinguuntur «dogmata» philosophorum a dogmatibus Ecclesiæ, quod illa sententiam ingenii humani, hæc vero veritatem revelatam proponunt. « Revelatio », uti patet, in sensu christiano accipienda est, sc. tanquam *revelatio supernaturalis*[1], non vero tanquam revelatio naturalis Dei quæ sc. fit mediante creatione rerum vel mediante virtute intellectiva hominum vel angelorum. Et ita iterum Modernistæ graviter errant revelationem intelligentes tanquam manifestationem subconscientiæ[2], licet addant Deum seipsum manifestare. Unde Iusiurandum contra errores Modernistarum fidem quæ est fides dogmatum, definit tanquam « verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptæ ex auditu, quo nempe quæ a Deo personali, creatore ac Domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus ».

Indifferens tamen est ad rationem dogmatis, utrum veritas revelata sit cognoscibilis per rationem naturalem an

1. Cf. Encycl. *Pascendi,* D. 2074 s.

2. De notione revelationis, cf. P. Garrigou-Lagrange, *De revelatione,* I, 137-163 ; A. Gardeil, *Le donné révélé,* p. 41-76.

per solam revelationem. Revelatio enim continet veritates tum naturales tum supernaturales, vel mysteria, quæ sc. nec ante nec post revelationem factam per vires naturales intellectus creati demonstrari possunt[1]. Quia tamen revelatio principaliter et per se est mysteriorum et cætera revelata ad illa ordinantur, immo quia etiam illæ veritates vel doctrinæ quæ per rationem sunt cognoscibiles, non revelantur nisi in connexione cum aliqua veritate supernaturali, dogmata principaliter dicunt mysteria[2].

Non tamen quæcumque revelatio, etiam Dei, sufficit ad constituendum dogma, sed requiritur quod revelatio sit *publica*, eo sc. sensu quod revelatio sit Ecclesiæ tradita ut societati publicæ. Nunquam enim dogmata considerata fuerunt ut res quædam privata, sed semper ut res publica, res societatis, Ecclesiæ, quia dogmata fidem Ecclesiæ et fundamentum vitæ ecclesiasticæ ac religiosæ constituunt. Unde dogma dicit doctrinam revelatam quæ *Ecclesiæ* sit *tradita*, commissa, ut sit quodammodo eius proprietas. Revelatio igitur quæ ad rationem dogmatis requiritur, oportet esse publica, destinata et facta *pro universitate fidelium*[3]. Excluduntur igitur a ratione dogmatis revelationes *privatæ*, sicut et de facto Ecclesia nunquam aliquam revelationem privatam definivit, sed tantummodo de illius conformitate cum revelatione publica, sibi commissa, iudicavit.

Doctrina denique revelata Ecclesiæ consignata est : aut per modum *S. Scripturæ* divinitus inspiratæ aut per modum *traditionis oralis ;* unde Concilium Vaticanum dicit : « (doctrina revelata) quæ in Verbo Dei scripto vel tradito continetur. » Excluditur igitur conceptus moder-

1. Conc. Vatic., sess. 3, c. 4.

2. Uti ex ipso termino revelationis patet, dogmata vere et proprie *revelata* esse oportet. Non ergo sufficit, quod aliqua doctrina tantum improprie vel in sensu analogo revelata sit, uti infra de revelatione virtuali (conclusiones theologicæ proprie dictæ, facta dogmatica, canonisatio sanctorum), etc., ex professo dicemus.

3. Cf. Melchior Cano, *De locis theol.*, l. 12, c. 3, concl. 3 ; Salmant., *De fide*, disp. 1, n. 115 ; Benedictus XIV, *De servorum Dei beatificatione*, l. 2, c. 32, n. 11 ; Bainvel, *De magisterio vivo et traditione*, Paris, 1905, p. 129.

nisticus, quasi ad dogmata constituenda illæ tantum doctrinæ sint aptæ, quæ in conscientia publica vivunt, præsertim si conscientiam publicam in sensu modernistico intelligas[1].

Unde revelatio definitur : « Actio divina libera et essentialiter supernaturalis, qua Deus nobis loquens per prophetas et novissime per Christum (eiusque Apostolos) sub quadam obscuritate manifestavit mysteria supernaturalia naturalesque religionis veritates (depositas sive in S. Scriptura inspirata sive in traditione Ecclesiæ), ita ut deinceps infallibiliter proponi possent ab Ecclesia sine ulla significationis (i. e. veritatis) mutatione, usque ad finem mundi[2]. »

c) *Dogma dicit doctrinam revelatam de fide et moribus.* Licet omnia dogmata doctrinam revelatam dicant, tamen non omnia revelata apta sunt, ut dogmata fiant, sed tantum ea quæ per se vel ratione sui ad Deum vel ad salutem nos ordinant.

Veteres scholastici inter credibilia per se et credibilia in ordine ad alia distinguebant. Ita *S. Thomas*, *Summa theol.*, II. II, q. 1, a. 6 ad 1 distinguit : « Aliqua sunt *credibilia* de quibus est *fides secundum se ;* aliqua vero sunt credibilia de quibus non est fides secundum se sed solum *in ordine ad alia*... Per se ad fidem pertinent illa quæ directe nos ordinant ad vitam æternam, sicut tres personæ omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis Christi et alia huiusmodi : et secundum ista distinguuntur articuli fidei ; quædam vero proponuntur in Sacra Scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad prædictorum manifestationem, sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Elisæi suscitatus est mortuus, et alia huiusmodi quæ narrantur in S. Scriptura in ordine ad manifestationem divinæ maiestatis vel Incarnationis Christi : et secundum talia non oportet articulos distinguere. » Itaque solummodo per se revelata vel per se credibilia, sc. illa quæ per se vel ratione sui ad Deum nos ordinant,

1. Cf. D. 2091, 2905.

2. Garrigou-Lagrange, *De Revelatione,* I, p. 139. Particulæ in parenthesi a nobis appositæ sunt.

articulos fidei et pari ratione dogmata vel « depositum fidei » constituunt.

Recentiores eandem doctrinam alio modo exprimunt, per se credibilia vocando doctrinam « *de rebus fidei et morum* ». Ita Concilium Trid.[1] et expressius Conc. Vaticanum[2] decernens, « ut *in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium* is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus sit quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia ».

« Res fidei et morum » nil aliud sunt quam per se revelata vel credibilia per se ; « ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinent », quia proprie eam constituunt et eam ab aliis doctrinis, e. g. Paganorum, distinguunt. Distinguuntur res fidei et morum in eo quod « res fidei » sunt credenda, non vero facienda, ut e. g. Trinitas personarum divinarum ; « res morum » vero sunt et credenda et facienda. ut e. g. præcepta revelata ; doctrina de rebus fidei est speculativa vel theoretica, doctrina vero de rebus morum est doctrina practica, ut « Hoc facite in meam commemorationem ».

Protestantes veterem doctrinam in hoc sensu perverterunt quod dogmata vel credibilia ad « *doctrinas salutis* » restringunt, sub quibus eas tantum enuntiationes intelligunt quæ *salutem nostram immediate exprimunt* vel de salute acquisita nos *certificant*, ut e. g. quod Christus nos salvos fecit. Unde dicunt, doctrinas de Deo creatore vel de factis vitæ Salvatoris, ut quod sit crucifixus, non pertinere ad dogmata vel ad fidem quæ salvat, sed ad philosophiam vel historiam (fidem historicam)[3]. Quæ doctrina, ut patet, non est nisi corruptio quædam et falsa interpretatio doctrinæ veterum scholasticorum (sicut communiter in doctrinis protestantium accidit) et exclusive in doctrina protestantica de natura fidei et iustificationis fundatur. Si enim fides est actus fiduciæ, in illa solum ferri potest quæ sunt motiva fiduciæ salutis acquirendæ vel acquisitæ ; similiter, si iustificatio eo haberetur quod aliquis certo

1. Sess. 4, D. 786.
2. Sess. 3, c. 2, D. 1788.
3. Cf. HARNACK, *Dogmengeschichte*, 1[4], 528 ss.

credit se esse iustificatum, ad hoc denique obiectum fidei restringitur[1]. Inde Harnack totam doctrinam fidei reducit ad principium de patre benigno in cælo qui sc. bene nobis vult[2].

Secundum vero doctrinam scholasticorum, Conc. Tridentini et Vaticani, imo secundum Symbolum Apostolicum ad res fidei et morum illa pertinent quæ habent *ordinem* ad salutem. Ita doctrina de Deo creatore connexionem habet cum nostra salute vel beatitudine, cum ex ea sequatur dependentia hominis a Deo, necessitas cultus et obœdientiæ erga Deum, imo quod ipse Deus sit obiectum beatitudinis et finis noster; Trinitas personarum determinat obiectum spei; Deus incarnatus est via ad salutem; res gestæ in vita Redemptoris non sunt facta pure historica, sed unaquæque earum speciali modo ad nostram salutem concurrit, ut ostendunt theologi; res creatæ ad res fidei et morum pertinere possunt « prout per aliquos divinitatis effectus homo adiuvatur ad tendendum in divinam beatitudinem[3] ». Eodem sensu secundum conceptum catholicum dogmata dicuntur doctrinæ salutis vel veritates religiosæ[4].

d) Dogma dicit doctrinam (revelatam) quæ ab Ecclesia tanquam revelata est definita et ad credendum proposita. Ultima conditio dogmatis est quod sit doctrina ab Ecclesia definita et ad credendum proposita. In prioribus conditionibus pars materialis dogmatis (genus), in hac ultima pars formalis dogmatis, ut dogmatis, (species vel differentia specifica) habetur.

Propositio dicit *iudicium* Ecclesiæ quo aliqua doctrina tanquam divinitus revelata declaratur, et *præceptum* quo omnes fideles in conscientia et sub periculo æternæ salutis

1. Cf. Concil. Trid., sess. 6, c. 9, D. 802.
2. *Wesen des Christentums*, lectio 7, n. v.
3. S. Thomas, II. II, q. 1, a. 1.
4. Simili ratione dogmata quæcumque possunt dici *veritates practicæ* inquantum sc. habent *ordinem ad actionem*. Optime Pinard in *Diction. apol.*, v. dogme, n. vii, col. 1160 : « Le christianisme n'est une école de science que pour être une école de vertu. » Similiter S. Thomas, I, q. 1, a. 1 : « Ut *salus* hominibus et convenientius et certius proveniat, necessarium fuit quod de divinis per divinam revelationem instruerentur. » Cf. II. II, q. 2, a. 3.

obligantur ut illam veritatem tanquam divinitus revelatam corde credant et ore confiteantur. Id quod certe non eo sensu intelligendum est ac si Ecclesia aliquam doctrinam tanquam revelatam proponat quæ revera revelata non sit ; neque eo sensu quod Ecclesia novas revelationes accipiat, ut expresse Concilium Vaticanum, sess. 4, c. 4, declaravit his verbis : « Neque enim Spiritus Sanctus Petri successoribus promissus est ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent[1]. » *Definitio* generaliter idem dicit ac propositio ; tantum expressius indicat, iudicium Ecclesiæ esse ultimum et definitivum, irreformabile vel irretractabile. Ita Pius IX « definivit » Immaculatam Conceptionem B. Mariæ V. et Concilium Vaticanum infallibilitatem Romani Pontificis.

Huiusmodi propositio fit vel per iudicium solemne vel per magisterium Ecclesiæ universale et ordinarium. Per *magisterium ordinarium et universale* dicuntur propositæ illæ doctrinæ quæ in tota Ecclesia tanquam divinitus revelatæ : *creduntur*, *prædicantur*, in instructione religiosa (in catechismis) *docentur*, ab episcopis in orbe dispersis *publicantur*, a ss. Patribus vel catholicis theologis consensu unanimi *testificantur*[2].

Propositio vero *solemnis* habetur quando Romanus Pontifex vel Concilium generale *speciali et expressa sententia* ex summa sua auctoritate doctrinam aliquam tanquam revelatam atque credendam declarat et definit. Talis definitio non ex eo solemnis dicitur quod quædam solemnitas exterior adhibeatur, sed quia ipsum iudicium speciale et ipsa sententia expressa in re tam gravi ex sua natura sollemnitatem induit. Uti patet, dogmata solemniter definita et dogmata per Ecclesiæ magisterium ordinarium proposita aeque sunt dogmata. Fundamentales enim et principales veritates fidei primo per magisterium ordinarium propositæ fuerunt, postea per magisterium

1. D. 1836.

2. Cf. M. Canus, *De locis theologicis*, l. 12, c. 13, ad 1 ; Lugo, *De fide*, disp. 1, s. 13, § 1, n. 27 ; Scheeben, Dogm. I, 189 s.

solemne exactius determinandæ et definiendæ. Ita in symbolo Apostolico divinitas Jesu Christi per magisterium ordinarium proposita fuit, postea per Concilium Nicænum tanquam consubstantialitas definienda. At vero etiam subsequentibus temporibus plures veritates fidei per magisterium ordinarium tanquam dogmata sunt propositæ ut videri potest apud dogmaticos.

Propositio per modum iudicii sollemnis pertinet ad *Concilium generale* vel œcumenicum et *ad Romanum Pontificem*. Definitio sollemnis Romani Pontificis termino technico et speciali « *definitio ex cathedra* » dicitur. Circa quam Concilium Vaticanum duo determinavit[1] : α) de *conditionibus requisitis* ad hoc quod propositio alicuius doctrinæ sit definitio ex cathedra (quæ proinde dogma constituat) ; β) de *infallibilitate* definitionis ex cathedra.

α) *Definitio ex cathedra* habetur, « cum (Romanus Pontifex) omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit ». Dogma igitur non habetur quando aliquis Romanus Pontifex doctrinam aliquam proponit tanquam doctor privatus (ut in aliquo opere scientifico), vel quando eam quidem ut Romanus Pontifex proponit, non vero ex auctoritate, utpote eam solummodo insinuans vel persuadens (ut Leo XIII in plurimis Encyclicis), vel quando doctrinam non ut de fide tenendam proponit (ut in pluribus damnationibus quibus doctrina contraria quidem reiicitur, non tamen ut hæretica) vel quando denique iudicium non ut absolutum et definitivum proponitur, ut e. g. doctrina de assumptione corporali B. V. M. E contra dogma constituitur cum Romanus Pontifex aliquam doctrinam de fide vel moribus[2] « omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens », i. e. *ut* Romanus

1. Sess. 4, c. 4, D. 1839.

2. Supponitur igitur, quod doctrina definita sit doctrina revelata de fide vel moribus. Immerito proinde Harnack opinatur, esse in potestate Romani Pontificis ut quamlibet doctrinam ut dogma definiat, vel Romanum Pontificem esse dominum dogmatum, tanquam rei domesticæ. *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, III[3], 680-685.

Pontifex, « pro suprema sua Apostolica auctoritate », i. e. ea utens, « ab universa Ecclesia tenendam », i. e. credendam, « definit », i. e. iudicio definitivo ac ultimo proponit.

Sicut propositio facta per Romanum Pontificem debet esse ex auctoritate et obligare ad fidem ut dogma constituatur, ita similiter decreta Conciliorum generalium. Principaliter igitur attendendum est utrum aliqua sententia ut revelata et ut fide tenenda (non vero ut doctrina tantum) proponatur[1]. Similiter denique nulla doctrina per magisterium ordinarium Ecclesiæ tanquam dogma proposita censetur, nisi ut revelata et credenda credatur, prædicetur, testificetur.

Signum definitivæ sententiæ habetur : in *pœnis*, quæ aliter sentientibus infliguntur, ut anathema, vel in aliqua *formula expressa*, ut : « definimus », « definimus tanquam dogma », « definimus tanquam doctrinam revelatam », vel in *obligatione profitendi* aliquam doctrinam, ut in antiquis symbolis, in professione fidei Concilii Tridentini vel quoad aliquas propositiones Iuramenti contra Errores Modernistarum, vel in *declaratione*, quod aliter sentientes sint *hæretici* vel alieni a fide vel separati ab Ecclesiæ unitate ; quandoque vero iudicium solummodo ex circumstantiis vel ex traditione (ex sententia theologorum) vel ex posteriori declaratione Ecclesiæ desumi potest. Caveas igitur, ne huiusmodi *signa* definitionis dogmaticæ cum ipsa definitione confundas.

3) *Infallibilitas definitionis.* Ad propositionem definitivam alicuius dogmatis requiritur infallibilitas proponentis. Dogmata enim ad credendum proponuntur, et quidem ut credantur fide divina. Assensus autem fidei theologicæ tum factum tum possibilitatem erroris in doctrina credenda excludit. Nisi igitur in auctoritate proponente dogma credendum, possibilitas erroris excluderetur, assensus fidei impossibilis redderetur. Inde in Ecclesia orta

1. Ita in decretis Concilii Tridentini canones quidem definitiones dogmaticas continent, capitula vero communiter doctrinam tantum. Multo magis acta veterum conciliorum ex maxima parte tantum doctrinas plus minusve approbatas referunt.

est quæstio de infallibilitate, sc. de subiecto infallibilitatis. Quod enim Ecclesia *universalis*, sive in credendo sive in docendo, sit infallibilis, quoad rem nunquam fuit controversum in Ecclesia : semper enim regula valebat quod id quod credit vel docet Ecclesia, simpliciter tanquam fides vera sit accipiendum adeoque quod Ecclesia sit infallibilis, licet hæc infallibilitas Ecclesiæ succedentibus temporibus clarius esset cognita. Idem valet quoad definitiones Conciliorum generalium. Maior quæstio erat de infallibilitate Romani Pontificis. Inter rationes definitionis infallibilitatis Romani Pontificis hæc autem erat principalis quod secundum S. Scripturam et totam traditionem Sedi Romanæ competebat ius et officium, definire quæstiones controversas de fide, ita ut universa Ecclesia obligaretur ad accipiendas huiusmodi definitiones tanquam de fide vel ut dogmata. Ita definitio infallibilitatis Romani Pontificis ex eius potestate definiendi dogmata sequitur[1]. Cui enim ex institutione divina competit ius et officium determinandi fidem universæ Ecclesiæ, in hac determinatione errare non potest. Unde Concilium Vaticanum expresse insinuat, per definitionem infallibilitatis Romani Pontificis nil novi statui. In hoc enim quod Romani Pontifices quæstiones de fide exortas ultimo et definitive determinaverunt, iam ante definitionem Vaticanam implicite eorum infallibilitas credebatur et admittebatur. Huiusmodi fides tantummodo per turbines schismatis occidentalis et sophismata Iansenistarum obscurari potuit, usque ad necessitatem definitionis explicitæ.

Non est nostrum, hic doctrinam de infallibilitate exponere. Tantum ea quæ ad notionem dogmatis, et quidem in ordine ad historiam dogmatum, pertinent, breviter exponenda sunt.

Ipsa infallibilitas non intelligitur ut qualitas naturalis vel auctoritas solius ordinis iuridici, sed tanquam dos vel cha-

1. Concilium Florentinum, *Decretum pro Græcis*, D. 694 ; Concilium Vaticanum, sess. 3, c. 4. Cf. S. Thomas, *Summa theologica*, II. II, q. 1, a. 10 cum commentatoribus, qui occasione huius articuli communiter doctrinam de infallibilitate evolvunt, et auctores recentiores.

risma supernaturale, a Christo Domino Ecclesiæ promissum et collatum, quo Ecclesia vel Romanus Pontifex per assistentiam Spiritus Sancti in proponendis revelatis ab errore præservatur : hac enim assistentia Ecclesia et Romanus Pontifex munus magisterii convenienter et cum effectu exercere potest.

Subiectum infallibilitatis est : Ecclesia universalis, sive credens sive docens, Concilium generale et Romanus Pontifex.

Obiectum infallibilitatis *directum* vel *primarium* sunt ipsa revelata, et quidem per se revelata vel depositum fidei vel doctrina de fide et moribus. Et quoad hoc obiectum infallibilitas Romani Pontificis (et conciliorum generalium et ipsius Ecclesiæ universalis) est dogma definitum. Concilium enim Vaticanum[1] definivit, Romanum Pontificem « ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ».

Doctrina vero (per se) revelata vel depositum fidei non solummodo eo sensu est obiectum infallibilitatis ut simpliciter cognoscatur, quid sit revelatum, sed simul, ut fidei depositum « sancte *custodiatur* et fideliter *exponatur*[2] ». Ecclesia igitur primo quidem in fallibiliter cognoscit quid aliquando fuerit revelatum; deinde depositum revelatum custodit, sc. conservando ipsam doctrinam revelatam, eamque proponit per sæcula subsequentia, et quidem eo sensu et ea sententia prout fuit primitus revelata, simul damnat errores quibus doctrina revelata directe vel indirecte negatur sive corrumpitur ; tertio Ecclesia doctrinam primitus revelatam fideliter « exponit », i. e. sensum ipsius recte et vere determinat, interpretatur vel formulis dogmaticis exprimit.

Secundarium vel indirectum obiectum infallibilitatis Ecclesiæ sunt omnia illa quæ cum per se revelatis vel cum deposito fidei connectuntur et inquantum connexionem habent. Huiusmodi infallibilitas Ecclesiæ (sc. circa obiectum secundarium) non est quidem de fide definita, attamen

1. Sess. 4, c. 4, D. 1839.
2. L. c., D. 1836.

theologice certa, imo saltem quantum ad conclusiones theologicas veritas catholica. Inter ea deinde quæ cum per se revelatis connexionem habent, primo sunt per accidens revelata ; Ecclesia enim circa ea infallibiliter iudicat inquantum connexionem habent cum facto et cum dogmate inspirationis et veritatis S. Scripturæ, sive directe sive indirecte[1]. Alterum obiectum secundarium infallibilitatis sunt ea quæ ex ipsis revelatis per modum conclusionis deducuntur (virtualiter revelata vel *conclusiones theologicæ* stricte dictæ) : de quibus infra erit quæstio specialis. Deinde Ecclesia est infallibilis circa ea quæ alio quodam modo cum per se revelatis connexionem habent, ut facta dogmatica, decreta disciplinaria non pure disciplinaria, canonisatio sanctorum et approbatio Ordinum religiosorum, inquantum sc. in his omnibus indirecte veritas alicuius doctrinæ revelatæ vel veritas propositionis ipsius in quæstionem venit[2].

Ex natura dogmatis exposita sequuntur duæ principales *proprietates* dogmatis.

IV. **Proprietates dogmatis.** — *a*) *Veritas absoluta dogmatis.* Prima proprietas dogmatis est eius veritas absoluta et immutabilis. Hæc enim sequitur ex utroque elemento dogmatis, primo ex eo quod veritatem divinitus revelatam continet, secundo ex eo quod hæc infallibiliter est proposita. Quæ quidem veritas absoluta atque immutabilitas directe et per se *sensum* vel *doctrinam* dogmatis respicit, terminos vero vel formulas quibus doctrina exprimitur, indirecte, eo sc. sensu quod termini vel formulæ sint veræ

1. Ad rem optime Pesch : « Nulla est inter has duas rerum classes (sc. per se revelata et revelata in ordine ad alia, ut plurima facta historica in S. Scriptura relata) distinctio ratione credibilitatis ubi primum constat eas esse a Deo revelatas. At aliter res se habet quod attinet conservationem et traditionem harum revelationum. Nam divina providentia prospicit quidem ut ea quæ ad salutem necessaria sunt, intacta conserventur, non vero ut etiam ea sine errore tradantur quæ ad salutem per se minime pertinent. » *Prælect.*, I[4], p. 362. Cf. Straub, *De Ecclesia*, II, n. 879-882. — SS. Patres tantum quoad res fidei et morum sunt testes infallibiles.

2. Optimam expositionem doctrinæ habes apud Groot., *De Ecclesia*[3], q. 9.

in ea significatione qua in definitione vel propositione accipiuntur[1]; non vero definitur, (nisi hoc expresse fiat) quod ille terminus vel illa formula sit conveniens expressio doctrinæ revelatæ vel quod doctrina non possit alio modo formulari. Unde terminus vel formula quandoque mutari potest, absque sc. mutatione sensus vel doctrinæ. Cum tamen in definitionibus termini communiter in sensu naturali et obvio adhibeantur, raro hic casus habetur. Similiter convenientia termini quam maxime supponenda est. Unde Concilium Vaticanum contra Hermes, Guenther et alios definivit : « Sacrorum dogmatum is sensus perpetuo est retinendus quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo altioris intelligentiæ specie et nomine recedendum[2]. » Certe hæc absoluta veritas vel immutabilitas non competit nisi definitionibus dogmaticis proprie dictis, non vero decretis Conciliorum particularium[3], neque effatis vel etiam decretis Conciliorum generalium vel Romanorum Pontificum non definitivis vel quæ non sunt « ex cathedra ».

b) *Dogma credendum est fide catholica et divina.* Secundo patet qua ratione dogmata identificentur cum illis quæ fide divina et catholica sunt credenda, vel quomodo dogmata ita sint credenda. Nam dogmata ut sunt doctrina revelata, credenda sunt fide *divina*, sc. propter auctoritatem ipsius Dei revelantis ; ut vero sunt ab Ecclesia ad credendum proposita, credenda sunt fide *catholica :* non quasi fides catholica sit alia fides a fide divina, sed inquantum omnes fideles (universa Ecclesia) obligantur ad fidem

1. Unde quam maxime errant illi theologi catholici, qui verba definitionum quidem retinentes, ipsis tamen alium sensum supponunt quam tenuit hucusque Ecclesia. Ita iam Eusebiani aliter interpretari conati sunt consubstantialitatem Filii quam Patres Nicaeni. A fide quoque aberrant illi theologi recentiores qui e. g. unionem hypostaticam non iam secundum sensum ontologicum — uti certe semper intellexit et adhuc intelligit Ecclesia — sed secundum modum philosophiæ idealisticæ vel psychologicæ interpretantur. Id quod denique maxime habetur apud Modernistas.

2. Sess. 3, c. 4, D. 1800-1808.

3. Ita 3. Concilium Antiochenum fertur repudiasse quod Christus sit ὁμοούσιος Patri, licet terminum alio sensu acceperit quam Concilium Nicænum. Cf. Tixeront, *Histoire des dogmes,* II[5], 432.

divinam circa veritatem definitam, et simul quia nunc ab omnibus fide divina creduntur[1].

c) Ex natura dogmatis denique patet distinctio inter dogmata materialia et formalia. Dogma *materiale* est ipsa doctrina revelata, ut talis, quæ sc. est materia dogmatis vel doctrina quæ dogma fieri potest ; dogma *formale* vero est doctrina revelata ut ab Ecclesia definita et ad credendum proposita, inquantum sc. doctrina revelata per definitionem Ecclesiæ proprie et formaliter ut dogma constituitur. Veteres theologi communiter tum doctrinam ipsam revelatam tum definitiones Ecclesiæ dogma (vel doctrinam fidei) vocant ; theologi vero recentiores nomine dogmatis tantummodo doctrinas definitas vel ad credendum propositas significant : ita et nos in toto hoc opere-id quod maxime attendendum est[2].

V. **Corollaria.** — *a*) *Doctrina catholica de natura dogmatis ipsa est dogma proprie dictum.* Uti ex præmissis patet, ipse conceptus catholicus dogmatis vel doctrina de natura et conditionibus dogmatis est dogma proprie dictum. Etenim doctrinæ de revelatione, de auctoritate Ecclesiæ in proponendis dogmatibus, de infallibilitate Ecclesiæ, denique de ratione fidei, sunt veritates revelatæ ; simul conceptus dogmatis formaliter ab Ecclesia ad credendum propositus est, licet non expresse, sub forma propriæ definitionis vocis dogmatis. Certe conceptus dogmatis sicut alia dogmata *evolutionem* vel *explicationem* quandam in Ecclesia habuit, non quidem eo sensu quod conceptus

1. Protestantes fidem « catholicam » communiter ita intelligunt ac si non sit fides propter auctoritatem Dei revelantis, sed propter solam et humanam (iuridicam) auctoritatem Ecclesiae. Unde fidem catholicam vocant fidem *implicitam* quæ sc. includitur in « credo quod Ecclesia catholica credit vel docet » vi cuius quilibet verus catholicus paratus sit amplectendi quæcumque Ecclesia, iudicio arbitrario, ut dogmata proponit. Ita fidem catholicam et implicitam ad quandam obædientiam iuridicam et cæcam (fidem carbonariam) reducunt. Ita Ritschl, G. Hoffmann, Ihmels, R. Seeberg, Harnack, etc., præeuntibus Luthero et Calvino. Cf. R. Schultes, *Fides implicita*, I, (Pustet, 1920).

2. Cæteræ divisiones dogmatum hic non sunt explicandæ vel suo loco explicantur.

dogmatis nunc sit alius quam in prioribus temporibus, sed quod nunc sit magis determinatus atque explicatus. Semper enim id quod ab Ecclesia ad credendum proponebatur, ab omnibus ut credendum erat accipiendum et credebatur.

Equidem immediati discipuli Domini immediate verbis Salvatoris crediderunt. Apostoli quæ viderant et audierant, prædicabant (I Ioh., 1, 1). Ita auditores immediati Apostolorum crediderunt « Evangelio » quod Apostoli prædicabant, i. e. proponebant ad credendum, et quidem sub anathemate (*Gal.*, 1, 6 ss.). Eodem modo subsequentes Christiani crediderunt quæ ipsis per pastores Ecclesiæ in præparatione ad baptisma et in prædicatione liturgica proponebantur. Iam etiam in Symbolo Apostolico substantia credendorum et « regula fidei » contra corruptores fidei proposita atque definita erat[1]. Quæ regula fidei succedentibus temporibus per definitiones Conciliorum œcumenicorum explicata atque determinata est. Ita in praxi observabatur principium ut id crederetur, quod per Ecclesiam prædicabatur, credebatur, definitum erat.

In medio ævo Scholastici praxim et doctrinam veteris Ecclesiæ aliquibus principiis expressis formulaverunt[2]. Ita statuerunt : 1° credibilia contineri in articulis symboli Apostolici cum suis præsuppositis et consequentiis (i. e. cum omnibus iis quæ in singulis articulis continerentur ut e. g. in articulo de « sancta Ecclesia ») ; 2° unumquemque obligari ad fidem explicitam explicationis articulorum (cum præsuppositis et consequentiis) prout per celebrationem festorum et communem prædicationem ab Ecclesia omnibus proponebatur ; 3° unumquemque teneri ad hoc ut credat fidem Ecclesiæ esse veram et ut paratus sit ad credendum omne id quod ut fidem Ecclesiæ cognoverit, et ut nullum articulum discredat, neque directe neque indirecte, et denique ut Ecclesiam tanquam regulam fidei sequatur. Quam doctrinam scholasticorum maiorum

1. Tertullianus, *De præsc.*, 3, 4 ; 16, 5 ; 36 ; Irenæus, *Adv. Hær.*, 1, 10, 1 ; cf. *Epideixis.*

2. Videsis expositionem historicam in nostro opere : Fides implicita, I.

sæculi XIII subsequentes scholastici (Nominalistæ) magis explicaverunt, quærentes determinare quænam sint « veritates catholicæ », i. e. ab omnibus Christianis credendæ.

Post Concilium Tridentinum præter quæstionem quid de necessitate medii et præcepti explicite sit credendum, tres præcipue quæstiones movebantur. Prima quæstio erat quænam revelatio requireretur (explicita, implicita, virtualis) ut haberetur obiectum fidei, vel sub alia forma : utrum conclusiones theologicæ essent obiectum fidei, sive ante sive saltem post definitionem Ecclesiæ (quæstio nondum definita neque ab omnibus theologis eodem sensu resoluta). Secunda quæstio erat, quænam doctrinæ (ex parte obiecti) sint *credendæ* : quantum ad hoc omnes theologi unanimiter statuerunt ea omnia esse (ex parte obiecti) credenda quæ sint revelata et ab Ecclesia ut revelata ad credendum proposita : et ita Concil. Vatic. definivit[1]. Tertia quæstio erat, utrum Pontifex Romanus sit infallibilis in definitione et propositione revelatorum, ita quod ipse definire possit doctrinam ut de fide vel ut dogma tenendam : quæ quæstio similiter per Concilium Vaticanum definita est. Habes igitur explicationem et determinationem conceptus dogmatis, non vero immutationem ; simul tamen doctrinam de progressu dogmatico, quam in a. 4 exponemus.

Immerito igitur dicit Weizsäcker[2], quod conceptus formalis dogmatis sit in continua evolutione (i. e. mutatione), vel Harnack : « Quæstio, quid sit dogma, in Ecclesia non amplius clare determinata est[3] » ; imo iniuriosa est assertio ipsius, quod libri dogmatici in hac quæstione non exponant verum statum rerum[4]. Concedendum tamen est Harnackio[5] (licet alio sensu quam ipse voluerit), quod origo et historia conceptus dogmatis est summi momenti pro historia dogmatum : inter varia enim dogmata Eccle-

1. Sess. 3, c. 3, D. 1792.
2. Apud HARNACK, *Dogmengeschichte*, 1^4, 4.
3. L. c., 10.
4. L. c., III^3, 684.
5. L. c., 1^4, 19.

siæ catholicæ certe non minimum est dogma de dogmate ipso[1].

b) *Doctrina de evolutione et de historia dogmatum est obiectum theologiæ et magisterii Ecclesiæ.* Evolutio enim alicuius rei evidenter sequitur naturam ipsius rei quæ evolvitur. Unde natura talis evolutionis proprie cognosci nequit nisi ex natura rei. Cum igitur natura dogmatis sit res fidei et theologiæ, doctrina tum de natura tum de evolutione dogmatum proprie et per se ad theologiam, et quidem dogmaticam pertinet. Similiter doctrina de evolutione et historia dogmatum est obiectum magisterii Ecclesiæ, doctrina de evolutione directe (inde habemus definitionem Concilii Vaticani[2]), doctrina de historia dogmatum indirecte : unde circa illam habentur propositiones in Iuramento contra errores Modernistarum (de quibus infra).

Cum denique omnis doctrina fidei et theologiæ ad aliquod caput fidei pertineat vel super aliquod principium fundamentale fundetur, quærendum est ad quodnam caput vel principium fidei evolutio dogmatum pertineat, ad quod per consequens reducenda et ex quo proprie explicanda sit. Cum vero dogma ex natura sua habeat relationem ad revelationem, fidem et magisterium Ecclesiæ, facile patet doctrinam de evolutione dogmatum ex his capitibus vel principiis explicandam esse, et ita de facto iam veteres scholastici in tractatu de fide aliquam saltem doctrinam de hac re tradiderunt, ut infra videbimus. Neque obstat, quod evolutio dogmatum sit obiectum historiæ. Distinguendum enim est in evolutione dogmatum inter facta historica quæ sunt proprie obiectum historiæ, et inter naturam ipsam evolutionis quæ est obiectum theologiæ dogmaticæ.

Si quis vero instet, dicendo ad historiam pertinere, leges et causas evolutionis statuere et inquirere, respondetur : hoc verum esse quantum ad leges vel causas quasdam extrinsecas et accidentales, non vero quantum ad leges et causas substantiales et intrinsecas. Ita historia

1. Videsis PINARD, in *Dict. Apol.*, v. dogme, IV, existence du dogme.

2. Sess. 3, c. 4, D. 1800 et can. 5, D. 1818.

quidem ostendere potest evolutionem dogmatum factam esse occasione hæresum et mediante progressu theologico et secundum terminologiam alicuius temporis, non tamen ostendere potest quomodo terminologia hæreticorum vel theologorum ad constitutionem novi dogmatis pertineat.

c) Theologi catholici sunt magis apti ad capiendam evolutionem dogmatum. Uti patet, unusquisque eo melius historiam alicuius rei investigare et intelligere valet quo melius naturam et conditionem rei noverit. Ita amicus historiam amici melius capere valet quam extraneus. Similiter theologus catholicus qui optime noverit naturam revelationis, fidei et magisterii Ecclesiæ, *cæteris paribus* multo magis aptus erit ad investigandam, determinandam et explicandam evolutionem alicuius dogmatis. Si quidam auctores catholici in historia dogmatum, sive quoad theoriam sive quoad historiam, erraverunt, id communiter ex aliquo defectu vel errore in re dogmatica contigit. Protestantes vero a priori incapaces apparent ad exarandam veram historiam dogmatum, quia certis præiudiciis impediuntur, quin id forsitan animadvertant : errant enim non solum formaliter circa ipsam naturam dogmatis, fidei et magisterii Ecclesiæ, sed etiam materialiter et circa sensum dogmatis definiti et circa multa alia.

ARTICULUS TERTIUS

CONCEPTUS ERRONEI DOGMATIS (et historiæ dogmatum)

I. Iam in expositione notionis catholicæ dogmatis quosdam errores Protestantium et Modernistarum tetigimus. Propter maximum tamen rei momentum in determinanda evolutione et historia dogmatum expresse adhuc, licet breviter, conceptus erroneos dogmatum recensebimus, simul cum connexa falsa idea de natura atque officiis historiæ dogmatum. Agemus de conceptu : 1° Protestantium ; 2° Modernistarum et 3° Güntheri[1].

1. Cf. *Dict. Apol.*, v. dogme, col. 1127-1130.

I. — Conceptus protestanticus

II. Quodsi nomen Protestantismi large accipimus, sicut et ipsi Protestantes faciunt, *tres classes* conceptus dogmatis et historiæ dogmatum distinguere possumus.

1° *Rationalistæ* nullam admittunt revelationem proprie dictam. Ideoque « dogmata » quæ in Ecclesia extant vel tenentur, non sunt ipsis nisi evolutiones plus minusve perfectæ cognitionis humanæ vel ideæ religionis vel Christianismi. Officium igitur historiæ dogmatum erit huismodi evolutionem scientifice exponere.

2° Theoria, ut dicitur, *medialionis* (« Vermittlungstheorie ») ponit, per Christum novam cognitionem novamque vitam inductam fuisse eamque in diversis individuis temporibusque diversam evolutionem habuisse. Erit igitur officium historiæ dogmatum historice-critice diversas theorias dogmaticas exponere et originem et mutationes diversorum systematum christianorum, quorum capita sunt dogmata, historice evolvere.

3° Theologia protestantica *orthodoxa* vel *confessionalis* dicta, in doctrina christiana admittit quoddam fundamentem divinitus revelatum ideoque immutabiliter verum ; simul tamen ponit illud fundamentum per influxus exteriores succedentibus temporibus ex parte obscuratum[1] et immutatum fuisse[2].

III. In particulari quasi unusquisque theologus et historicus diversam notionem dogmatis et per consequens etiam historiæ dogmatum exhibet. Ita *Reinhold Seeberg*, professor Berolinensis, tres conditiones ponit sub quibus aliqua doctrina vocetur dogma, nempe quod illa doctrina

1. Huic errori cognata est sententia synodi *Pistoriensis* de obscuratione veritatum in Ecclesia quæ in Constitutione « Auctorem fidei » his verbis damnatur : « Propositio, quæ asserit, postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei et moralis doctrinæ Christi : hæretica. » D. 1501.

2. Cf. L. Atzberger, in *Kirchliches Handlexicon*, verbum : *Dogmengeschichte*, I, 1143.

sit ab aliqua ecclesia recognita, quod ulterius exprimat fidem illius ecclesiæ et ultimo quod sit doctrina salutis. Dogma ut tale definitur ut expressio vitæ religiosæ vel tendentiæ religiosæ. Formula in qua dogma exprimitur, secundum Seeberg, non pertinet ad fidem, cum sit fortuita et pure humana. Historia igitur dogmatum explicat originem dogmatum ex vita religiosa et vice versa influxum dogmatum in vitam religiosam[1]. Secundum *Loofs* dogmata vocantur illæ propositiones vel doctrinæ fidei quarum admissionem aliqua communitas religiosa a suis membris vel saltem a suis ministris expresse postulat. Historia dogmatum est historia doctrinarum ecclesiasticarum inter Christianos[2].

A. Harnack dogma definit tanquam formulationem et expressionem *scientificam* doctrinarum christianarum ; inde : « dogmata sunt productum theologiæ et opus ingenii (græci) super fundamentum evangeliorum[3] ». Officium igitur historiæ dogmatum est ostendere originem dogmatum in Ecclesia, ulteriorem evolutionem dogmatum in ecclesia orientali et occidentali, denique exitum dogmatum in ecclesia catholica, in protestantismo et apud criticos vel illuminatos. *Krueger* historiam dogmatum definit tanquam historiam formarum in quibus aliqua idea religiosa sese evolverit. Finis huius disciplinæ secundum ipsum

1. Seeberg, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, I², p. 4-7.

2. Loofs, *Leitfaden Zum Studium der Dogmenge schichte*⁴, p. 9.

3. « Das Dogma ist in seiner Konzeption und in seinem Ausbau ein Werk des griechischen Geistes auf dem Boden des Evangeliums... d. h. die begrifflichen Mittel, durch welche man sich in der antiken Zeit das Evangelium verständlich zu machen gesucht hat, sind mit dem Inhalt desselben verschmolzen und zum Dogma erhoben worden « *Lehrbuch der D. G.*, 1, 18. Dogma igitur non est quidem productum philosophiæ græcæ, sed productum combinationis Evangelii cum philosophia græca, p. 22. Vel habes aliam definitionem : « Dogmen sind die begrifflich formulierten und für eine wissenschaftlich apologetische Behandlung ausgeprägten christlichen Glaubenslehren », l. c., p. 3. Harnack igitur simpliciter dogmata cum scientifica formulatione fidei identificat, quae formulatio est temporis antiqui et eius conditionem et culturam redolet et per consequens iam inveterata est.

est discere ne formam cum re, dogmata cum Evangelio confundamus[1].

Stange conditionem receptionis alicuius doctrinæ per Ecclesiam tanquam vulgarem reiicit, dogmata ipsi sunt conceptus doctrinales alicuius Ecclesiæ[2]. Secundum *Kolde* dogmata ea repræsentant quæ ecclesia in vita et pietate sua tanquam summam conscientiæ fidei suæ *(Niederschlag ihres Glaubensbewusstseins)* recognoscit, quæ et defendere et denique formulare consuevit[3]. *Dorner* dogma definit tanquam productum tentaminis præcisæ formulationis fidei, ut tali via communitas a heterodoxis distinguatur[4]. *Scheel* dogmata cum confessionibus christianis identificat[5]. *Bonwetsch* dogmata declarat tanquam affirmationem propriam et normativam alicuius Ecclesiæ de natura et ratione suæ communionis cum Deo[6].

Aug. *Sabatier*, in religione duo distinguit, sc. corpus et animam. « Anima » religionis, elementum principale, est relatio immediata et personalis ad Deum ; « corpus » religionis habetur in ritibus cultus et præsertim in dogmate ; attamen dogmata nonnisi expressiones quædam repræsentativæ animæ sunt. Quæ expressio primitus formam poeticam, plenam imaginibus, induebat ; paulatim vero poesia cessit philosophiæ, imago ideæ : in qua substitutione unitas originaria dissolvebatur et differentia doctrinalis orta est. Contra hoc periculum auctoritas ecclesiastica instituitur quæ formularium quoddam obligatorium fidei, sc. symbolum, proponit. Ita etiam in religione christiana

1. « Kirchliche Dogmen sind mit dem Anspruch auf unbedingte Gültigkeit auftretende Lehrsätze, in denen die Kirche die wesentlichen Wahrheiten des christlichen Glaubens auszudrücken gemeint hat », l. c., p. 8. Unde historia dogmatum : *Geschichte der Formen, in denen eine religiöse Idee sich entwickelt hat*, p. 23.

2. Stange, *Das Dogma und seine Beurteilung in der neueren Dogmengeschichte*, p. 24, 62.

3. Kolde, *Dogma und Dogmengeschichte*, p. 507.

4. Dorner, *Grundriss der Dogmengeschichte*, p. 12.

5. Scheel, *Stillstand und Neubildungen in der protestantischen Dogmengeschichtsschreibung*, p. 107. — Quatuor ultimos auctores secundum expositionem F. Haase, *Begriff und Aufgabe der Dogmengeschichte*, retuli.

6. Bonwetsch, *Grundniss der Dogmengeschichte*, p. 1.

contigit : Christus in figuris locutus est, tempore apostolico figuræ in formam philosophicam redactæ sunt et denique contra Gnosim impositum est symbolum. Tamen dogmata et symbolum, utpote formulata ope conceptuum alicuius periodi et mentalitatis determinatæ, mox novis insurgentibus ideis opponuntur. Ideoque dogma vel symbolum necessario erat immutandum et de facto immutabatur. Manet tamen elementum intrinsecum, sc. ipsa anima vel habitudo ad Deum, saltem radicaliter (« le fond »). Ita systemata Origenis, Augustini, Thomæ Aquinatis novis conceptibus religionis cesserunt[1].

IV. Itaque dogmata secundum Protestantes non sunt interpretatio et explicatio revelatorum sed ad summum approximativa quædam expressio Evangelii, secundum modum nempe quo aliqua Ecclesia doctrinam evangelicam interpretata est et sibi repræsentavit, sive secundum experientiam subjectivam, sive secundum conditionem scientiæ alicuius temporis ; imo dogmata secundum eos aliquid Evangelio extraneum superaddunt, sivè puram aliquam formulationem extrinsecam, resultantem ex evolutione vitæ religiosæ et denotantem tendentiam religiosam alicuius temporis (Seeberg) sive expressionem symbolicam experientiæ religiosæ (Sabatier) sive conceptum obligatorium alicuius ecclesiæ particularis (Loofs) sive modum scientificum quo aliquis periodus evangelicam doctrinam intellexit et sibi repræsentavit (Harnack). Per consequens dogmata non pertinent ad fidem sed ad historiam religionis vel christianismi, mutanda sunt secundum meliorem experientiam vel scientiam, quædam dogmata, nempe catholica, ulterius simpliciter sunt expungenda, utpote corruptiva Evangelii[2]. Denique *historia dogmatum*, secundum conceptum protestanticum, est *historia alicuius scholæ vel disciplinæ humanæ, imo erroris perpetui.*

1. A. Sabatier, *Esquisse d'une philosophie de la religion*, l. 3, c. 1 et 2, Cf. M. Tuyaerts, O. P., *L'évolution du dogme*, 1919, p. 15 s.

2. De facto, historia dogmatum Protestanticum est proles genuina theologiae polemicæ sæculi decimi septimi et octavi.

V. Notio protestantica dogmatis *materialiter* quidem elementa constitutiva notionis catholicæ retinet (excepta propositione infallibili per Ecclesiam), tamen in sensu formali omnino diverso. Secundum Protestantes dogma *a*) non est proprie *doctrina* obiectiva, sed expressio quædam subjectiva fidei ad modum doctrinæ (elementum doctrinale vel intellectivum) ; *b*) dogma, ut tale, non est veritas *revelata*, sed transformatio revelationis (elementum revelatum) ; *c*) dogma non *proponitur* ex auctoritate divina, sed ab auctoritate humana, ideoque fallibiliter ac denique modo pure iuridico (elementum iuridicum) ; *d*) dogma non proprie *fidem* communitatis *determinat*, sed a fide communitatis determinatur (elementum sociale) ; *e*) dogma non est ipsum principium directivum et vitale vitæ religiosæ, sed a vita et experientia religiosa oritur (elementum religiosum) ; *f*) dogma non est *immutabile*, sed continuo perficiendum secundum statum scientiæ, sc. ut fructus combinationis Evangelii et scientiæ (elementum scientificum). Uti patet, huiusmodi notio dogmatis nonnisi pro doctrinis protestanticis (vel aliis heterodoxis) valet, immerito vero ad dogmata catholica transfertur. Similiter inde patet, conceptum historiæ dogmatum apud catholicos et apud Protestantes formaliter esse diversum, ex quo iam a priori diversitas ipsius historiæ dogmatum explicatur. Similiter diversitas historiæ dogmatum apud singulos historicos protestanticos (Harnack, Seeberg, Pfleiderer, Loofs, Bonwetsch, etc.) explicatur ex diversis systematibus theologicis, quæ singuli auctores sequuntur.

II. — Errores modernistarum circa naturam, evolutionem et Historiam Dogmatum.

VI. **Præsupposita.** — Modernistarum[1] doctrina de natura dogmatis fundatur in præsupposita philosophia agnos-

1. Præcipui fautores extant A. Loisy, *L'Evangile et l'Eglise* (Paris, 1902), *Autour d'un petit livre* (Paris, 1903) et G. Tyrell, præsertim in libro : *Trough Scylla and Charybdis* (London, 1907). Expositionem auctoritativam Modernismi habes in Encyclica Pii X, *Pascendi d. gregis*, (1907, D. 2071-2109) ; errores Moder-

ticismi, immanentiæ vitalis, in systemate fideismi et in doctrina protestantica de transfiguratione et defiguratione revelationis vel sensus religiosi ; præsertim conceptus dogmatis nonnisi ex præsupposita theoria noëtica intelligi potest.

Modernistæ enim primo, quin alicui determinatæ scholæ idealismi vel subjectivismi adhæreant, doctrinam *agnosticismi* tenent[1], sc. realitatem rerum a nobis non cognosci sed exclusive phænomena, ideoque, quidquid phænomena superexcedit, ut præcipue Deus, non esse obiectum scientiæ i. e. cognitionis proprie dictæ[2]. Iam ex hac parte Modernismus fundamentum totius conceptus catholici de dogmate relinquit, nempe notionem doctrinæ vel cognitionis obiectivæ, sive de Deo sive de operibus Dei. Consequenter omnes aliæ partes conceptus catholici dogmatis alium obtinent sensum, ut revelatio, propositio et veritas dogmatis. Revera nihil iam commune in conceptu catholico et modernistico dogmatis remanet. Quapropter Iuramentum contra errores Modernistarum merito primo loco dogma de cognoscibilitate Dei ponit. Agnosticismi sequela primo in doctrina de origine et natura religionis apparet.

VII. Secundum Modernistas *religio* non fundatur in aliqua obiectiva Dei cognitione, sed in quadam subiectiva necessitate vel exigentia animi[3]. Huiusmodi exigentia iterum *in sensu* quodam *religioso* fundatur qui præter et supra phænomena finita et determinata in altiora tendit.

nismi damnantur in Decreto *Lamentabili*, Pii X (1907, D. 2001-2065) et in Iuramento contra errores Modernismi (1910, D. 2145-47).

1. Modernistæ sequuntur præsertim Herbert Spencer, Wiliam Iames (a quo est terminus subconscientiæ) et Bergson, auctorem philosophiæ pragmatismi. Cf. P. Simon, *Der Pragmatismus in der modernen französischen Philosophie*, 1920, Paderborn.

2. Cf. Encyl. *Pascendi*, D. 2072.

3. Argumentum huius assertionis apparenter ex historia religionis petitur, revera autem ex doctrina agnosticismi sumitur. Defensionem et explicationem doctrinæ catholicæ de existentia et cognoscibilitate Dei videsis apud R. Garrigou-Lagrange, *Dieu, son existence et sa nature*, Paris, 1920.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Itaque religio non ex cognitione ipsius Dei oritur sed ex spontaneo quodam desiderio divini, ex desiderio unionis personalis cum Deo, in eoque vita et radix omnis religionis veræ consistit. Quæcumque igitur religio est subiectiva, immanens et vitalis[1].

VIII. Deinde Modernistæ sensum religiosum vel exigentiam divini tanquam originem ac radicem *fidei* ponunt, inquantum sc. ex credentis experientia « credenti ratum ac certum est, realitatem divini reapse in se ipsa existere nec prorsus a credente dependere » : in quo *fideismi* systema consistit[2]. Fides igitur secundum Modernistas non est assensus ad veritates revelatas sed est effectus quidam exigentiæ divini quæ sensum religiosum commovet et hominem quodammodo cum Deo coniungit, ita tamen quod ipse Deus penitus ignotus remaneat.

Sensus religiosus secundum Modernistas primo latet infra conscientiam, uti dicunt in *subsconscientia*, ubi etiam illius radix occulta manet atque incomprehensa. Transit vero in conscientiam eo quod vivitur vel vitaliter experimento capitur (Erlebnis). Quæ *experientia* subiectiva atque vitalis, quæ ab extra quidem excitari, non vero directe dari potest, supplet non tantum obiectivam Dei cognitionem sed etiam revelationem. Revelatio enim nihil aliud est quam manifestatio divini in experientia religiosa vel experientia quædam religiosa in mente humana[3]. Loco igitur revelationum divinarum in sensu christiano habentur experientiæ subiectivæ, productum sensus religiosi. Inde denique diversæ religiones explicantur, in quibus religio Christi secundum modernistas summum tenet locum.

IX. Tamen in hac experientia religiosa inquantum transit in conscientiam, ipsum esse divinum quod se-

1. Cf. D. 2074. 2077.

2. D. 2074, 2081. Cf. J. Lebreton, L'Encyclique et la théologie moderniste, in *Etudes*, 1907, vol. 113, p. 497 (et separatim, Paris, 1908).

3. Cf. D. 2075, 2077.

cundum se est omnino incognoscibile, sub forma phænomenorum capitur et sic *defiguratur* vel *transfiguratur*. Similiter omnia facta religiosa defigurantur vel transfigurantur, inquantum ipsis aliquid attribuitur quod revera in ipsis non est : ita Christo tribuitur divinitas, quin revera aliquid habeat quod non sit proprie humanum. Id quod in Encycl. *Pascendi* ita exponitur[1] : « Incognoscibile non se fidei sistit ut nudum quid aut singulare ; sed contra in phænomeno aliquo arcte inhærens quod, quamvis ad campum scientiæ aut historiæ pertinet, ratione tamen aliqua prætergreditur ; sive hoc phænomenon sit factum aliquod naturæ, arcani quidpiam in se continens, sive sit quivis unus ex hominibus cuius ingenium, acta, verba cum ordinariis historiæ legibus componi haud posse videntur. Tum vero fides, ab incognoscibili allecta quod cum phænomeno coniungitur, totum ipsum phænomenon complectitur ac sua vita quodammodo permeat. Ex hoc autem duo sequuntur. Primum quædam phænomeni *transfiguratio* per elationem sc. supra veras illius conditiones, qua aptior fiat materia ad inducendam divini formam quam fides est inductura. Secundum, phænomeni eiusdem aliquapiam, si vocare licet, *defiguratio* inde nata, quod *fides* illi loci temporisque adiunctis exempte *tribuit quæ reapse non habet* : quod usuvenit præcipue cum de phænomenis agitur exacti temporis, eoque amplius quo sunt vetustiora... Exemplo res illustrabitur, sitque illud e Christi persona petitum. *In persona Christi*, aiunt, *scientia atque historia nil præter hominem offendunt*. Ergo vi primi canonis ex agnosticismo deducti ex eius historia quidquid divinum redolet delendum est. Porro vi alterius canonis Christi persona historica *transfigurata* est a fide : ergo subducendum est ab ea quidquid ipsam evehit supra conditiones historicas. Demum vi tertii canonis eadem persona Christi a fide *defigurata* est : ergo removenda sunt ab illa sermones, acta, quidquid uno verbo ingenio, statui, educationi eius, loco ac tempori quibus vixit, minime respondet. »

X. **Natura et origo dogmatis.** — Per experientiam

1. D. 2076.

igitur sensus religiosi Deus in anima manifestus fit. At homo religiosus *fidem suam cogitare* debet. Reflectendo igitur super se ipsam, ratio id quod sensus religiosus experitur, modo quodam intellectuali reddit atque exprimit : primo quidem sententia simplici atque vulgari, deinde vero, cogitationem penitus elaborando, sententiis distinctioribus atque formulis politioribus. Quæ sententiæ vel formulæ secundariæ si a supremo Ecclesiæ magisterio sancitæ fuerint, constituunt dogma[1]. Dogma igitur « oritur ex impulsione quadam seu necessitate vi cuius qui credit in suis cogitatis elaborat, ut conscientia tam sua quam aliorum illustretur magis[2]. Huiusmodi denique elaboratio formularum fit sub ductu sensus religiosi vel cordis atque secundum conditionem statumque hominum temporumque, ideoque, uti aiunt, vitaliter[3].

Quantum ad *naturam* atque conditionem dogmatis inde sequitur : 1° Dogmata non sunt nisi inadæquatæ notæ obiecti fidei ; unde vocantur *symbola* vel similitudines (symbolismus). « Obiectum enim sensus religiosi infinitos habet aspectus quorum modo hic modo alius apparere potest. Similiter homo qui credit, aliis uti potest conditionibus. » Denique tandem dogmata sunt pura *instrumenta* vel vehicula *in exprimendo sensu religioso*[4]. 2° Dogmata necessario et essentialiter sunt *mutabilia*, imo mutanda. Formulas enim oportet esse vitales, sc. « necesse est ut formula primitiva a corde acceptetur atque sanciatur ; item sub cordis ductu sit labor quo secundariæ formulæ progignuntur. » Formulæ igitur accomodatæ esse debent ad sensum atque experientiam religiosam : quæ accommodatio si quavis ex causa cessat, dogmata rationem amittunt atque mutari debent[5]. 3° Dogmata *nullo modo veritatem absolutam continent*, ideoque non sunt proprie credenda, sed « dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, i. e. tanquam norma præ-

1. Cf. D. 2078.
2. D. 2089.
3. Cf. D. 2080.
4. Cf. D. 2079.
5. Cf. D. 2080.

ceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi[1] ». 4° Totam doctrinam de natura dogmatis Loisy in celebri effato complectit : « Dogmata quæ Ecclesia perhibet tanquam revelata, non sunt veritates e cælo delapsæ sed sunt interpretatio quædam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit[2]. »

« Hæc porro *formularum dogmaticarum* cum sit vis ac fortuna instabilis, mirum non est illis modernistis tanto esse *ludibrio* ac despectui ; qui nihil e contra loquuntur atque extollunt nisi sensum religiosum vitamque religiosam. Ideo et Ecclesiam audacissime carpiunt, tanquam devio itinere incedentem, quod ab externa formularum significatione religiosam vim ac moralem minime distinguat, et formulis notione carentibus casso labore ac tenacissime inhærens religionem ipsam dilabi permittat[3]. »

XI. **Evolutio dogmatum.** — Ex his præsuppositis facile intelligitur Modernistarum doctrina de necessitate et ratione evolutionis dogmatum. Etenim « principium generale est : in religione quæ vivat, nihil variabile non esse atque idcirco variandum[4] ». Dogma igitur legibus evolutionis tenetur. Subiectum evolutionis est sensus religiosus, norma et mensura simulque vis impellens ad evolutionem est ratio humana cum suis indigentiis atque conditionibus. Præter has causas subjectivas ponunt etiam influxum Ecclesiæ. Etenim « etsi indigentiæ sive necessitates ad evolutionem impellunt ; his tamen unis acta evolutio transgressa facile traditionis fines atque ideo a primigenio vitali principio avulsa ad ruinam potius quam ad progressionem traheret. Hinc modernistarum mentem plenius secuti, evolutionem ex conflictione duarum virium evenire dicemus quarum altera ad progressionem agit,

1. Decretum *Lamentabili*, prop. 26. Le Roy, qui hanc doctrinam præcipue tuetur, eam per doctrinam pragmatisticam colorare conatur.

2. Decretum *Lamentabili*, prop. 22. Explicationem, quam Loisy in *L'Evangile et l'Eglise*, proponit, infra in capitulo de « formulatione dogmatica » diudicabimus.

3. D. 2080.

4. Cf. D. 2094.

altera ad conversationem retrahit. Vis conservatrix viget in Ecclesia, contineturque traditione. Eam vero exserit religiosa auctoritas ; idque tam jure ipso, est enim in auctoritatis natura traditionem tueri ; tam re, auctoritas namque, a commutationibus vitæ reducta, stimulis ad progressionem pellentibus nihil vel aut vix urgetur. E contra vis ad progrediendum rapiens atque intimis indigentiis respondens latet ac molitur in privatorum conscientiis, illorum præcipue qui vitam propius atque intimius attingunt[1]. »

Quibus expositis objectum et natura historiæ dogmatum satis patet. Objectum erit successiva evolutio sensus religiosi una ex parte, repræsentationum symbolicarum alia ex parte ; tanquam causæ considerandæ erunt necessitas vel impulsio vitalis, labor theologorum, vel etiam laicorum materiam præparantium pro ulteriore evolutione, et magisterium ecclesiasticum approbans vel impediens hanc evolutionem. Historia dogmatum pars historiæ vitæ religiosæ hominum vel potius historia conscientiæ hominum erit, certe fœdi erroris humanitatis ! Nihilominus Modernistæ gloriabantur se rectam formulam invenisse inter rigidum dogmatismum et excessivum criticismum !

XII. Conceptus modernisticus dogmatis a conceptu catholico toto cœlo differt, ut iam in expositione doctrinæ notavimus. Unde Modernismus in Encyclica *Pascendi* damnatur « ut omnium hæreseon conlectum » et ut trahens « ad atheismum et ad religionem omnem abolendam. Equidem protestantium error primus hac via gradum iecit ; sequitur modernistarum error ; proxime atheismus ingredietur ». In Decreto *Lamentabili* errores particulares notantur ; in Iuramento contra errores Modernistarum tum conceptus dogmatis (pars prima et propositio finalis), tum doctrina de evolutione dogmatum[2], tum methodus in historia dogmatum damnatur[3].

XIII. Circa et contra modernismum plurimi scrip-

1. D. 2095.
2. Infra, a. 5, prop. II; c.
3. Infra, a. 18.

serunt. Quantum ad materiam nostram auctores quosdam principaliores indicasse sufficiat.

B. Bauer, *Klarheit und Wahrheit.* Eine Erklärung des Antimodernisteneides, 1911. — Bernardi, V., *Esame de' fondamenti del modernismo.* — Bessmer, *Philosophie und Theologie des Modernismus* (facile opus principale). — Cardinalis Billot, *De immutabilitate traditionis contra hæresim evolutionismi*, ed. 2, 1907. — Donat, *Freiheit der Wissenschaft.* — E. Deho, *La condanna del modernismo.* Appunti polemici. — G. Fontaine, *La théologie du Nouveau Testament et l'évolution des dogmes.* — Eiusdem : *Les infiltrations protestantes.* — A. Gardeil, *Le donné révélé*, ed. 2, 1911. — Garrigou-Lagrange, *Le sens commun, la philosophie de l'être et les formules dogmatiques*; Eiusdem : *Dieu.* Son existence et sa nature. Solution thomiste des antinomies agnostique (opus principale quoad refutationem agnosticismi), ed. 3, Paris, 1920. — Gisler, *Der Modernismus* (optime partem historicam exhibet). — M. Grabmann, *Der Modernismus*, 1911. — Heiner, *Der neue Syllabus Pius X* ; Idem italice : *La dottrina dei modernisti confutata*, trad. Straniero. — Leclerc, *Pragmatisme, modernisme, protestantisme.* — Lemius, *Catéchisme sur le modernisme.* — Lépicier, *De stabilitate et progressu dogmatis*, ed. 2, Romæ, 1910. — Lepin, *Les théories de M. Loisy.* — G. M. Manser, *Die Lehre des Modernismus und der moderne Phaenomismus.* — Maumus, *Les modernistes.* — Mercier, *Le Modernisme.* Sa position vis-à-vis de la science. — Pesch, *Glaube, Dogmen und historische Tatsachen.* — Marx, *Der Eid wider den Modernismus und die Geschichtsforschung.* — Mausbach, *Der Eid wider den Modernismus.* — Michelitsch, *Der neue Syllabus.* — Rosa, *Il giuramento contra gli errori del Modernismo.* — Schultes, *Was beschwören wir im Antimodernisteneid? — Nachträge zur Erklärung des Antimodernisteneides* in *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 1912. — Seitz, *Modernistische Grundprobleme.* — Weber, *Theologie als freie Wissenschaft.* — A. Weiss, *Die religiöse Gefahr* ; Eiusdem : *Lebens und Gewissensfragen der Gegenwart.* — Cf. etiam litteraturam in fine capitis quarti citatam.

III. — ERROR GUNTHERI

XIV. Ultimo, saltem breviter, de errore Antonii Güntheri (1783-1863) tractandum est, utpote qui in suis effectibus adhuc aliquo modo persistit. Güntherus ex sua doctrina noetica conclusionem deduxit omnia *dogmata* mediante inquisitione ideali, quam deductioni logicæ opponit, tanquam necessaria esse *demonstranda*[1]. Revelatio tantummodo propter peccatum originale necessaria reputatur et solummodo quoad modum supernaturalis declaratur. Tamen distinguendum esse docet inter *facta historica* in S. Scriptura consignata et intelligentiam eorum. Hæc intelligentia vi operationis intellectus habetur et « traditionem doctrinalem » et « conscientiam Ecclesiæ » alicuius temporis constituit. Intelligentia deinde doctrinalis ope scientiæ philosophicæ continua incrementa accipit. Ita imperfectior erat in Apostolis quam in ss. Patribus, in quibus tamen minime perfecta, imo admodum manca erat, propter defectum sc. veræ philosophiæ. Denique tamen reperta vera philosophia (Güntheriana), doctrina fidei viam intravit qua ad supremam totius revelatæ doctrinæ intelligentiam perveniat atque ad conclusionem « traditionis doctrinalis », ita (dicit ipse Guentherus) ut *ultra* procedi non posset. In quo scientiæ profectu et dogmatum explicatione ad magisterium Ecclesiæ spectat, inter varios modos intelligendi definire illum qui eo tempore est *aptissimus*. Hac in definitione Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti est quidem infallibilis; at non ideo definitus modus intelligendi dogmatis est perfectissimus. Imo proficiente humano intellectu in aliis scientiis, in philosophia generatim, in psychologia, in philosophia naturæ, prior definitio

1. Guentherus in hoc doctrinam Georgii Hermesii (1775-1831) sequitur. Hermes, hac intentione ductus, ut doctrinam catholicam melius defenderet, statuit, incipiendam esse cum dubio positivo indeque procedendum esse ad demonstrationem doctrinarum revelatarum per rationes intrinsecas. Ita ratio humana ut norma et motivum fidei declaratur. Doctrina Hermesiana damnata est a Gregorio XVI (1835, D. 1618-1621) et a Concilio Vaticano, in Constitutione de revelatione, de fide, et de fide et ratione.

Ecclesiæ apparebit imperfecta et alia perfectior erit necessaria. Definitiones enim quæ ab Ecclesia diversis ætatibus editæ sunt, ait Güntherus, agnoscendæ sunt ut continentes *aliquam veritatem*, non tamen veritatem et veram dogmatis intelligentiam simpliciter. Ita definitio Ephesina de unitate personæ Christi continet *aliquam veritatem* quod sc. Christus fuit homo ab initio suæ existentiæ conjunctus Deo Verbo, sed non continet nec potuit contineri supremam intelligentiam dogmatis, quia sæculo quinto defuit philosophia sæculi decimi noni... Eadem ratione etiam Concilium Tridentinum a Günthero vocatur « quoddam interim, cui utrum definitivum sit successurum, nemo novit ». Generaliter loquendo definitiones dogmaticæ secundum Güntherum non nisi vim et valorem temporaneum habent, usquedum progressus scientiæ novam definitionem exigat.

XV. **Critica et damnatio huius doctrinæ.** — Error fundamentalis Güntheri habetur in identificatione entis cumi dea (Sein = Denken), id est in philosophia Schellingiana[1]. Deinde patet dogmata quæ in Ecclesia catholica sunt, ex ideis naturalibus deduci non posse. Ulterius in S. Scriptura non tantum facta sed etiam doctrinæ continentur, et quidem eædem quæ postea in dogmatibus definitæ fuerunt[2]. Deinde doctrina Güntheriana tollit omnem veritatem et certitudinem fidei quæ sc. secundum profectum scientiæ non variatur, sed tantummodo melius cognoscitur. Certe notio Guentheriana dogmatis aliena est a notione historica et catholica dogmatis. Denique doctrina quoque particularis Güntheri religioni christianæ omnino est extranea[3].

Unde doctrina Güntheri ab Ecclesia merito est damnata, primo a Pio IX[4], postea a Concilio Vaticano[5] et ultimo in Iuramento contra Modernistas qui statuit : « non ut

1. Kuepper, in *Kirchenlexicon*, V², 1331.
2. Pesch, *Prælect. dogm.*, I, 359.
3. Optimam refutationem exhibet Kleutgen, in *Theologie der Vorzeit*, et Schæzler, in *Bedeutung der Dogmengeschichte*.
4. D. 1656, 1709.
5. Sess. 3, c. 4, D. 1800 ; can. de fide et ratione, D. 1816-1819.

id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque ætatis culturam, sed ut nunquam aliter credatur, nunquam aliter intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos prædicata. »

Nihilominus huiusmodi error adhuc, aliqua saltem ratione, persistit, nempe in sententia eorum qui saltem interpretationem dogmatum in Ecclesia vigentem, licet non dogmata ipsa, tanquam fructum et expressionem scientiæ alicuius temporis, præsertim medii ævi diiudicant et per consequens tanquam per altiorem interpretationem emendandam censent[1].

---

1. Doctrinam *Ecclesiæ græcæ schismaticæ* vide apud A. Palmieri, *Theologia dogmatica orthodoxa*, I (1911), p. 11-89. Quatuor conditiones dogmatis assignantur : dogmata sunt 1) veritates theoreticæ, 2) veritates revelatæ, 3) veritates ab Ecclesia formaliter propositæ ut pertinentes ad fidei revelatæ depositum, 4) veritates quibus omnes fideles suum tenentur assensum præbere, p. 11 sqq. Quæ definitio dogmatis sicut doctrina de progressu dogmatico (cf. p. 31 sqq.) (abstractione facta a quibusdam explicationibus) concordat cum doctrina catholica. Tantum, ut bene notat Palmieri, tum de facto tum ex ipso iure Ecclesiarum orthodoxarum, post tempus schismatis deest auctoritas proponens dogmata, p. 63, sqq.

CAPUT SECUNDUM

De progressu vel evolutione dogmatum

Exposita et determinata natura dogmatis, considerandum est, qua ratione et quo modo dogma possit esse obiectum historiæ vel quod in idem redit, qua ratione et quo modo dogma progressum et evolutionem habere possit et habeat : ex eo enim quod dogmata progressum vel evolutionem habent, obiectum historiæ fiunt. Itaque accedendum est ad explicandam et determinandam evolutionem dogmatum.

Iamvero ex definitione dogmatis gravis exurgere videtur difficultas. Nam dogmata sunt veritates revelatæ, infallibiliter ab Ecclesia propositæ, veritates divinæ ; historia autem considerat id quod est humanum, quod progreditur, mutatur, ipsum fieri rerum ; similiter vel nomen progressus et evolutionis conceptui dogmatis contradicere videtur. Ostendendum est igitur qua ratione in ipso dogmate habeatur elementum humanum, successivum, mutatio de uno statu in alium, uno verbo progressus vel evolutio secundum conditiones et per causas humanas.

Quæ tamen difficultas, generaliter considerata, ex ipsa notione dogmatis solvitur. Definivimus enim dogma tanquam veritatem a Deo revelatam et ab Ecclesia ad credendum propositam. In dogmate igitur distinguendum est inter veritatis *revelationem* ex parte Dei et eius *propositionem* ex parte Ecclesiæ. Propositio ex parte Ecclesiæ certe distinguitur a revelatione divina : nam revelatio est proprie actio Dei, propositio vero proprie et immediate est actio Ecclesiæ; deinde revelatio post tempus Christi et Apostolorum est completa, dum propositio ex parte Ecclesiæ post Christum incipit et usque ad finem mundi

continuabitur. Dogma igitur progressum vel evolutionem habere potest, non quidem ex parte revelationis, sed ex parte propositionis veritatis revelatæ.

Secundo in dogmate distinguendum est inter *veritatem* revelatam ipsam et *cognitionem* nostram circa veritatem illam. Neque enim revelatio alicuius veritatis neque assensus (vel etiam gratia) fidei cognitionem, saltem plenam, sensus revelatorum secum ferunt : nam revelatio ipsa tantum possibilitatem talis cognitionis constituit, fides vero tantum assensum ad veritatem revelatam dicit, ideoque cognitionem veritatis credendæ præsupponit ; gratia denique animum fidelis quidem illuminat ad mysteria revelata aliqualiter capienda, tamen secundum necessitatem, conditionem et cooperationem hominum. Unde veritas quidem dogmatis non potest esse subiectum progressus et evolutionis, tamen cognitio nostra de veritate revelata.

Itaque *profectus dogmaticus vel evolutio dogmatum haberi potest, inquantum veritates revelatæ successive ab Ecclesia ad credendum proponuntur et successu temporum perfectius a nobis cognoscuntur.*

Ita revelatio quidem cum Christo et Apostolis est completa, propositio vero revelationis post Christum incipit ac proficit ; in Christo quidem et Apostolis plena fuit cognitio veritatum revelatarum, in reliquis vero fidelibus (exceptis quibusdam casibus particularibus, ut e. g. in B. Maria Virgine) nonnisi partialis quædam et obumbrata cognitio revelationis factæ et acceptæ habetur, quæ tamen successu temporum perfici debet et de facto perficitur.

Quæ quidem duplex ratio profectus dogmatici in concreto simul habetur. Nam propositio revelationis simul cognitionem quandam revelationis importat, cognitionem sc. quod aliqua doctrina sit a Deo revelata, vel etiam cognitionem magis determinatam alicuius veritatis revelatæ, inquantum aliqua doctrina tanquam legitima interpretatio revelationis proponitur ; similiter cognitio sensus revelationis aliquam propositionem importat vel saltem ad propositionem dogmaticam præsupponitur et ad eam præparat et conducit.

Itaque *quæstio de profectu dogmatico vel de evolutione*

dogmatum erit de successiva propositione et cognitione revelatorum[1].

Circa quam quæstionem :

Primo dabimus *conspectum historicum* doctrinæ S. Scripturæ, SS. Patrum et præcipue scholasticorum (sectio 1) ;

Secundo statuemus *doctrinam catholicam de essentia progressus dogmatici* (sectio 2) ;

Tertio determinabimus *doctrinam theologicam de essentia progressus dogmatici* (= de explicatione revelatorum), (sectio 3) ;

Quarto de *proprietatibus* eiusdem *processus* dogmatici inquiremus (sectio 4).

---

1. Cf. infra, a. 17.

SECTIO PRIMA

ARTICULUS QUARTUS

CONSPECTUS HISTORICUS DOCTRINÆ S. SCRIPTURÆ, SS. PATRUM ET PRÆSERTIM SCHOLASTICORUM DE EXPLICATIONE REVELATORUM

I. Non sine gravi ratione conspectum historicum doctrinæ S. Scripturæ, SS. Patrum et scholasticorum præmittimus, antequam quæstionem ipsam more solito determinamus. Possent quidem sententiæ S. Scripturæ, SS. Patrum et scholasticorum data occasione adduci, melius tamen sub uno et in connexu historico exponuntur. Nam *apud scholasticos doctrina completa de progressu dogmatico reperitur, ita tamen ut doctrina de explicatione revelatorum* (ut apud illos vocatur) *ipsa evolutionem habuerit.* Inde non sufficit vel saltem non expedit quod indiscriminatim unus vel alius textus citetur, sed maxime expedit, imo necessarium est doctrinam singulorum scholasticorum in connexu cum tota evolutione considerare et examinare, ut sensus ipsius recte determinari, vis argumentorum perpendi et auctoritas doctrinæ cognosci possit. Inde (uti speramus) doctrina scholastica de evolutione dogmatum melius intelligetur atque veritas ipsius magis patebit, plures controversiæ recentiores cessabunt ; simul exemplum evolutionis alicuius doctrinæ dogmaticæ exhibebitur. Ita, vel cum periculo bis tractandi quasdam quæstiones, conspectum historicum præmittimus[1]. Ad complendam expositionem simul doctrinam S. Scripturæ et SS. Patrum recensemus.

1. Videsis inquisitionem nostram historicam circa doctrinam theologicam de fide explicita et implicita (a Hugone de S. Victore usque ad Concil. Trid.) : *Fides implicita,* Ratisbonae (Pustet), 1920.

Doctrina S. Scripturæ et SS. Patrum

II. *Sacra Scriptura*[1] sicut alias veritates dogmaticas ita doctrinam de progressu dogmatico modo sibi proprio, terminis concretis ac popularibus enuntiat. Primo proponit doctrinam Christi ut Evangelium Dei incarnati adeoque tanquam veritatem absolutam, idque eo magis cum Evangelium Christi sit lex nova novi regni messianici, antiquitus promissi, usque in finem mundi duraturi. Secundo Christus promittit huius Evangelii propagationem et prædicationem per universum mundum et usque in finem temporum ; ita sc. quod Evangelium fiat lex credendi et vivendi in regno Christi[2]. Tertio secundum promissionem Domini Evangelium per Apostolos omnibus gentibus usque ad consummationem sæculorum prædicabitur et specialiter per Petrum. Ita Christus ex sua auctoritate et potestate divina immutatam atque infallibilem conservationem veritatis ab eo revelatæ per modum facti futuri enuntiat.

Inde Christus iam ab initio, vel prima vice manifestando voluntatem Ecclesiæ fundandæ, declarat se velle fundare Ecclesiam indefectibilem, supra petram tanquam fundamentum firmum positam, contra quam nec portæ inferi prævalebunt (Mt. 16, 18). Similiter effective Ecclesiam constituendo, quando sc. in cœlum ascensurus regnum suum ac potestatem suam Apostolis tradidit, ipsis non tantum ius et officium committit : « docete omnes gentes, docete eos servare omnia quæcumque mandavi vobis » (Mt. 28, 19), sed simul promittit ita fore, i. e. per apostolos revera et de facto veritatem Evangelii prædicari, conservari ac applicari, « quia ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi ». In hunc denique finem in vita sua terrestri auxilium Spiritus Sancti exoraverat (Ioh., 14, 16, 17), promiserat (Ioh., 14, 18, 26 ; 16, 13) ac in die Pentecostes Spiritum Sanctum de cœlo misit (Act.,

1. Cf. Mt. 5, 19 ss. ; 13, 17 ; 23, 10 ; 24, 14. 35 ; Mc. 13, 10 ; 16, 15 ss. ; Lc. 24, 44 ss. ; Ioh. 1, 17. 18 ; 3, 15-21 ; 5, 24 ; 15, 1 ss., etc.
2. Mt. 28, 18-20 ; Mc. 13, 10 ; 16, 15-20 ; Lc. 24, 47 ; Ioh. 17.

2, 1 ss.), qui Apostolos et eorum successores « docebit omnia et suggeret omnia » quæcumque Christus dixerit (Ioh., 14, 26).

Specialiter autem Petro promittitur quod tanquam petra firma totum regnum Christi in veritate Christi sustinebit, adversus omnes impetus potestatis adversæ (Mt., 16, 18), ipsi specialiter committitur munus confirmandi fratres (Lc, 22, 32) ac per ipsum denique grex Christi pabulo veritatis pascetur (Ioh. 21, 15-17).

Ita in regno Christi, per Petrum et Apostolos, sive in persona propria sive in eorum legitimis successoribus, in virtute mandati et promissionis Christi et assistentiæ Spiritus Sancti, Evangelium Christi indefectibiliter, immutabiliter adeoque infallibiliter conservatur, prædicatur, docetur et creditur. Hinc doctrina fidei Ecclesiæ docentis atque fides Ecclesiæ credentis semper erit identica cum Evangelio Iesu Christi vel cum veritate revelata divina : Ecclesia tum paganis tum Iudaeis Evangelium Christi opponet ; Ecclesia veritatem Evangelii contra corruptores et falsos doctores intactam ac immutatam defendet et conservabit ; Ecclesia in omni quæstione ac necessitate occurrente ea populos docebit quæ Christus dixerit ; Ecclesia et maxime Petrus pabulum doctrinæ convenientis providebit. Ita Evangelium Christi omni creaturæ prædicabitur.

Inde *Apostoli* « acceptis mandatis... Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt adnuntiantes regni Dei adventum[1] », anathematizantes eos qui evangelizarent « præterquam quod evangelizamus vobis » (*Gal.*, 1, 8) ; explicaverunt evangelium Christi, ut præsertim Paulus in suis epistolis ; in concilio Hierosolymitano quæstiones fidei exortas definiverunt (*Act.*, 15) ; doctrinam a Christo acceptam aliis atque aliis terminis vel formulis gentibus proposuerunt, ut Iohannes in Prologo sui Evangelii (Verbum) et Paulus in suis epistolis[2].

1. I Clementis ad Romanos, c. 42, 3.
2. Cf. infra, a. 13.

III. Similiter *Ecclesia* temporum subsequentium Evangelium Christi tanquam fide divina tenendum proponit ; symbolum apostolicum tanquam « regulam fidei » edocet, tuetur atque explicat, primo quidem per magisterium ordinarium, mox vero declarationibus specialibus ; contra Gnosticos veritatem divinam atque absolutam fidei christianæ defendit · doctrinam traditam novis terminis ac formulis exprimit ; damnat Arianos, Nestorianos, Pelagianos et alios hæreticos, determinando atque explicando per sollemnes definitiones sensum genuinum veritatis revelatæ.

Ita Ecclesia via facti progressum dogmaticum edocet, exercendo munus sibi concreditum docendi, interpretandi, definiendi ac defendendi depositum fidei, teste tota historia Ecclesiæ, præcipue Conciliorum ac Romanorum Pontificum. Ecquidem Ecclesia priorum sæculorum huiusmodi progressum non sentiebat tanquam problema, imo ipsum quasi exclusive tanquam conservationem ac interpretationem fidei traditæ considerabat. Inde in singulis controversiis de novis doctrinis quæstio exclusive de conformitate doctrinæ propositæ cum doctrina S. Scripturæ et traditionis versabatur : antequam enim progressus ipse ut factum historicum ante oculos positus erat, progressus ipse non poterat causare quæstionem.

Inde definitiones Conciliorum doctrinam de progressu dogmatico manifestant inquantum sc. partes symboli apostolici successive determinantur, novis terminis vel formulis adhibitis. Canones de peccato originali et de gratia expresse tanquam conformes « ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis » declarantur[1] et ut interpretationes S. Scripturæ quæ sc. « non aliter intelligenda est[2] ». Inde Papa Simplicius scribit : « Quia s. m. prædecessorum nostrorum extante doctrina contra quam nefas est disputare, quisquis recte sapere videtur novis assertionibus non indiget edoceri, sed plana atque perfecta sunt omnia[3] ». Novam inquisitionem opportunam ducit,

1. Indiculus « de gratia Dei », D. 141.
2. Concil. Carthag. (a. 418), D. 102.
3. D. 159.

« cum aliquid in pravis sensibus novum aut in assertione dogmatum emersit *ambiguum* : ut ... si quæ esset *obscuritas*, sacerdotalis deliberationis *illuminarel* auctoritas ; sicut primum Arii ac deinde Nestorii... fieri coegit impietas[1]. » Expresse Conc. Constp. II (553) confitetur « *fidem* tenere et prædicare ab initio donatam s. apostolis, quam et s. Patres confessi sunt et *explanaverunt* et s. ecclesiis tradiderunt, et maxime qui in sanctis quatuor synodis convenerunt[2] ». Similiter Concilia sequentia[3]. Vetus igitur Ecclesia proprie in *identitate* prædicationis ecclesiasticæ et definitionum Conciliorum cum doctrina a Christo Apostolis tradita insistit. Eodem modo SS. Patres rem considerant.

IV. Inter *Patres* apostolicos *S. Ignatius* Antiochenus fidem profitetur quæ est in Iesum Christum prout in symbolo baptismi exhibetur[4], quæ fides in Ecclesia extat et ab hæreticis negatur[5]. Huiusmodi fidem vel doctrinam simpliciter tanquam fidem Dei vel Christi considerat[6], tamen prout ab episcopis proponitur : unde tanquam certissimum signum et medium veræ fidei, contra « canes rabidos » hæreticos, in omnibus epistulis unionem cum episcopo inculcat : « Quotquot enim Dei et Iesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo ; et quotquot redierint ad unitatem Ecclesiæ, hi Dei erunt ut secundum Iesum Christum vivant[7]. » Profectus igitur dogmaticus ponitur in doctrina Ecclesiæ, adiuncta refutatione hæreticorum.

S. *Polycarpus* fidem Ecclesiæ simpliciter ut datam[8], traditam[9], ab antiquis temporibus annuntiatam[10] considerat, dum hæretici eloquia Domini ad desi-

1. L. c.
2. D. 212.
3. Cf. D. 254. 293. 302.
4. Smyrn. 1 ; Trall. 9.
5. *Eph.*, 16, 2 ; Trall. 6, 7 ; Philad., 3, 1.
6. *Eph.*, 16, 2 ; 17, 2.
7. Philad., 3, 2.
8. Phil., 3, 3.
9. 4, 2.
10. 1. 2.

deria sua traduxerint[1], et homines in errorem inducant[2]. « Ideo, ait, relinquentes vanitatam multorum et falsas doctrinas ad traditam nobis ab initio doctrinam revertamur[3]. » Ita patres apostolici simpliciter identitatem doctrinæ sui (et sequentis) temporis cum doctrina Christi inculcant, mutationem terminorum vel explicationem doctrinæ interim factam ut per se legitimam considerantes.

S. Irenæus contra Gnosticos fidem Ecclesiæ catholicæ defendit tanquam unice et absolute veram, a Domino Apostolis traditam, ab Apostolis Ecclesiæ communicatam et in ipsa per Apostolorum successores per certum veritatis charisma infallibiliter conservatam[4]. Huius fidei substantia in symbolo baptismi continetur[5], quod proinde est regula fidei[6], explicanda et determinanda secundum doctrinam Apostolorum Ecclesiæ traditam : unde et ipse Irenæus in libro quinto Adversus Hæreses et maxime in Epideixi doctrinam symboli Apostolici determinat. Totum igitur profectum dogmaticum in cognitione doctrinæ Apostolorum, in plena explicatione symboli Apostolorum reponit, quæ est vera γνῶσις, « tractatio plenissima neque additamentum neque ablationem recipiens[7] ».

Origenes primus aliquam doctrinam explicitam de progressu fidei proponit, in prologo sc. operis « De principiis ». Tanquam principium ponit scientiam fidei non aliunde quam ex verbis et doctrina Christi esse hauriendam (n. i.). Iamvero « multi ex his qui Christo credere se profitentur, non solum in parvis et minimis discordant, verum etiam in magnis et maximis : i. e. vel de Deo vel de Domino Jesu Christo vel de Spiritu Sancto. Propter hoc necessarium videtur prius de his singulis certam lineam manifestamque regulam ponere, tum deinde et de cæteris quærere » (n. 2). Regula est : « Servetur ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad præsens

1. 7, 1.
2. 6, 3.
3. 7, 2.
4. *Adversus Hær.*, III, 3-5 ; III, 24 ; IV, 26 ; V, 20.
5. *A. H.*, 1, 10 ; Demonstratio, c. 6.
6. *A. H.*, I, 9, 4 ; 22, 1 ; II, 27, 1 ; 28, 1 ; III, 2, 1 ; 12, 6.
7. *A. H.*, IV, 33, 7.

in Ecclesiis permanens : illa sola credenda est veritas quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione » (l. c.). Deinde distinguit duplex genus veritatum in traditione apostolica. Nam « sancti Apostoli fidem Christi prædicantes, quæcumque necessaria crediderunt, omnibus... manifestissime tradiderunt, rationem sc. assertionis eorum relinquentes ab his inquirendam qui Spiritus dona excellentia mererentur, et præcipue sermonis, sapientiæ et scientiæ gratiam per ipsum Spiritum S. percepissent ; de aliis vero dixerunt quidem quia sunt, quomodo autem aut unde sint, siluerunt, profecto, ut studiosiores quique ex posteris suis qui amatores essent sapientiæ, exercitium habere possent, in quo ingenii sui fructum ostenderent, hi videl. qui dignos se et capaces ad recipiendam sapientiam præpararent » (n. 3). Ita in ecclesiastica prædicatione quædam sunt quæ sunt definita (n. 4), de quibus totius Ecclesiæ una sententia est (n. 8) et quæ manifeste traduntur (n. 4), quædam vero « inquirenda sunt pro viribus de sacra Scriptura et sagaci perquisitione investiganda » (n. 4). Habetur igitur secundum Originem profectus in cognoscenda doctrina Christi, et quidem ex hac duplici ratione quia Apostoli non omnes veritates eodem modo aperto docuerunt et quia non omnes veritates æqualiter in prædicatione ecclesiastica extant ; profectus fit principaliter per ecclesiasticam prædicationem, deinde per homines charismatice illuminatos ac denique per studiosam inquisitionem ; fructus vero huiusmodi profectus erit magis manifesta prædicatio, cognitio rationis veritatum fidei, cognitio sensus et fundamentorum doctrinæ fidei.

S. Athanasius mentem suam aperit occasione defendendæ definitionis Concilii Nicæni. Statuit enim, vocabula : « ex substantia » et « consubstantialis » non esse nisi legitimam interpretationem vel expositionem terminorum S. Scripturæ, qua sc. error Arianorum efficacius repellatur. Unde De decretis Syn. Nic. hæc scribit : « Cum Filii ex Patre generatio alia plane sit a natura hominum, nec solum similis ille sit substantiæ Patris sed dividi ab ea non queat, cum unum ipse et Pater sint semperque Verbum sit in Patre et Pater in Verbo (Ioh., 10, 30), idcirco syno-

dus, ea re perspecta, eum esse consubstantialem recte scripsit, ut et hæreticorum perversitatem everteret, et Verbum aliud a rebus factis ostenderet. Hinc illa voce scripta statim Patres subiungunt : « His vero qui dicunt Filium Dei ex nihilo... esse vel creatum..., anathema dicit... Ecclesia. » Quibus utique dictis aperte declaratur his vocabulis « ex substantia » et « consubstantialis » deleri impietatis vocabula, quibus aiunt Filium esse rem creatam[1]... ». Definitionem igitur Nicænam ut identicam doctrinæ revelatæ statuit, institutam ob necessitatem refellendi Arianos. Unde prosequitur : « Itaque si illi verba ista velut nova ac peregrina admittere recusant, sententiam ipsam admittant quam synodus hic indicare voluit... Quod si rursus murmurent, quod illa in Scripturis non extent, hoc ipso tanquam futiles ac mente non sani sunt reiiciendi. Seipsos porro hic etiam potissimum accusent quod primi huic rei locum dederint qui ipsi excogitatis vocibus quæ in Scripturis non habentur, bellum Deo cœperint inferre. Noverit tamen quisquis studiosus fuerit, etiamsi ipsæ voces ita in Scripturis non extent, sententiam tamen quam continent, vere ex Scripturis haberi[2] ». Similiter Dionysium Alexandrinum adducit docentem[3] : « Etsi hanc vocem (sc. consubstantialitatis) in Scripturis non inveni, tamen earumden Scripturarum mentem colligens agnovi, ipsum, cum Filius et Verbum sit, non posse a Patris substantia esse alienum[4] ».

Sententiam Athanasii *S. Gregorius Naz.* prosequitur. Quoad formulas « ingenitus » et « anarchus » scribit : « Nonne perspicuum est, hæc de iis sumpta esse ex quibus colliguntur, tametsi minime dicantur ? Quibus tandem ? « Ego sum primus et ego sum post hæc » (Is., 41,4). Et « Ante me non est alius Deus et post me non erit » (Is., 43,10). Totum enim illud « est », meum est nec principium habens nec finem habiturum. His a Scriptura acceptis, illud quidem quod ante eum nihil sit nec antiquiorem ullam ipse

1. De decretis, 20.
2. L. c., c. 21.
3. De sententia Dionysii, 20.
4. Cf. De Synodis, c. 41, 53.

causam habeat, anarchum et ingenitum appellasti : quod autem nunquam esse desiturus sit, immortale atque interitus expers[1] ». Eadem ratione divinitatem Spiritus S. defendit quam sc. non expressis verbis in S. Scriptura enuntiatam reputat. « Quod si te bis quinque aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem; aut ex eo, quod animal ratione præditum et mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi nugari viderer ? Et quo pacto id fieri posset, *cum tua dicam* ? Quemadmodum igitur hic non ea magis quæ dicuntur quam ea quæ intelliguntur (τα νοούμενα) respicerem : eodem modo nec, si aliquid aliud eorum quæ vel nullo modo vel certe non satis aperte dicuntur, ex Scriptura tamen intelligi colligique (νοούμενον) reperirem, adeo te vocabulorum sycophantam pertimescerem ut ab enuntiatione (ὄνομα) ipsa refugerem[2] ».

S. Augustini sententia elucet præcipue ex duplici capite : primo ex eius doctrina de auctoritate infallibili Ecclesiæ, secundo ex proprio magisterio theologico. Etenim « ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, *contra omnes hæreses pugnans : pugnare potest, expugnare non potest*[3] ». Unde fidem veram et fidem Ecclesiæ simpliciter identificat. » Quod fides vera et catholica semper tenet Ecclesia[4] ». « Ecclesiam catholicam tene, a regula veritatis noli discedere[5]. » Ita totum opus theologicum S. Augustini est in explicanda et defendenda doctrinæ Ecclesiæ.

Distinguit tamen S. Augustinus inter simplicem fidem ac intellectum fidei. Etenim fidei confessio « quæ breviter symbolo continetur, carnaliter cogitata lac parvulorum est, spiritualiter autem considerata atque tractata cibus est fortium[6] ». Adhuc magis distinguit inter doctrinam Ecclesiæ auctoritate comprobatam et doctrinam incertam vel controversam. Aliud est « quod pertinet ad ipsa fidei

1. Oratio 31 (theol. 5), c. 23.
2. Oratio 31 (theol. 5), c. 24.
3. De symbol. ad cat., serm. 1, c. 6, 14.
4. Ep. 186, c. 1, 3.
5. Ennarrat. in ps. 30, n. 8.
6. *Enchirid.*, 30, al. 114.

fundamenta, et alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi et optimi regulæ catholicæ defensores salva fidei compage non consonant[1] ». Nam distinguitur « error ferendus in quæstionibus non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiæ auctoritate firmatis, et error non ferendus qui ipsum Ecclesiæ firmamentum quatere molitur[2] ».

Maxime fidem occasione hæresis vel alterius controversiæ explicatam fuisse denuntiat. « Multa quippe, ait, ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietitudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius et intelliguntur clarius et instantius prædicantur, et ab adversario mota quæstio discendi extitit occasio[3] ». Similiter in quæstione de baptismate : « Quomodo potuit ista res, tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci nisi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus et collationibus episcoporum pertractata constaret ? Hoc autem facit sanitas pacis ut cum diutius aliqua obscuriora quæruntur et propter inveniendi difficultatem diversas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, nec in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris[4] ». Quædam alia capita doctrinæ S. Augustini mox (n. 5) exponemus.

Magis iam ad *profectum* considerandum *Vincentius Lerinensis* in « Commonitorio » accedit, licet denique et ipse profectum sub ratione identitatis doctrinæ consideret. Vincentius præsupponit unumquemque catholicum debere « duplici modo munire fidem suam domino adiuvante, primum sc. divinæ legis (scripturæ) auctoritate, tum deinde Ecclesiæ catholicæ auctoritate » (2 al. 1). Inde statuit regulam generalem : « In ipsa item catholica ecclesia magnopere curandum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est ; hoc est

1. *Contra Julian.*, I, 6, 22.
2. Sermo 294, n. 4.
3. *De civit. Dei*, 16, 2.
4. *De Bapt.*, II, 4. 5.

etenim vere proprieque catholicum. Sed hoc ita demum fiet si sequamur universitatem antiquitatem consensionem » (2 al. 3). « Adnuntiare ergo aliquid christianis catholicis præter id, quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit » (9 al. 13). His excluditur quidem permutatio fidei, non vero profectus fidei. « Sed forsitan dicit aliquis : Nullus ergo in Ecclesia profectus habebitur religionis ? Habeatur plane et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet ut in semetipsum unaquæque res amplificetur, ad permutationem vero ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiæ-ætatum ac sæculorum gradibus-intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem sc. dogmate, eodem sensu, eademque sententia » (23 al. 28).

Id quod denique per analogiam corporis et segetis crescentis explicatur. « Quodcumque igitur in hac Ecclesiæ Dei agricultura fide patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur ». Fas est enim, ut prisca illa cælestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur, sed nefas est ut commutentur, nefas ut detrucentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem » (23 al. 30). Ita « Christi Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit ; non amputat necessaria, non apponit superflua ; non amittit sua, non usurpat aliena ; sed omni industria hoc unum studet ut vetera fideliter sapienterque tractando : si qua illa sunt antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat ; si qua iam expressa et enucleata, consolidet et firmet ; si qua iam confirmata et definita, custodiat. Denique quid unquam aliud conciliorum decretis enisa est nisi ut, quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius

crederetur ; quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur ; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur ? Hoc inquam, semper neque quidquam præterea, hæreticorum novitatibus excitata, conciliorum suorum decretis catholica perfecit Ecclesia nisi ut, quod prius a maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, et plerumque propter intelligentiæ lucem non novum fidei sensum novæ appelationis proprietate signando » (23 al. 32). E contra hæreticorum proprium est « ut contenti non sint tradita et recepta semel antiquitus credendi regula, sed nova ac nova in diem quærant, semper aliquid gestiant religioni addere, mutare, detrahere ; quasi non cæleste dogma sit quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio quæ aliter perfici nisi assidua emendatione, imo potius reprehensione, non posset » (21 al. 26).

Patres vero *græci* præsertim infallibilitatem doctrinæ Ecclesiæ, i. e. explicationis fidei ab Ecclesia propositæ, extollunt, præsertim contra hæresum monstra. Ita *S. Epiphanius* post expositionem octoginta hæresum, expositurus suam fidem, Ecclesiam alloquitur : « Cum ad te pervenerimus, a tristissimis illis hæresum molestiis... aliquando cessemus..., conquiescentes in te, sancta mater Ecclesia, et *in sancta doctrina tua ac sancta pariter solaque Dei fide* et *veritate* respiremus[1] ». Nam Ecclesia est « unica virgo et casta, eademque sponsa, columba, agna, sancta Dei civitas, fides ac firmamentum veritatis, firma petra, contra quam portæ inferi non prævalebunt[2]. »

Conclusio. Ex dictis sequitur : **Tum Scriptura Sacra tum vetus Ecclesia progressum dogmaticum agnoscunt ac naturam ipsius determinant.** — Evangelia quidem progressum dogmaticum tamquam *rem futuram* annuntiant, inquantum Christus ex sua auctoritate divina Apostolos iubet ut doctrinam suam semper immutatam

1. Expositio fidei, c. 2, M. P. G., 42, 778.
2. *A. H.*, 80. hær. n. 11.

ac integram omnibus proponant, ac inquantum ex sua potestate divina promittit rem ita futuram fore ; Ecclesia vero vetus progressum dogmaticum *via facti* edocet, exercendo sc. munus sibi commissum docendi, interpretandi, definiendi et defendendi depositum fidei. Ita S. Scriptura præcipue præceptum divinum et auxilium assistentiæ Christi et illuminationis Spiritus S. ad indefectibilem et infallibilem prædicationem et expositionem doctrinæ evangelicæ inculcat ; Ecclesia vetus instat in asserenda identitate prædicationis ecclesiasticæ cum verbo Dei revelato ; concilia vetera suas definitiones dogmaticas tanquam intellectum verum ac debitam interpretationem doctrinæ fidei exhibent ; SS. Patres insuper successivam manifestationem, explicationem et determinationem (per novos terminos) doctrinæ traditæ edocent.

Progressus igitur dogmaticus in Sacra Scriptura sub ratione prædicationis indefectibilis Evangelii Christi repræsentatur, per concilia Ecclesiæ sub ratione determinationis auctoritativæ et obligatoriæ fidei traditæ, per S. Patres sub ratione profectus in cognitione fidei et infallibilis determinationis circa quæstiones controversas fidei. Itaque tota antiquitas circa factum evidens progressus dogmatici immutabilitatem et identitatem doctrinæ inculcat.

Transimus nunc ad doctrinam scholasticorum. Prius tamen quædam doctrinæ S. Augustini exponendæ sunt, in quibus sc. doctrina scholasticorum priorum fundatur.

S. AUGUSTINUS

V. *S. Augustinus* sequentia docet, quæ sunt fundamentum et origo totius doctrinæ scholasticæ de evolutione dogmatum.

a) *Eadem* est *fides*, qua iusti tum Veteris tum Novi Testamenti salvati sunt, quicumque salvati sunt. « Eadem namque est fides nostra et illorum ; quoniam hoc crediderunt illi futurum quod nos credimus factum ; et sacramenta quidem potuerunt esse pro temporum diversitate diversa, sed ad unitatem tamen eiusdem fidei concordis-

sime concurrentia[1] ». « Eadem credebant eademque sperabant omnes iusti et sancti etiam temporum illorum[2] ». *b*) *Semper fides in Christum fuit necessaria.* « Quantalibet priscæ virtutis antiquos prædices iustos, non eos salvos fecit nisi fides mediatoris[3] ». « Sine fide incarnationis et mortis et resurrectionis Christi nec antiquos iustos ut iusti essent, a peccatis potuisse mundari et Dei gratia iustificari, fides christiana non dubitat[4] ».

c) *Alio* tamen *modo* quædam in Veteri, et alio modo in Novo Testamento creduntur. « Fides quæ tempore Veteris Testamenti *velabatur*, tempore Novi Testamenti *revelatur*[5] ». « Antiqui iusti sacramentis suis intelligebant venturam prænuntiari revelationem fidei, ex qua licet adhuc *operta* et *abscondita*, etiam ipsi videbant... Tunc ergo *occulta* erat *fides*. Nam eadem credebant eademque sperabant omnes iusti et sancti etiam temporum illorum. Nunc autem revelata est fides, in quam conclusus erat populus, quando sub lege custodiebatur[6] ». « Gratia revelata est per primum mediatoris adventum. Quæ quidem gratia nec antea defuit quibus eam oportuit impertiri, quamvis pro temporum dispensatione *velata* et *occulta*. Neque enim antiquorum quicumque iustorum præter Christi fidem salutem potuit invenire, aut vero nisi et illis cognitus fuisset, potuisset nobis per illorum ministerium alias apertius alias occultius prophetari[7] ».

In Novo vero Testamento distinguit duplicem intellectum fidei. « Ex ista fidei confessione quæ breviter symbolo continetur, et *carnaliter* cogitata lac parvulorum est, *spiritualiter* autem considerata atque tractata cibus est

1. *Contra duas ep. Pelag.*, l. 1, c. 21 ; cf. super Ioh. tr. 45, n. 9 ; ep. 157, c. 3, n. 4 ; *De cat. rud.*, c. 17, n. 28.
2. *Contra Faustum*, l. 19, c. 14.
3. *Contra duas ep. Pelag.*, l. 1, c. 21 ; *De gratia Christi et de pec. orig.*, l. 2, c. 24 ; serm. 264, n. 5 ; ennarr. in ps. 104, n. 10 ; ep. 102.
4. *De peccato originali*, l. 2, c. 24 ; *De corrept. et gratia*, c. 7, n. 11; *De Civit. Dei*, l. 18, c. 47.
5. Ep. 89, n. 3 ; serm. 11, n. 3 et in locis ad *a*) citatis.
6. *Contra Faustum*, l. 19, c. 14.
7. *Enchiridion*, c. 118.

fortium, nascitur spes bona fidelium, cui charitas sancta comitatur[1] ».

d) *Symbolum Apostolicum* est summa quædam fidei. « Symbolum est *summa* aut *collectio fidei nostræ* simplex, brevis et plena, ut simplicitas rusticitati fidelium correspondeat, brevitas memoriæ et plenitudo doctrinæ[2] ». « Symbolum est ergo *breviter complexa regula fidei*... Symbolum dicitur in quo se cognoscant Christiani ; hoc est quod primum vobis pronuntiabo. Deinde... aperiam vobis : ut quod tenere vos volo et intelligere valeatis[3] ».

Doctrina S. Augustini optime exponit doctrinam Ecclesiæ de unitate salutis et fidei in utroque testamento ; fundatur in doctrina Apostoli de charactere typico V. T. (*I Cor.*, 10, 6. 11 : « Hæc omnia in figura (τυπικως) contingebant illis et *Gal.*, 3, 23 : « Prius quam veniret fides, sub lege custodiebamur *conclusi* (συνκλειόμενοι) in eam fidem, quæ revelanda erat »).

Hugo de S. Victore et Magister Sententiarum

Hanc doctrinam S. Augustini secuti, scholastici quæsierunt utrum sit una fides antiquorum et modernorum, utrum fides creverit vel utrum articuli fidei creverint et quid singulis temporibus et hominibus explicite fuerit credendum : ad quas quæstiones solvendas distinctionem inter fidem implicitam et explicitam statuerunt.

VI. Ita primus *Hugo de S. Victore*, « maximus inter theologos dogmaticos sæculi XII[4] », quæstionem posuit « de incremento fidei[5] ». Duplex incrementum distinguit[6] : « Secundum cognitionem fides crescit quando eruditur ad scientiam. Secundum affectum crescit quando ad devotionem excitatur et roboratur ad constantiam »

1. *Ench.*, c. 114.
2. Sermo 119, De tempore.
3. De symbolo, G. MORIN, S. AUGUST. tractatus inediti, Monaci, 1917, p. 2.
4. M. GRABMANN, *Geschichte der scholast. Methode*, II, 279.
5. *De sacramentis christianæ fidei*, MIGNE, P. L. 176, 332 ss.
6. Cf. SCHULTES, *Fides implicita*, I, 21 ss.

(c. 4). In c. 6 quærit utrum fides secundum mutationes temporum mutata sit. Reiicit sententiam illorum qui ponunt, ab omnibus omni tempore eadem fuisse credita vel cognita. « Hæc si vera sunt aut in antiquis temporibus fuit perrara salus aut nimium numerosa perfectio » (col. 336). Unde respondet : « Quocirca rectam fidem consulentes... confiteamur : et cognitionem eorum quæ ad fidem pertinent, sicut in uno eodemque tempore secundum capacitatem diversorum differentem agnoscimus, ita quoque per successionem temporum ab initio incrementis quibusdam auctam in ipsis fidelibus non dubitemus. Unam tamen et eandem fuisse fidem præcedentium et subsequentium : in quibus tamen eadem cognitio non fuit, sic indubitanter confitemur quemadmodum in his quos in nostris temporibus fideles cernimus eandem fidem et tamen non eandem fidei cognitionem invenimus. Crevit itaque per tempora fides in omnibus ut maior esset, sed mutata non est ut alia esset. Ante legem Deus creator credebatur et ab eo salus et redemptio exspectabatur ; per quem vero et quomodo salus implenda et perficienda foret, exceptis paucis quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, a cæteris fidelibus non cognoscebatur. Sub lege autem persona redemptoris mittenda prædicabatur et ventura exspectabatur ; quæ autem ipsa persona hæc foret, homo an angelus an Deus, nondum manifestabatur. Soli hoc cognoverunt, qui per spiritum singulariter ad hoc illuminati fuerunt. Sub gratia autem manifeste omnibus iam et prædicatur et creditur et modus redemptionis et qualitas personæ redemptoris. Semper tamen in Ecclesia Dei ab initio fidem et cognitionem fuisse credimus incarnationis et passionis Christi ; quia ab initio nunquam defuerunt qui hoc cognoverunt. Alii salvabantur quia horum perfectioni fide simplici jungebantur et eos bene operando sequebantur[1] » (col. 339).

VII. Subsequentes scholastici quæstionem positam di-

1. Hugo de S. Victore hic (sicut iam S. Bernardus, Tractatus de baptismo, Migne, P. L. 182, 1040 s.) impugnat doctrinam oppositam Abælardi : *Theol. christ.*, l. 4 (Migne, P. L. 178, 1285), *Introd. ad theol.*, l. 2, c. 6, l. 1, c. 15. Cf. *Rev. Thomiste*, 1920, p. 276.

verso modo tractaverunt. Abbas *Ioachim de Floris* et sectatores eius (Gerardus de Borgo San Donino, Angelus de Clareno, Ubertinus de Casale) quendam *mysticismum apocalypticum* docuerunt, quasi explicatio fidei in tribus distinctis et perfectioribus periodis fieret ita quod in periodo tertio, post Franciscum Assisinensem, haberetur explicatio pure spiritualis omnium Evangeliorum, sc. in Evangelio æterno. Alii per viam pure *dialecticam* progressi sunt, pure secundum considerationem logicam fidem antiquorum et christianorum comparantes[1]. Ita Stephanus *Langton* in capitulo « De antiquis patribus, utrum crediderint eosdem articulos quos et nos » hanc specialem difficultatem movet :« Abraham credidit Christum esse incarnandum, nos vero credimus Christum esse incarnatum, et ista penitus sunt diversa. » Ita quoque Præpositinus, Duns Scotus[2] et alii[3].

Maiores vero scholastici quæstionem ex principiis theologicis sòlvere conati sunt, premendo vestigia Hugonis de S. Victore.

VIII. Quæstionem formaliter posuit *Magister* Sententiarum[4], l. 3, d. 25. Ibi in capitulo « de fide antiquorum » et « simplicium » doctrinam S. Augustini et Hugonis resumit ,sc. nullum, etiam in Veteri Testamento, salvatum esse nisi per fidem in Christum. « Quid ergo dicetur de illis simplicibus quibus non erat revelatum mysterium incarnationis, qui pie credebant quod illis traditum fuit ? Dici potest nullum fuisse iustum vel salvum cui non esset facta *revelatio vel distincta vel velata, vel in aperto vel in mysterio ; distincta* ut Abrahæ vel Moysi aliisque maioribus qui distinctionem articulorum fidei habebant ; *velata* ut simplicibus quibus revelatum erat, ea esse credenda quæ credebant illi maiores et docebant, sed eorum distinctionem apertam non habebant. Sicut et *in Ecclesia* aliqui minus capaces sunt qui *articulos* symboli *distinguere* et assignare

1. Cf. Grabmann, *Geschichte der scholastischen Methode*, II, 277 s.
2. 3 D. 25 q. unica, ultimo.
3. Cf. S. Thomas, *De Verit.*, q. 14, a. 12.
4. Cf. Schultes, *Fides implicita*, I, 27 ss.

non valent, *omnia* tamen credunt quæ in symbolo continentur ; credunt enim quæ ignorant, habentes *fidem velatam in mysterio ;* ita et tunc minus capaces ex revelatione sibi facta maioribus credendo inhærebant quibus fidem suam quasi committebant » (c. 2. de fide simplicium). Similiter resumit doctrinam Hugonis de S. Victore : « Videtur profecisse fides secundum temporis processum sicut profecit cognitio » (c. 1).

Itaque Petrus Lombardus quæstionem de profectu fidei solvit mediante distinctione inter fidem velatam et fidem distinctam, ponendo sc. *profectum a fide velata ad fidem distinctam :* quæ doctrina est fundamentum et origo distinctionis inter fidem implicitam et explicitam et doctrinæ de *progressu a fide implicita ad fidem explicitam.* Doctrina tamen Magistri iterum fundatur in doctrina S. Augustini supra n. v, lit. c., exposita.

Doctrina Magistri Sententiarum maxime attendenda est, quia statum quæstionis usque ad sæculum XIV repræsentat. Scholastici enim medii ævi doctrinam de explicatione revelatorum quasi exclusive occasione commentarii in d. 25 Lombardi proponunt. Lombardus vero primo quærit de *profectu* fidei vel augmento articulorum quoad tempus *ante Christum* vel Apostolos ; non est igitur proprie quæstio de evolutione dogmatica, sed de explicatione fidei per revelationem. Tamen occasione quæstionis positæ iam Magister doctrinam ad explicandam evolutionem dogmaticam applicat et multo magis posteriores magni scholastici. Secundo Magister quæstionem formaliter posuit de augmento *articulorum* fidei qui sunt articuli symboli fidei. Tertio distinctionis formula apud Lombardum est : fides distincta-velata, fides in aperto-in mysterio, fides velata in fide maiorum. Hic modus loquendi in usu remansit usque ad sæculum XIV. Prima vice tamen loco formulæ : « fides velata-distincta » invenitur formula : « credere implicite-explicite » apud Petrum de Corbeil († 1220) : « In veteri lege colebant trinitatem implicite, modo autem explicite[1] ». Aliæ formulæ sunt : fides in universali vel in generali-fides distincta vel in particulari. Tamen terminus

1. DENIFLE, *Luther und Lutherium,* Quellenbelege, p. 93.

fides explicita-implicita mox principalem locum obtinuit, et quasi terminus technicus evasit[1].

Doctrina Alexandri Halensis, S. Bonaventuræ, B. Alberti Magni, Petri de Tarentasia (B. Innocentii V), S. Thomæ, Duns Scoti et Richardi a Mediavilli.

A. *De profectu fidei*

Quoad profectum fidei omnes tenent *fidem omni tempore fuisse eandem, crevisse vero quoad cognitionem, non per novorum articulorum additionem, sed per implicitorum explicationem.*

Ad huius doctrinæ intelligentiam sequentia sunt notanda. Scholastici maiores *proprie* et directe tractant de profectu fidei, comparando *Vetus Testamentum* ad *Novum*. Ideo quæstio directe est de profectu fidei *per novas revelationes*. Indirecte tantum et consequenter simul profectus fidei in Novo Testamento explicatur. Sicut tamen Petrus Lombardus ita et scholastici sæc. XIII ante oculos habent doctrinam S. Augustini *de unitate fidei in V. et in N. T.* Inde quærunt, quomodo *fides* in V. et in N. T. sit *eadem*, utrum sit eadem fides « modernorum » (= in N. T.) et antiquorum » (= in V. T.), non obstante profectu revelationis. Ita scholasticis non sufficit dicere : fides crevit secundum progressum revelationis, sed simul et quam maxime explicare conantur, quomodo in profectu revelationis unitas fidei servata fuerit. Unde scholastici primo quidem tenent, fidem omni tempore fuisse eandem ; secundo omnes supponunt, fidem crevisse quoad cognitionem, sc. propter revelationes novas ; tertio tamen docent, posteriores revelationes non esse simpliciter vel absolute

1. Ita apud INNOCENTIUM III, *De Officio missæ, Innocentium IV, qui in Apparatu quinque librorum decretalium*, ed. 1554, determinat quid a singulis explicite sit credendum. Cf. SCHULTES, *Fides implicita*, I, 34 ss. GUILHELMUS ANTISSIODORENSIS primus expresse, « *De fide implicita et explicita* », tractat : *Summa Aurea*, l. 3, tr. 3, c. 1, q. 5. Cf. SCHULTES, *Fides implicita*, I, 24 ss.

novas sed explicationem vel determinationem exactiorem præcedentis revelationis, quippe quæ adhuc indeterminata vel vaga fuit, ut iam Victor de S. Hugone posuerat (cf. supra n. VI). Posteriores igitur revelationes continebantur implicite in priori revelatione et progressus revelationis fit « per explicationem implicitorum » ac denique profectus fidei est profectus a fide implicita ad fidem explicitam : profectus tum revelationis tum fidei est profectus organicus.

IX. Ita *S. Bonaventura* (3 d. 25 a. 2 q. 1) docet : « Credibilia multiplicari potest dupliciter intelligi : vel quantum ad novorum articulorum additionem vel quantum ad implicitorum explicationem. Si primo modo intelligatur, sic non est concedendum fidem profecisse quantum ad credendorum multitudinem ; si secundo modo, sic profecit secundum processum temporis, quia quod uno tempore credebatur implicite et quasi uno articulo, processu temporis explicatum est et quasi distinctum in multa credibilia ; sicut sufficiebat aliquo tempore credere Redemptorem futurum, nunc autem circa ipsum Redemptorem septem articuli explicantur et multa ex illis consequentia et connexa manifestantur ». Secundum igitur Bonaventuram « fides profecit quantum ad credibilium multitudinem, *non nova addendo*, *sed quodam modo implicita explicando* » (l. c.), « profecit fides quodammodo *extensive* quantum ad articulorum explicationem » (d. 25 a. 2 q. 3 coroll.), ista multiplicatio articulorum secundum quam dicimus fidem profecisse, *non mutat obiectum secundum substantiam*, sed secundum accidens, quia implicitum explicat » (d. 25 a. 2 q. 1 ad 2). Unde « crevit *fides* ut *maior* esset, sed mutata non est ». Idem docet quasi eisdem verbis *Richardus a Mediavilla* († c. 1306) : « Fides non crevit quantum ad credendorum multitudinem novorum articulorum additione, sed per implicatorum explicationem, quia quæ aliquo tempore implicite proponebantur credenda et implicite credebantur, postea per processum temporis explicite sunt ad credendum proposita et explicite credita » (d. 25 a. 5 q. 1).

Iam antea *Alexander Halensis* docuerat veritatem

creditam non crevisse in se, sed secundum suum effectum : crevit quoad usum, sc. cognitione, constantia et firmitate, fervore et devotione, actione et operatione (*Summa*, p. 2, q. 81, m. 2).

Duns Scotus quæstionem sic ponit : « Utrum actus fidei antiquorum fuerit de eodem credibili de quo est noster actus » (3. d. 25, q. 1, ultimo). Breviter respondet : « Credo quod non sunt aliqua in novo Testamento, quæ non possunt extrahi de veteri in aliquo sensu allegorico vel tropologico vel anagogico ». De cætero Scotus quæstionem modo potius dialectico tractat, utrum sc. fides in redemptorem venturum et præsentem sit de eadem propositione logica.

Petrus de Tarantasia (Innocentius V) sic docet : « Numerus credendorum dupliciter potest accipi : vel credendorum explicite vel implicite. Numerus credendorum implicite non est augmentatus, sed numerus credendorum explicite augmentatus est. Huiusmodi vero augmentum accidentale est fidei, non substantiale, et potius attenditur ex parte credentium quam creditorum » (3 d. 25 q. 5, a. 1). Ad quæstionem, utrum « fides modernorum sit maior fide antiquorum « respondet, fidem modernorum esse maiorem quoad cognitionem secundum statum communem », « licet secundum statum aliquarum personarum sit æqualis » : est autem maior « aut revelatione gratiæ, aut perceptione doctrinæ, aut eventu sive evidentia rei creditæ, aut studio et meditatione » (3. d. 25, q. 5, a. 2). Numerus igitur credendorum non semper fuit manifestus (ad 1), habetur profectus ex parte discipulorum (revelationis-fidelium) (ad 2) vel quoad nos (ad 3).

Albertus Magnus eodem sensu docet : « Quoad intellectum (fides crescit) quatuor modis, sc. revelatione desuper illuminante, doctrina explicante, re credita eveniente et studio veritatis intellectum aperiente. Revelatione quidem : quia qui ampliores revelationes accipit, lucidius creditum videt et melius percipit. Doctrina explicante : quia quanto articulus pluribus proprietatibus exprimitur vel plures articuli exprimuntur, tanto melius intelliguntur. Re credita etiam eveniente crescit scientia fidei : quia sicut dicit Hieronymus, quod oculis videtur, melius in-

telligitur quam id quod futurum prædicitur. Studio vero aperitur etiam ratio intelligendi creditum... quia fides quandoque per studium quærit intellectum. » (3 d. 25 a. 1). Unde concludit : « Non creverunt articuli in se, sed crevit articulorum explanatio et revelatio » (ad 2).

Eandem doctrinam, etiam quoad formulam, *S. Thomas* tenet. In Commentario in *Sententias* ad quæstionem de profectu fidei sic respondet (3 d. 25 q. 2 a. 2 q. 1) : quoad quantitatem articulorum fides nec crescit nec deficit, cum semper eadem maneat ; quoad cognitionem vero potest fides proficere, ipsa manente eadem, secundum diversas conditiones hominum. « In his (enim) quæ sunt fidei accidit quod oportuit paulatim humanum intellectum assuefieri ad ea quæ fidei sunt ; propter quod Dominus discipulis dixit (Ioh. 16. 12) : « Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo » (ad 2.). In Quæst. disputatis, *De Veritate*, q. 14 a. 12 quærit : « utrum una sit fides modernorum et antiquorum ». In resp. primo reprobat sententiam eorum qui dixerunt, idem enuntiabile esse enuntiabile de præterito (Christus passus est), quod nos credimus, et de futuro, quod antiqui crediderunt (Deus Christus est passurus). Secundo removet sententiam quæ tenebat fidem esse eandem, quia fides non sit de enuntiabili, sed de re et res credita sit eadem. Tertio respondet : « Obiectum fidei dupliciter potest considerari : vel secundum se, prout est extra animam, et sic habet proprie rationem obiecti et ab eo accipit habitus multitudinem vel unitatem ; vel secundum quod est participatum in cognoscente. Dicendum est igitur, quod si accipiatur id quod est obiectum fidei, sc. res credita, prout est extra animam, sic est una, quæ refertur ad nos et ad antiquos : et ideo ex unitate rei fides unitatem recipit. Si autem consideretur secundum quod est in acceptione nostra, sic plurificatur per diversa enuntiabila, sed ab hac diversitate non diversificatur fides ». « Scire (enim) in universali (implicite) et particulari (explicite) non diversificat scientiam nisi quantum ad modum sciendi, non autem quantum ad rem scitam a qua habitus habet unitatem » (ad 1.). Ita S. Thomas reiecta explicatione pure dialectica, unitatem fidei ex ratione habitus fidei explicat. Nam cum S. Augus-

tino dicit : « Hoc pro firmo tenendum est unam fidem esse antiquorum et modernorum : alias non esset una Ecclesia ».

Magis explicite rem explicat in *Summa theologica* II. II. q. 1 a. 7 : « utrum secundum successionem temporum articuli fidei creverint ». Ubi notandum est-sicut ex statu quæstionis apud alios scholasticos, tamen etiam ex ipso textu S. Thomæ patet : S. Thomas hoc in articulo *non* quærit de augmento *dogmatum* in ipsa Ecclesia post Christum, sed de augmento articulorum a principio mundi usque ad tempus Christi et Apostolorum. Unde iam in Sed contra adducit textum vel auctoritatem principalem sc. textum Gregorii M., in Ezechiel, hom. 16, c. 12 (al. hom. lib. 2, hom. 4, Migne, P.L., 76, 980 s.). Gregorius ibi enuntiat : « Per incrementa temporum crevit scientia spiritualium patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus Prophetæ quam Moyses, plus Apostoli quam prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt ». In hoc sensu Gregorius concludit : « quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur » (l. c.). Similiter notandum est S. Thomam loqui tantum de articulis fidei proprie dictis qui sc. in Symbolo fidei continentur. S. Thomas sic respondet :

« Ita se habent in doctrina fidei articuli fidei, sicut principa per se nota in doctrina quæ per rationem naturalem habetur : in quibus principiis ordo quidam invenitur ut quædam in aliis implicite contineantur, sicut omnia principia reducuntur ad hoc sicut ad primum : Impossibile est simul affirmare et negare... ; et similiter omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, sc. ut credatur Deus esse et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud ad Heb. 11, 6 : « Accedentem ad Deum oportet credere quia est et quod inquirentibus se remunerator sit. » In esse igitur divino includuntur omnia quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit : in fide autem providentiæ includuntur omnia quæ temporaliter dispensantur ad hominum salutem, quæ sunt via in beatitudinem. Et per hunc modum aliorum subsequentium articulorum quidam in aliis continentur : sicut in fide

redemptionis humanæ implicite continentur et incarnatio Christi et eius passio et omnia huiusmodi. Sic ergo dicendum est quod *quantum ad substantiam articulorum fidei non* est factum eorum *augmentum* per temporum successionem : quia quæcumque priores crediderunt, continebantur in fide præcedentium patrum, licet implicite ; sed *quantum ad explicationem crevit numerus articulorum :* quia quædam explicite cognita sunt a posterioribus quæ a prioribus non cognoscebantur explicite. Unde... Apostolus dicit ad Ephesios 3, 5 : « aliis generationibus non est agnitum (mysterium Christi) sicut nunc revelatum est Sanctis Apostolis eius et Prophetis. » S. Thomas igitur in hoc articulo sicut alii theologi augmentum articulorum per revelationem successivam explicat, ita tamen quod omnes articuli sunt explicationes duorum primorum credibilium, in quibus implicite continebantur, implicitatione sc. *ex parte rei creditæ*. Ita numerus articulorum quoad substantiam non crevit et salvatur unitas fidei in N. et V. Testamento. Explicatio igitur facta est per novas *revelationes* quibus revelatio iam facta magis determinatur vel explicatur.

Id quod S. Thomas in responsis ad obiectiones magis explicat, quorum sensus exinde facilius patet. In ad 2. docet explicationem revelatorum fieri successive per respectum ad homines : « sicut magister qui totam novit artem, non statim a principio tradit eam discipulo qui eam capere non posset, sed paulatim condescendens eius capacitati : et hac ratione profecerunt homines in cognitione fidei per temporum successionem : unde Apostolus comparat ad Gal. 3, 24 statum veteris testamenti pueritiæ ». Idem docet in ad 3, comparando humanitatem materiæ quæ ab imperfecto ad perfectum procedit : « In manifestatione fidei (= in revelatione) Deus est sicut causa agens qui habet perfectam scientiam ab æterno : homo autem est sicut materia recipiens influxum Dei agentis ; et ideo oportuit quod ab imperfectis ad perfectum procederet cognitio fidei in hominibus : et licet in hominibus quidam se habuerint per modum causæ agentis, quia fuerunt fidei doctores : tamen manifestatio spiritus (= revelatio) datur talibus ad utilitatem communem, ut dicitur *Cor.*

12, 7 : et ideo tantum dabatur patribus (patriarchis et prophetis) qui erant institutores fidei, de cognitione fidei, quantum oportebat pro tempore illo populo tradi, vel nude vel in figura ». In resp. ad 4. explicat cur *revelatio in Christo sit completa.* Nam « ultima consummatio gratiæ (ordinis supernaturalis) facta est per Christum ; unde et tempus eius dicitur tempus plenitudinis » (*Gal.*, 4, 4). Simul inde explicat cur in tempore Christi, immediate ante et post ipsum, haberetur perfectio revelationis. « Et ideo illi qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante, sicut Iohannes Baptista, vel post, sicut Apostoli, plenius mysteria fidei cognoverunt (i. e. pleniorem revelationem habuerunt) : quia et circa statum hominis hoc videmus quod perfectio est in iuventute ; et tanto habet homo perfectiorem statum, vel ante vel post, quanto est iuventuti propinquior » (cf. ad 1)[1].

Nota. Attendas igitur, quoad resp. ad 4, quod S. Thomas exclusive de complemento *revelationis* in tempore Christi loquitur ; unde cessant difficultates Caietani (in h. l.), Bannez, (l. c.), Iohannis a S. Thoma (de fide, q. 1 disp. 6 a. 2), Suarez (*De fide*, disp. 2, s. 6).

Idem S. Thomas docet in II. II q. 174, a. 6 : utrum *gradus prophetiæ* varietur secundum temporis processum. S. Thomas distinguit triplicem statum prophetiæ : Abraham, Moyses, Christus. In singulis tribus statibus semper succedentes revelationes fundabantur super excellentiorem, primo factam. « Ita etiam in tempore gratiæ super revelationes factas Apostolis de fide unitatis et Trinitatis fundatur tota fides Ecclesiæ » (cf. etiam ad 1).

Scholastici igitur maiores primo *explicationem* revelationis *per novas revelationes* explicaverunt : « explicatio credendorum fit per revelationem divinam ». Tamen principia ab illis tradita optime, servata analogia, ad explicationem fidei per magisterium Ecclesiæ applicari possunt, sicut et applicatæ fuerunt. Nam etiam in evolutione dogmatum in ipsa Ecclesia augmentum credendorum habetur per explicationem revelatorum, non habetur

1. Cf. Schultes, *Dogmenentwicklung oder Entwicklung der Offenbarung* in *Theologie und Glaube*, 1919 (XI), 192-201.

augmentum credibilium quoad substantiam, inquantum sc. tantum iam revelata explicantur, tamen non per novas revelationes sed per solam expositionem, non per ulteriorem determinationem aliquorum in universali tantum revelatorum sed per puram determinationem et formulationem sensus iam revelati. Unde formula scholasticorum apta est tam ad definiendam evolutionem dog matum quam ad explicandam evolutionem revelationis. Denique rationes scholasticorum pro successiva revelatione multo magis valent pro successiva evolutione dogmatum. Nam et in hac evolutione oportet condescendere capacitati hominum (II. II q. 1 a. 7 ad 2.), procedere ab imperfecto ad perfectius (l. c. ad 3), datur manifestatio spiritus ad utilitatem et secundum necessitatem (l. c. ad 3), oportet humanam mentem assuefieri ad credibilia (S. Thomas, l. 3 d. 25 q. 2 a. 2 q. 1), proficit cognitio Deo desuper illuminante, doctrina explicante, re credita eveniente (e. g. quoad Ecclesiæ constitutionem) et studio veritatis intellectum aperiente (sive ex parte doctorum sive ex parte Ecclesiæ proponentis[1]). Ita denique iam in hoc capitulo habetur sufficiens doctrina de evolutione dogmatum.

Attamen scholastici etiam *directe* saltem aliquam partem evolutionis dogmatum in ipsa Ecclesia explicare conati sunt, et quidem editionem Symboli apostolici et sequentium Symbolorum. Cum Symbolum sit principale et primarium factum in evolutione dogmatum, sive historice sive dogmatice loquendo, doctrina scholasticorum circa hoc factum maximi est momenti.

B. *De editione symboli*

X. Scholastici maiores primo omnes tenent *Symbolum* esse *collationem omnium veritatum principalium fidei*, factam per Apostolos. Albertus Magnus (3. d 24 a. 7) refert verba Cassiani, quod Symbolum ideo collatio dicitur, « quia collata in unum ab Apostolis Domini totius catholicæ legis fidei, quidquid per universum divinorum

1. Albertus M., 3, d. 25, a. 1 ; Petrus a Tarantasia, 3 d. 25, q. 5, a. 2.

voluminum corpus immensa funditur copia, totum in symbolum colligitur brevitate perfecta... Hoc ergo abbreviatum verbum quod fecit Dominus, fidem sc. duplicis testimonii sui in pauca colligens et sensus omnium scripturarum in brevi concludens, sua de suis condens et vim totius legis brevitate perficiens ». Similiter *S. Bonaventura* (3 d. 25 a. 1 q. 1) tenet in Symbolo apostolico sufficienter contineri ea quæ sunt principalia et propria in doctrina fidei. Consentit *Richardus* a Mediavilla : « Istud symbolum ad certam veritatis brevem traditionem et expressionem fuit compositum » (3 d. 25 a. 2 q. 1 ad 1). Idem *S. Thomas* : 3. d. 25 q. 1 a. 1 q. 3 ; *Summa theol.*, II. II. q. 1 a. 9.

S. Thomas etiam *rationes* huius *collationis* assignat. In Commentario in Sententias breviter enuntiat : « Ex diversis locis sacræ Scripturæ colliguntur ea quæ credenda sunt, ut in promptu habeantur » (3 d. 25 q. 1 a. 1 q. 3). « Oportuit ea quæ in diversis locis Sacræ Scripturæ tradita sunt, in unum colligi locum, ut fides magis in promptu habeatur » (l. c. ad 1). Symbolum « editum fuit ad proponendam fidem » (l. c. ad 4). In Summa theologica (II. II, q. 1 a. 9), ad quæstionem, utrum convenienter articuli fidei in symbolo ponantur », i. e. utrum convenienter compositum et propositum sit symbolum, respondet : « Sicut Apostolus dicit ad Hebræos 11, 6 : « Accedentem ad Deum oportet credere : credere autem non potest aliquis, nisi ei veritas quam credat, proponatur ; et ideo necessarium fuit fidei veritatem in unum colligi ut facilius posset omnibus proponi, ne aliquis per ignorantiam fidei a veritate deficeret ; et ab huiusmodi sententiarum fidei collectione nomen symboli est acceptum ». Id quod in resp. ad 1. amplius explicatur : « veritas fidei in Sacra Scriptura diffuse continetur et variis modis et in quibusdam obscure, ita quod ad eliciendum fidei veritatem requiritur longum studium et exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem ; quorum plerique aliis negotiis occupati studio vacare non possunt ; et ideo fuit necessarium ut ex sententiis Sacræ Scripturæ aliquid manifestum summarie colligeretur, quod proponeretur omnibus ad cre-

dendum : quod quidem non est additum Sacræ Scripturæ, sed potius ex Sacra Scriptura sumptum ».

Quomodo vero *omnes veritates fidei in Symbolo continentur*, cum in illo nihil habeatur e. g. de inspiratione S. Scripturæ et de Eucharistia ? Ad hanc quæstionem aliter respondent Albertus M., Bonaventura et S. Thomas. Omnia credibilia in tres classes dividunt : in *articulos*, in *præsupposita* vel antecedentia, et in *consequentia* vel corollaria. Ita *Albertus M.* docet (3 d. 24 a. 8) :« Sicut in aliis scientiis quædam sunt principalia et quædam substantialia, ut principales conclusiones artis, quædam autem consequentia, ut conclusiones secundariæ, ex quibus tamen ulterius potest aliquid inferri in opere artis, sicut in geometria suppositiones et theoremata et corollaria, sic etiam est in fide. Et primo oportet meo iudicio supponere hoc quod exigit credere Deum et Deo : et hoc est Deum esse et verba sua in Scriptura esse vera : et illa sunt suppositiones et dignitates (= axiomata). Articuli autem ipsi ut conclusiones principales scientiæ, et ea quæ pertinent ad bonos mores, ut corollaria sequentia. »

S. Bonaventura scribit : « Doctrina fidei quædam habet antecedentia, quædam consequentia, quædam principalia sua obiecta. Sicut in aliis scientiis videmus esse quædam principia communia, quæ supponuntur sicut dignitates, quadam vero sunt principia propria illarum scientiarum, ut sunt intrinseca principia suarum demonstrationum, quædam vero sunt sicut consequentia, sicut sunt conclusiones corollariæ : per hunc etiam modum in doctrina fidei antecedentia sunt illa quæ sunt de dictamine iuris naturalis ; principalia vero sunt illa ad quæ fidei illuminatio directe dirigit : et ista dicuntur articuli ; consequentia sunt illa quæ ex illis articulis possunt elici et ad illos articulos habent sequi.

In Symbolo igitur apostolico omnia principalia et propria continentur, alia vero ut antecedentia et consequentia tantum. Unde Albertus M., (3 d. 24 a. 6), Bonaventura (3 d. 25 a. 1 q. 1), immo etiam S. Thomas (licet sub alio respectu) (3d. 25 a. 2 q. 1, S. Th., II. II, q. 1 a. 8) quærunt, ad quosnam articulos aliæ doctrinæ fidei « reducantur », ut e. g. doctrina de Eucharistia. Ubi notandum est

« consequentias vel corollaria » secundum sententiam scholasticorum non ita in articulis contineri ac si per solam rationem ex eis deduci possint, sed simili quodam modo quo particulares articuli in quibusdam generalibus articulis continentur, ut passio Christi in redemptione.

S. Thomas similem quandam distinctionem tenet, licet eam minus expresse proponat. *Præsupposita* ad fidem sunt illæ doctrinæ de Deo quæ demonstrative probari possunt. Hæ, si simul revelatæ fuerint, « inter credenda numerantur, non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes (sc. non sicut mysteria quæ aliter quam per fidem cognosci non possunt), sed quia *præexiguntur* ad ea quæ sunt fidei, et oportet ea saltem per fidem *præsupponi* ab his qui eorum demonstrationem non habent » (II. II q. 1 a. 5 ad 3). *Articuli* sunt partes vel classes principales et organicæ veritatum revelatarum (II. II q. 1. a. 6-9). *Consequentia* sunt veritates revelatæ particulares quæ *in articulis implicite* continentur, quæ « ad unum articulum pertinent » (II. II q. 1 a. 6), in uno articulo « includuntur » vel sub uno « comprehenduntur » vel ad « unum ordinantur » (II. II q. 1 a. 8 ad 2 et 3), sicut Eucharistia « concluditur sub omnipotentia Dei » (l. c., ad 6).

S. Thomas tamen profundius rationem articulorum perscrutatur. In II. II, q. 1 primo determinat obiectum formale fidei (a. 1-5), deinde obiectum materiale. Circa hoc primo inquirit utrum credibilia sint per certos articulos distinguenda, i. e. utrum tota summa veritatum revelatarum sit dividenda in quasdam partes, sicut corpus in sua membra dividitur, quasi in partes principales et organicas (a. 6) : quæ partes credibilium articuli vocantur. S. Thomas distinguit inter *credibilia per se*, sc. quæ nos directe ordinant in vitam æternam (quæ hodie vocantur « res fidei et morum[1] », et *credibilia in ordine ad alia*, quæ sunt credenda « non quasi principaliter intenta sed ad prædictorum manifestationem, sicut quod Abraham habuit duos filios » (ad 1). Sola per se credenda sunt distinguenda in diversos articulos.

1. Cf. supra, p. 13 s.

Secundo S. Thomas docet : divisio credibilium in articulos fit secundum quod in credibilibus occurrit aliquid speciale non visum vel ubi habetur specialis difficultas ad credendum : quia obiectum fidei est non visum (corp. art.). « Ideo, ubi occurrit aliquid speciale ratione non visum, ibi est specialis articulus ; ubi autem multa secundum eandem rationem sunt cognita vel non cognita, ibi non sunt articuli distinguendi... (vel) pertinent ad unum articulum » (l. c.). Ita divisio credibilium in articulos ostenditur necessaria ex habitudine fidei ad credibilia.

Inde tertio magis patet quomodo *in articulis omnes veritates* (per se) *revelatæ* contineantur. Cum enim per articulos omnia credibilia in suas partes principales et organicas dividantur, articuli manifeste omnia credibilia continent, sicut membra corporis (ut partes principales corporis) continent omnes partes particulares. Ita articuli quidem unam doctrinam revelatam explicite exhibent, ut e. g. doctrinam Incarnationis, in ea vero omnes aliæ doctrinæ ad Incarnationem pertinentes implicite continentur : et ita doctrinæ particulares proprie « ad unum articulum pertinent », « in uno articulo includuntur », « sub uno comprehenduntur », « ad unum ordinantur » et Eucharistia « concluditur sub omnipotentia Dei » vel « sub Ecclesia sancta ». Ita secundum S. Thomam « articuli » per accidens revelata quidem non continent, tamen omnia per se revelata, sive explicite sive implicite.

De huiusmodi articulis S. Thomas deinde quærit, utrum successione temporum per revelationem creverint (a. 7) ; utrum convenienter enumerentur, i. e. utrum articuli qui in symbolo enumerantur et prout a theologis distinguuntur, sint partes principales credibilium (a. 8) ; utrum convenienter in symbolo ponantur, i. e. per modum symboli ad credendum proponantur (a. 9). Ita S. Thomas dat rationem theologicam primæ operationis dogmaticæ, propositionis sc. symboli : symbolum est propositio partium principalium credendorum, facta propter necessitatem et utilitatem fidelium. Doctrina S. Thomæ de symbolo hucusque est optima inter omnes explicationes, saltem quoad rationes theologicas, et optime consonat sententiæ Ecclesiæ antiquæ quæ symbolum tanquam regulam fidei considerat.

C. *De explicatione symboli*

XI. Præter factum historicum Symboli apostolici scholastici maiores explicant factum historicum Symbolorum sequentium. Doctrina generalis et communis tenet *symbola subsequentia non esse nisi explicationem et determinationem Symboli apostolici.* Ita *Albertus M.* (3 d. 24 a. 7), quærendo « de differentia symbolorum », respondet (ad 3) : « omnia alia Symbola interpretantur Symbolum apostolicum : et nihil addunt sed quod inerat prius, explicant » ; « Symbolum Patrum (Nicæn.) est explanatio contra hæreses » (ad 4) ; « Symbolum Apostolorum non continet nisi simplicem fidei confessionem..., sed Symbolum Patrum... continet fidei explanationem, disputando contra hæreticorum clamorem (ad 5) ; Symbolum Athanasii præcipue continet « explanationem vel potius extirpationem Arianæ perfidiæ et prolixe omnia quæ in Nicæno posita sunt » (ad 6). Similiter *S. Bonaventura* (3 d. 25 a. 1 q. 1) : « Alia Symbola duo, vid. Athanasii et Nicæni Concilii, addita sunt ad fidei maiorem explanationem et hæresum confutationem » (ad 5) ; « Symbolum apostolorum pauciora continet quam aliud, quia est ad præcisam articulorum expressionem ; alia vero duo Symbola sunt ad hæreticorum confutationem. Unde etsi in aliis addatur quantum ad expressionem quorundam articulorum, non tamen articuli exprimuntur magis plene ». « Et sic patet quod ista Symbola non superfluunt ; nec tamen Symbolum Apostolorum fuit diminutum, quia quamvis in illo fides sufficienter contineatur quantum ad propriam et simplicem fidei confessionem, opportunum tamen fuit aliquid addi ad explanationem propter confutandam hæreticam pravitatem. »

S. Thomas, II. II a. 1 q. 9 sic docet : « In omnibus symbolis eadem fidei docetur veritas : sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per hæreticos corrumpatur : et hæc fuit causa quare necesse fuit edere plura Symbola, quæ in nullo alio differunt nisi quod in uno plenius explicantur quæ in alio continentur implicite, secundum quod

exigebat hæreticorum instantia » (ad 2). « Non enim symbolum sequens abolet præcedens sed potius illud exponit » (ad 4) ; « Symbolum Patrum est declarativum symboli Apostolorum » (ad 6.)

Scholastici igitur maiores *evolutionem dogmaticam tanquam explicationem symboli Apostolici considerant.* Ratio huiusmodi considerationis historica habetur in eo quod maior pars definitionum veteris Ecclesiæ facta est per modum determinationis Symboli Apostolici ut in veteribus Conciliis, ratio vero theologica in doctrina scholasticorum de officio et natura Symboli Apostolici. Nihilominus iam veteres Scholastici ulteriorem evolutionem considerabant.

Ita iam *Albertus M.* doctrinam de diversitate Symbolorum hac additione complet (3 d. 24 a. 7 ad 7) : « Si urgeret necessitas, adhuc posset Papa convocato concilio peritorum et invocato Spiritu Sancto aliquid quod implicite continetur in Symbolo Apostolorum, explanare et ponere inter articulos explicitos : quia hoc non esset novum articulum invenire, sed eum qui semper erat, explicare : et hoc dicit Anselmus in libro Proslogiorum. » Quæ doctrina Alberti videtur fuisse ratio vel occasio celebris a. 10 q. 1 S. Thomæ : « Utrum ad summum Pontificem pertineat fidei symbolum ordinare. » Tanquam ratio ordinationis symboli assignatur hæc : « Quia una fides debet esse totius Ecclesiæ... ; quod servare non posset nisi quæstio fidei exorta determinaretur... ut sic sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur » (corp. art.). Equidem « in doctrina Christi et Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicita : sed quia perversi homines Apostolicam doctrinam et cæteras doctrinas et scripturas pervertunt ad sui ipsorum perditionem..., ideo necessarium fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores » (ad 1). Non enim nova editio Symboli « aliam fidem continet sed eandem magis expositam : sic enim quælibet synodus observavit, ut sequens synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens synodus exposuerat, propter necessitatem alicuius hæresis insurgentis » (ad 2). Rationem vero quod editio symboli ad Romanum Ponti-

ficem pertineat in eo ponit, quod ad eius « autoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei ut ab omnibus inconcussa fide teneantur » (corp. art.).

Conclusio. Scholastici igitur sæc. XIII *progressum dogmaticum* determinant tanquam *successivam propositionem et explicationem credibilium* (= revelatorum). *Propositio* præcipua revelatorum habetur in editione symbolorum, primo symboli apostolici, deinde symbolorum subsequentium. Præter illa habentur definitiones Romani Pontificis quibus quæstiones fidei exortæ finaliter determinantur. *Explicatio* credibilium fit per determinationem revelatorum. Et quidem dupliciter. Uno modo *per novas revelationes :* et ita habetur profectus revelationis — « explicatio revelatorum fit per revelationem divinam » (II. II q. 2 a. 6) — ; alio modo absque nova revelatione *per solam explicationem*, expositionem, manifestationem, præcisam expressionem (formulationem) *veritatum iam revelatarum* : et ita habetur profectus dogmaticus. Hoc modo symbolum apostolicum est summaria collectio veritatum (per se) revelatarum, hoc modo symbola subsequentia (i. e. Nicænum et Constantinopolitanum) explicant symbolum apostolicum, hoc modo definitiones Pontificiæ ea quæ sunt fidei, finaliter determinant. Itaque terminus « *explicationis fidei* » est proprie *formula scholasticorum* qua essentia progressus dogmatici exprimitur[1].

Scholastici sæculi XIV et XV et usque ad Concilium Tridentinum

XII. Post tempus magnorum scholasticorum quæstio de evolutione dogmatum minus directe agitatur ; referuntur potius sententiæ maiorum scholasticorum. Ita *Durandus* a. S. Portiano de editione symboli (idem valet de quacumque definitione) scribit : « Fuit duplex utilitas condendi symbolum, sc. certa et facilior cognitio credendorum et maior cautela contra fraudem hæreticorum fidem corrumpentium (3 d. 25 q. 2). Et addit (ad 1) :

1. De distinctione scholasticorum inter fidem (revelationem) explicitam et implicitam videsis infra n. XXIX et a. 6 et 7.

« Supra S. Scripturam nihil addendum est quod sit dissonum Sacræ Scripturæ, ipsam in aliquo corrumpens, sed bene potest addi illud quod per Sacram Scripturam habet amplius declarari, secundum illud Eccli. 14 : « Qui elucidant me, vitam æternam habebunt ». Ea enim quæ sparsim continentur in S. Scriptura et sunt ad credendum necessaria, utile est de S. Scriptura excerpere et in unum colligere ad faciliorem instructionem simplicium et contra versutiam hæreticorum, et sic factum est per symbolum. » Similiter adhuc *Gabriel Biel*, « ultimus scholasticus », ad quæstionem : « Utrum successu temporum creverunt articuli fidei », respondet cum S. Bonaventura : « Fidem profecisse intelligi potest quantum ad quantitatem dupliciter : vel quoad novorum articulorum additionem vel quoad implicatorum explicationem. Quoad novorum articulorum additionem non crevit, quia quotquot novi articuli per exhibitionem additi sunt, tot veteres de futuri exspectatione desierunt... Quantum vero ad explicationem crevit, quia *clarius* explicata est fides adveniente veritate quam sub umbra figurali. Quantum vero ad devotionem crevit adveniente temporis plenitudine : propter luminis plenitudinem *in veritatis exhibitione*, propter maiorem gratiæ diffusionem in caritatis ostensione, propter *clariorem eruditionem* in verbi salutis prædicatione. Nunc fides etiam *aptius* prædicatur... Quantum vero ad firmitatem similiter crevit tum propter maiorem devotionem, tum etiam propter *clariorem cognitionem*. Illorum enim articulorum fides firmior est quos credens aptius cognoscit et quibus devotius acquiescit » (3 d. 25 q. un. dub. 2).

Attamen in periodo usque ad Concilium Tridentinum maxima *mutatio status quæstionis* contigit. Scholastici maiores quæstionem sub hac forma posuerunt : « Utrum *articuli* fidei vel fides creverit », sicut quæsierant utrum articuli fidei explicite sint credendi ; nunc vero, relicta quæstione de articulis, ponitur conceptus « *veritatis catholicæ* » quo nomine *omnia credibilia* significantur. Quæstio non amplius est : quid est articulus, quænam credibilia sunt articuli, quinam articuli sunt explicite credendi et inquantum ; sed quæritur : quid est veritas catholica, quænam doctrinæ sunt veritates catholicæ, quænam sunt

necessario explicite credendæ vel sciendæ[1]. Ita sub nomine veritatum catholicarum proprie ponitur quæstio de dogmate. In doctrina circa hanc quæstionem simul fructus specialis huius periodi habetur, licet responsio data nondum fuerit completa nec penitus exacta.

Rationes huius mutationis status quæstionis est *Nominalismus* qui problemata profundiora maiorum scholasticorum vel eorum modum considerandi theologicum repudiabat et quæstionem secundum normam et modum logicæ nominalisticæ solvere conabatur. Ita nominalistæ primo relicta divisione credibilium in articulos, antecedentia et consequentia, imo etiam relicta distinctione S S. Thomæ in credibilia per se et in ordine ad alia, omnia credibilia simpliciter et uniformiter sub conceptu logico veritatis catholicæ collegerunt. Non parvi momenti est secundo conceptus nominalisticus fidei. Nam Nominalistæ communiter tanquam obiectum fidei immediatum statuerunt aliquam propositionem universalem qua mediante aliæ propositiones particulares crederentur. Ita *Durandus* a S. Portiano tanquam propositionem quæ sit obiectum fidei principale, vi cuius omnes aliæ propositiones fidei creduntur et ad quam fiat ultima resolutio credibilium, proponit propositionem : « Ecclesia a Spiritu Sancto regitur. » Per hanc enim, docet, tanquam per medium assentimus omnibus creditis, sicut per demonstrationem assentimus scitis » (3 d. 25 q. 1). *Brevicoxa* († 1423), professor in Universitate Parisiensi, tanquam primam propositionem statuit : omnia a Deo revelata vera sunt[2]. Mediante hac propositione et fide acquisita deinde omnes veritates particulares creduntur .Similiter Gabriel *Biel* eandem propositionem tanquam obiectum proprium fidei infusæ considerat (3 d. 23 q. 2, a. 1, nota 1). Tertio intervenit distinctio inter fidem infusam et acquisitam, eo sc. sensu quod fides infusa, saltem immediate, solummodo promptitudinem ad credendum et supernaturalitatem actus det, assensus vero immedite fiat per fidem acquisitam[3].

1. Videsis Schultes, *Fides implicita*, I, p. 139-199.
2. *De fide et Ecclesia* in Ioh. Gerson, Opera omnia, 1, 812.
3. Biel, 3 d. 23, q. 2 ; Ioh. de Bassolis, 3 d. 23, q. 1 ; Franciscus Lychetus, 3 d. 23, q. unica.

Quæstio igitur nunc posita est hæc : *quænam sunt veritates catholicæ. Occam* duas sententias refert. Prima sententia asserit : « illæ solæ veritates sunt catholicæ reputandæ et de necessitate salutis credendæ quæ in canone bibliæ explicite vel implicite asseruntur ; ita quod si aliquæ veritates in biblia sub forma propria minime continentur, ex solis contentis in ea consequentia necessaria et formali possunt inferri, sunt inter catholicas connumerandæ[1]. » Altera sententia tenet etiam alias veritates præter eas, quæ in S. Scriptura continentur, tanquam catholicas credendas esse. Et reducuntur ad tres classes : veritates quæ agunt de Deo et de Christo (ab his salus principaliter dependet) ; deinde veritates quæ » ex revelatione vel approbatione Dei » ad nos pervenerunt, partim per S. Scripturam, partim per apostolos (etiam illæ simul cum conclusionibus credendæ sunt) ; tertio doctrinæ quæ non solum immediate ex S. Scriptura vel traditione sequuntur, sed ex una vel pluribus veritatibus S. Scripturæ et traditionis et simul « ex quibusdam aliis veris quæ in facto consistunt », ut e. g. doctrinam S. Augustini esse catholicam, quatuor concilia veritatem catholicam definisse : huiusmodi veritates tamen non tanquam stricte catholicæ reputantur, sed ipsis proprie convenit « sapere catholicam veritatem[2] ». In c. 5 enumerantur quinque genera doctrinarum quæ tanquam catholicæ reputantur : doctrinæ S. Scripturæ et traditionis, facta historica, conclusiones, revelationes novæ. Definitiones Ecclesiæ non constituunt genus proprium, quia quæ Ecclesia definit, in aliquo genere dicto contineri oportet (l. c.). Circa hoc tamen triplicem refert sententiam : prima, canonistarum qui simpliciter admittunt per Papam novum articulum fidei fieri posse[3] ; secunda, quæ tenet doctrinam quamcumque, etsi cum S. Scriptura conveniat vel ipsi contradicat, non esse catholicam vel hæreticam, sed tantum per definitionem Summi Pontificis fieri hæreticam vel catholicam, ita quod Papa novum articulum facere possit[4] ; deni-

1. *Dialogus inter magistrum et discipulum* (Lyon, 1494), P. 1, l. 2, c. 1.
2. L. c., P. 1, l. 2, c. 2.
3. P. 1, l. 2, c. 14.
4. I, 1, 11.

que sententia, quæ asserit per Papam tantummodo doctrinam quæ iam tanquam catholica consideranda sit, tanquam catholicam *declarari* posse, ita quod tanquam catholica cognoscatur, non vero catholica fiat[1].

Novum in hac doctrina præecipue est quod etiam *conclusiones* ex revelatis tanquam *veritates catholicæ* atque credendæ statuuntur : quæ doctrina tanquam propria huius periodi consideranda est. Ita *Gerson* tanquam veritates catholicas recenset, primo « veritates immediate et explicite a Deo revelatas » et « illa quæ sub definitione iudiciali Ecclesia tradit esse credenda », quibus etiam revelationes personales adnumerantur[2] ; secundo « veritates omnes et singulæ quæ concluduntur ex præmissis veritatibus in consequentia certa in lumine fidei vel in evidenti lumine naturali, quamvis non in propria forma verborum illic habeantur »-doctrina quæ « in consequentia tantummodo probabili vel topica » vel mediante veritate naturali non immediate evidenti deducitur, « non potest simpliciter dici de fide, quia sequitur debiliorem partem[3]. » Inde veritatem catholicam definit : « *Veritas catholica potest describi, quod est veritas habita per divinam revelationem immediate vel mediate, explicite in propria verborum forma vel implicite in bona et certa consequentia*[4]. » Eandem definitionem dat *Brevicoxa*[5]. Idem ex Scotistis docet *Aureolus*, sc. quod conclusio necessaria ex una vel duabus propositionibus fidei sit credenda, cum contrarium dicat hæresim ; etenim « conclusio per hunc modum deducta non est nisi explicita ex priori articulo in quo erat implicite[6] ». Idem etiam ex Thomistis tenet *Turrecremata*. Catholica veritas est, « quæ ex divinæ revelationis lumine supernaturali immediate (a Deo) vel mediate (per angelos vel homines) est habita explicite in propria verborum forma vel implicite bona et necessaria consequentia[7]. Inde sequentes classes

1. I, 2. 12.
2. *Quæ credenda sunt de necessitate salutis*, in Opera omnia, Antwerp., tom. I, p . 22.
3. L. c., I, 22 s.
4. L. c., I, 27.
5. L. c., I, 829-831.
6. *In Sent.* (ed. Rom., 1596, p. 11).
7. *Summa de Ecclesia* (ed. Venet., 1561), p. 2, l. 4, c. 8.

veritatum catholicarum enumerat : doctrinæ formales S. Scripturæ, traditiones apostolicæ, definitiones conciliorum et Romani Pontificis, doctrina fidei Ss. Patrum et theologorum, conclusiones ex doctrinis enumeratis[1]. Aliter tamen ex Thomistis *Capreolus*, « princeps Thomistarum », declarando conclusiones theologicas tanquam obiectum scientiæ theologicæ. « Formale obiectum quo consideratur aliquid in hac scientia, hoc est medium per quod cognoscuntur omnes conclusiones huius scientiæ, est lumen divinæ revelationis seu articuli fidei quos habitu fidei tenemus, ex quibus conclusiones theologicas elicimus[2] ».

« Theologia est non scientia articulorum fidei, sed conclusionum quæ sequuntur ex ipsis[3] ». Sensus huius doctrinæ est : conclusiones, *ut conclusiones*, non sunt obiectum fidei, sed obiectum theologiæ. De reliquo Capreolus simpliciter doctrinam S. Thomæ proponit, ad fidem pertinere etiam explicationes ab Ecclesia determinatas. Habetur igitur conceptus distinctus sicut et nomen conclusionis theologicæ[4].

*
* *

In hac igitur periodo tanquam veritates catholicæ vel dogmata considerantur non tantum doctrinæ expresse, (in forma propria verborum) revelatæ sed simul implicite revelata, et determinantur implicite revelata tanquam ea

1. L. c., p. 2, l. 4, c. 9.

2. *Defensiones*, Prologus, q. 4, a. 2, ad arg. contra 5 et 6, concl., ed. Paban-Pègues, I, 58.

3. *Prol.*, q. 1, q. 1, concl. 5.

4. Capreolus etiam doctrinam nominalisticam de analysi fidei et distinctionem inter fidem infusam et acquisitam optime diiudicat : 3 d. 23, 24 ; immo insistendo in analysi fidei S. Thomæ, distinctionem inter credibilia et conclusiones theologicas acriter propugnat. Quodsi scribit : « Ex contentis in Biblia quæ se habent ut principia scientiæ (theologiæ), sancti demonstrative intulerunt conclusiones de quibus est theologia, *arguendo contra hæreticos* ex principiis theologiæ... omnia tamen implicite in Biblia continentur » (Defensiones, I Sent., prol. q. 1, a. 2), Capreolus quidem docet : theologi argumentando sensum implicitum S. Scripturæ explicant ; non vero docet : consequentiæ ex revelatis sunt credendæ.

quæ « bona et necessaria consequentia » ex revelatis vel ex definitionibus Ecclesiæ sequuntur.

Undenam tamen hæc doctrina ? Fundamentum meo indicio habetur in doctrina Alberti et Bonaventuræ de antecedentiis et consequentiis articulorum : quæ doctrina, licet immerito, ad veritates catholicas translata fuit. Maiores enim scholastici consequentias *articulorum* tanquam credibilia statuerunt, quia *credibilia* in articulos, præsupposita et corollaria diviserunt et consequentias articulorum tanquam immediate revelatas supponebant ; nominalistæ vero etiam *consequentias veritatum catholicarum*, i. e. etiam consequentias omnium veritatum revelatarum tanquam obiectum fidei ponebant.

Huiusmodi transitus tamen initium iam apud *Duns Scotum* habetur. In 4 d. 11 q. 3, n. 5 (occasione quæstionis de transsubstantiatione) Scotus scribit : « Nihil est tenendum tanquam de substantia fidei nisi quod potest expresse haberi de Scriptura vel expresse declaratum est erp Ecclesiam vel *evidenter sequitur ex aliquo plane contento in scriptura vel plane determinato ab Ecclesia.* » Alio loco eodem modo de consequentiis ex *articulis* docet : « Alia sunt explicite credenda ab istis (sc. maioribus) nec ab illis (sc. minoribus), quia non adhuc illorum veritas est determinata per Ecclesiam ; cuiusmodi sunt multæ conclusiones necessario inclusæ in *articulis* creditis ; sed antequam sunt per Ecclesiam declaratæ et explicatæ, non oportet quemcumque eas credere ; oportet tamen circa eas sobrie opinari, ut sc. homo sit paratus eas tenere pro tempore pro quo veritas fuerit declarata »(4 d. 5 q. 1 n. 7). Inde sufficienter explicatur diffusio opinionis, præsertim etiam apud Scotistas quorum hæc doctrina hucusque quasi propria est ; simul explicatur quod scholastici posttridentini ei primo quasi communiter adhæserint. *Alia* tamen *ratio* formulæ novæ habetur *in doctrina* scholasticorum sæc. XIII *de explicatione revelatorum.* Formula enim scholasticorum maiorum erat : credenda sunt revelata, prout tamen ab Ecclesia explicantur vel determinantur. Cum explicatio revelatorum ex parte theologorum fiat mediante discursu, facilis erat transitus ad formulam : credenda (veritates catholicæ) sunt revelata cum suis

consequentiis. Similiter fundamentum constituebat doctrina de fide explicita et implicita. Denique ansam præbebat distinctio (minus bene intellecta) inter ea quæ directe et quæ indirecte ad fidem pertinerent — de qua re infra in appendice ad hunc articulum. Inde simul explicatur, cur etiam Thomistæ novam formulam admiserint, ut Turrecremata.

Neque formula huius periodi proprie erronea est. Deficit tamen in duobus. Primo conclusiones ponit ut per se vel ante definitionem de fide tenendas, dum scholastici maiores tantum declarationes factas per Ecclesiam ut credendas statuerint ; secundo nova formula est nimis vera, in quantum nondum distinguit inter conclusiones quæ sunt explicatio revelatorum, et conclusiones quæ sunt proprie consequentiæ ex revelatis.

Tamen notandum est tantummodo determinatas conclusiones tanquam veritates catholicas admissas fuisse, i. e. eas quæ « bona et necessaria consequentia » consequuntur, i. e. quæ cum certitudine logica, mediante aliqua propositione immediate evidenti, ex aliqua veritate S. Scripturæ vel alio dogmate fidei sequuntur. Huiusmodi conclusiones denique nonnisi explicationes vel determinationes sensus S. Scripturæ vel traditionis erunt. Id quod etiam exempla adducta ostendunt, ut si ex eo quod Christus est verus Deus et homo, deducitur : ergo habet duas voluntates, ergo habet animam humanam. Idem denique per formulam stereotypam significatur : veritas catholica est ea quæ in S. Scriptura vel explicite sub forma propria continetur vel implicite consequentia bona et necessaria. Doctrina igitur posterioris temporis quæ conclusiones theologicas simpliciter tanquam definibiles admittit, ulterius procedit quam doctrina huius periodi. *Notio dogmatis* certe adhuc nimis larga est, utpote comprehendens etiam revelationes privatas et nondum sufficienter determinans implicite revelatum ; tamen iam habentur elementa definitionis : doctrina explicite vel implicite revelata et ab Ecclesia ad credendum proposita. Ita nequidem periodus « scholasticæ decadentis » sine utilitate et fructu remansit.

XIII. *Concilium* denique *Tridentinum*, aliis quæstionibus

occupatum, directe nihil de nostra materia definivit. Attamen indirecte doctrinam hucusque communiter traditam approbavit. Etenim tanquam finem sibi ante oculos ponit, « ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur » et confitetur « traditiones tum ad fidem tum ad mores pertinentes... continua successione in Ecclesia catholica *conservatas* esse ». Similiter « decernit ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum *sensum quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia* cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat[1]. » His verbis Concilium doctrinam scholasticam de necessitate, utilitate et ratione symbolorum fidei refert, simul tamen doctrinam de auctoritate et officio Ecclesiæ circa novam editionem symboli contra errores insurgentes. Inde etiam concilium doctrinam fidei iuxta explicationem in Ecclesia vigentem definivit, magis factis quam verbis doctrinam scholasticam approbando.

A Concilio Tridentino usque ad Concilium Vaticanum

XIV. Post exortam sic dictam reformationem theologi scholastici de evolutione dogmatum sequentia præcipue habent :

1. Doctrinam scholasticorum maiorum de explicatione revelationis ad evolutionem dogmatum in ipsa Ecclesia applicant atque explicant ;

2. Distinctionem inter fidem explicitam et implicitam magis determinant eamque ad distinctionem revelationis explicitæ et implicitæ applicant, adiecta distinctione inter revelationem implicitam et virtualem ;

3. Quæstionem de credibilitate vel definibilitate conclusionum theologicarum profundius investigant ;

4. Notionem exactiorem veritatis catholicæ statuunt et sic conceptum dogmatis determinant ; denique

1. Sess. 4, D. 783, 786.

5. Auctoritatem Romani Pontificis in definiendis dogmatibus stabiliunt atque determinant.

Notandum tamen est scholasticos posttridentinos magis ad stabilitatem doctrinæ dogmaticæ ostendendam attendere quam ad evolutionem : pugnantes enim contra errores Protestantium maxime characterem revelatum doctrinæ catholicæ propugnant. Tamen hac occasione proprie progressum dogmaticum explicant.

I. — Doctrina de essentia progressus dogmatici

XV. Scholastici posttridentini uno ore doctrinam et *formulam* qua S. Thomas progressum *revelationis* et identitatem fidei in V. et N. T. explicaverat (II. II, a. 1, a. 7), *ad evolutionem dogmatum in ipsa Ecclesia applicant*, sc. formulam : « quantum ad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem : quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicite ; sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum. » Unde formula nova qua progressus dogmaticus definitur, est : Fides *in progressu dogmatico non* crevit *quoad substantiam* sed quoad explicationem : quæ formula quoad rem a Concilio Vatic. sancita est (sess. 3, c. 4, D. 1800). In huiusmodi formulæ applicatione ac determinatione stat principale meritum huius periodi.

Doctrina Thomistarum

XVI. Ita præsertim *Thomistæ*. Initiator novæ formulæ *Caietanus* fuisse videtur, quippe qui in Commentario in II. II, q. 1, a. 7 formulam S. Thomæ non tam (vel saltem non tantum) de progressu revelationis quam de progressu fidei in ipsa Ecclesia intellexisse videtur. Primus formulam in sensu novo expresse exhibet *Petrus de Soto*, adhuc tempore concilii Tridentini : « Patet fidem in substantia quidem non esse mutatam nec auctam nec diminutam, sed secundum explicationem et prædicationem pro temporum varietate esse modo hæc, modo illa explicata. » Unde etiam dogma sic definit : « Explicite credenda sunt

quæ Ecclesia propter diversas hæreses vitandas et fideles instruendos diversis temporibus declaravit ac docuit[1]. »

XVII. Inter theologos posttridentinos primus *Dominicus Bannez*, O. P., doctrinam de evolutione dogmatum proponere conatus est[2]. Tanquam thesim *generalem* statuit principium S. Thomæ : « Articuli[3] fidei secundum substantiam non acceperunt aliquod augmentum ; crevit tamen numerus articulorum quoad explicationem (concl. ad a. 7). Sicut Caietanus ita et Bannez huiusmodi principium non tam de profectu revelationis quam de evolutione dogmatum intelligit. Inde tenet omnia dogmata postmodum definita implicite in aliquibus revelatis contineri ac denique in duobus primis credibilibus de existentia et providentia Dei. Huiusmodi tamen doctrinam optime explicat. Docet enim : dogmata specialia non continentur virtualiter vel implicite in illis duobus principiis generalibus (de Dei existentia et providentia) quatenus illa lumine vel cognitione naturali cognosci possunt, sed quatenus supernaturali lumine (i. e. per revelationem et fidem) sunt cognoscibilia ; tamen etiam sic dogmata ex illa universali et primaria revelatione non per necessariam consequentiam (vel logicam deductionem) inferuntur : explicatio tantum per revelationem divinam fieri potest (dub. 2).

Quantum ad doctrinam particularem Bannesii de progressu dogmatico maxime attendendum est ad *statum quæstionis historicum*. Bannez enim proprie quærit : « Utrum successione temporis post Apostolorum tempora aliquid explicatius cognoscatur a fidelibus circa res fidei quam fuerit cognitum ab ipsis Apostolis ». Evolutio igitur dogmatum proprie in comparatione non tam ad depositum fidei quam ad plenitudinem et *perfectionem cognitionis vel scientiæ Apostolorum* consideratur. Ratio huiusmodi considerationis est doctrina S. Thomæ in II. II, q. 1, a. 7,

1. *Institutiones christianæ*, Aug. Vindelic., 1548, l. 1, c. 2 ; cf. Dominicum Soto, *Comment. in Sent.*, l. 4, d. 5, q. unica, a. 2.

2. In Commentario optimo ad Summam theologicam : II. II, q. 1, a. 7, 10.

3. Vox « articulus » non accipitur in sensu stricto S. Thomæ, ut supra p. 64 explicatum est, sed simpliciter doctrinam fidei significat.

ad 4 : « illi qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante vel post, plenius mysteria fidei cognoverunt. » Cum enim Bannez (cum Caietano) illum locum non tantum de perfectione revelationis sed simul de perfectione cognitionis revelationis interpretarentur, gravis inde surgebat difficultas quomodo dictum S. Thomæ cum facto evidenti progressus dogmatici componeretur : secundum enim interpretationem illam omnis progressus dogmaticus post tempora Apostolorum excludi videbatur. Ita habetur status quæstionis historice determinatus et simul maxime complexus : qui modus considerandi per longum tempus perseverat. Inde tamen sententia theologorum facile determinari ac iudicari potest.

Bannez tres conclusiones ponit. *Prima* : « Error est in fide asserere quod post tempus Apostolorum Doctores Ecclesiæ vel etiam ipsa Ecclesia *plura* credat de pertinentibus ad fidem aut *explicatius* quam Apostoli et sacri scriptores Evangelicæ doctrinæ crediderint. » Prob. « Quia Ecclesia nihil hactenus fidelibus credendum proposuit vel definivit quod non contineretur in sacris literis aut apostolicis traditionibus expressum aut virtualiter contentum, ita ut inde per evidentem consequentiam educeretur. » Confirmatur : « Quia Ecclesia non indiget novis revelationibus neque eas habet ad definiendas res fidei, sed solum habet assistentiam Spiritus Sancti ut in tradenda et explicanda Evangelica doctrina quam ab Apostolis suscepit, errare non possit. » *Secunda conclusio.* « Non est necesse ut quanto remotior fuerit Ecclesia a tempore Apostolorum, tanto sit in illa minus perfecta cognitio mysteriorum fidei. » Probatur. « Quia Ecclesia doctores egregios in explicandis rebus fidei et in hæreticis convincendis sortita est qui in sacrarum literarum explicatione excellentes fuerunt, quos postea scholasticorum acies secuta est. » *Tertia conclusio* : « Quantum ad *scientiam* scholasticæ theologiæ quæ humana diligentia comparatur, nihil obstat quominus asseramus succedentibus sæculis quædam uberius et subtilius a posterioribus doctoribus perscrutari quam fuerint a prioribus definita. »

Tertia conclusio ab ipso Bannez in resp. ad 3 ita explicatur : « Ratio D. Thomæ non ita procedit quod in sin-

gulis annis post Apostolorum tempora necesse sit semper minus doctos in Ecclesia ministros haberi, sed comparat (S. Thomàs) a toto genere differentes Ecclesiæ *status*. Et ita verum est quod post Apostolorum tempora fuerint doctissimi Patres in intelligentia mysteriorum fidei..., post quos in Ecclesia Dei scholasticorum exercitus propter hæreticorum malitiam necessarius fuit. Et quamvis ab omnibus scholasticis prædicti doctores sancti Patres appellentur et habeantur, tamen in quibusdam sacræ Theologiæ conclusionibus quæ dialecticam et philosophiam seu metaphysicam scientiam concernunt, non mirum est si a scholasticis qui subtilius et curiosius cuncta pertractaverunt, aliquid expressius et certius definitum sit... Excipimus semper Apostolos... Neque tamen propterea novissimi doctores pluris sunt æstimandi. Sunt enim velut parvuli super humeros gigantum positi qui non mirum est si gigantum proceritate elevati, altius attingant. »

Tota thesis denique ita explicatur : « R. ur, spiritum veritatis in Ecclesia manere in æternum ad apostolicam doctrinam et traditionem conservandam et ad Scripturæ Sacræ intelligentiam, cum opus fuerit, ad fidei ædificationem in Ecclesia proponendam ; et denique ut assistat cum Pontifice et Concilio eius auctoritate congregato ut in definiendis et explicandis rebus fidei errare non possit. Non autem assistit Spiritus Sanctus ad novas Ecclesiæ revelationes circa mysteria fidei faciendas quæ Apostolis, dum viverent, factæ non fuerint » (ad 1). Posteriora igitur concilia *non plura* ad fidem pertinentia explicatius definierunt, sed pro temporum et hæreticorum malitia circa fidei mysteria varias *explicationes* dederunt (ad 2). Ita denique Apostoli saltem ante mortem « tam plenam mysteriorum fidei cognitionem (acceperunt), ut post illorum tempora nemo cum illis comparari possit » (ad 1). In hoc sensu Bannez in commentario ad a. 10 probat Romanum Pontificem in definienda doctrina fidei errare non posse (dub. 2).

Secundum Bannez igitur definitiones posteriores Ecclesiæ *puram explicationem* cognitionis ab Apostolis habitæ et Ecclesiæ traditæ repræsentant, accedente quadam maiori explicatione *scientifica* scholastica, ita tamen quod semper

in Ecclesia doctrina evangelica et apostolica sine errore conservata fuerit : habes hic formulam quasi totius scholasticæ posttridentinæ : unde eam in extenso retulimus.

XVIII. *Iohannes a S. Thoma*, fidelissimus interpres Doctoris Angelici sæculi XVII, doctrinam Bannesii continuat. Conclusiones eius sunt : 1° Nihil modo creditur in Ecclesia quod non fuerit revelatum Apostolis *clare et distincte* ; 2° post Apostolos sancti Doctores Ecclesiæ reliquos excedunt in cognitione distincta mysteriorum fidei ; 3° nostris his temporibus occasione hæresum insurgentium et refutatione earum per sanctos patres et doctissimos theologos abundantissima est cognitio mysteriorum fidei, imno aliqua *in particulari* et explicite cognita sunt quæ nondum cognita erant apud homines doctos, qui nos præcesserunt « sicut » experientia quotidie hoc ostendit[1]. » Ad obiectionem (4), post tempus Apostolorum multas veritates fidei notas esse quæ antea latebant, Iohannes respondet : « Nihil est de novo definitum per Ecclesiam et summos Pontifices pertinens ad fidem quod Apostoli non cognoverint... Nullus dubitare potest quod omnia ista noverant Apostoli explicite, siquidem ex Scripturis eorundem Apostolorum istæ definitiones oriuntur » (l. c. n. 18). Cæteras obiectiones, ut præsertim de Spiritus S. assistentia similiter ut Bannez solvit, addendo tamen : « Cæterum ego existimo quod Apostoli cognoverunt per cognitionem *infusam* veritates quas modo theologi per *discursum* sunt assecuti, pertinentes ad declarationem mysteriorum fidei... ; similiter mihi suadeo sanctos patres ex quorum scriptis sumunt scholastici suam doctrinam, cognovisse veritates quas theologi accipiunt per discursum, et licet non habuerint ita plenam cognitionem infusam sicut Apostoli, crediderim tamen multa ex speciali instinctu Spiritus S. scripsisse quæ ad mores et fidei doctrinam pertinent. » (l. c., n. 20). Ita in S. Apostolis supponit « plenissimam et perfectissimam fidei cognitionem excedentem

1. *Cursus theologicus*, De fide, disp. 6, a. 2. In a. 1. exponitur doctrina Bannesii de modo quo articuli in principio de existentia et providentia Dei continentur.

omnes tam antecedentes quam subsequentes », licet(n. 6). cognitio nostra progressum « secundum quid » importet (n. 14). In disputatione deinde super a. 10 defendit « sententiam catholicam », « iudicium de rebus fidei et earum propositionem ,explicationem ac determinationem » pertinere ad Romanum Pontificem.

XIX. In initio sæculi XVIII Cardinalis *Gotti*, celeberrimus Thomista, duas quæstiones distinguit, primo : utrum articuli fidei creverint ; secundo : utrum Ecclesiæ definitiones dogmaticæ importent *novam revelationem*, an tantum declarationem et propositionem revelationis iam factæ[1]. Respondet : « Articuli fidei quoad substantiam non creverunt, sed solum quoad explicationem. Unde quando Ecclesia decernit aliquid esse de fide tenendum quod antea de fide non tenebatur, non accipit novam revelationem neque facit esse de fide id quod antea de fide non erat, sed solum declarat esse tenendum de fide ut revelatum id quod licet antea esset revelatum et de fide, a nobis tamen ut de fide non tenebatur, quia non erat propositum ut revelatum et ut de fide tenendum. » « Si enim omnia credibilia revelata sunt, saltem implicite, et successu temporum solum facta est explicatio eorum quæ in iam revelatis implicite continebantur, ergo, dum Ecclesia aliquid ut de fide tenendum proponit, id non fit nova revelatione ei facta, sed *nova explicatione revelationis iam factæ* seu rei iam revelatæ. Hinc Ecclesia nihil unquam fidelibus credendum proposuit aut definivit quod non esset vel in sacris Literis vel in divinis aut apostolicis traditionibus saltem virtualiter contentum » (§ 2, n. 7). Quapropter definitio dogmatica describitur tanquam « declaratio et propositio alicuius veritatis, implicite contentæ in Sacra Scriptura vel divinis traditionibus, denuncians eam fidelibus ut credendum explicite fide divina » (l. c., n. 9). Effectus igitur definitionis est obligatio ad fidem explicitam et propositio explicita. Circa ultimum notat : « Cum Ecclesia definit aliquid esse de novo tenendum de fide quod antea non tenebatur, non facit id quod erat

1. *Theologia scholastico-dogmatica*, De fide, q. 1, dub. 9.

solum mediate revelatum, esse immediate revelatum, sed veritates quæ licet antea fuissent immediate revelatæ Apostolis, non tamen constabat fuisse immediate revelatas, et proinde Ecclesia non obligabat ad credendum illas, declarat fuisse immediate revelatas, obligando fideles ad eas credendas ut tales. Ad hoc enim ut aliquid obliget ad credendum, non sufficit quod sit immediate revelatum, sed ulterius requiritur ut *proponatur* tanquam revelatum » (l. c., § 3, n. 13). Tanquam rationem necessitatis definitionum hanc assignat : « Etsi omnia fidei fuerint ab initio revelata et tradita, insurgentibus tamen hæresibus fides fuit ita *involuta* ut multorum cognitio a fidelium mentibus exciderit, sicque ut de facto obligarentur ea credere, Ecclesiæ magisterio indiguerimus » (l. c., § 2, n. 9). « Posterioribus sæculis fide per hæreses *obscurata* in multis vel temporum iniuria de quibusdam implicite creditis memoria obliterata, necesse fuit ut Ecclesia tanquam revelata ea expresse omnibus proponeret » (l. c., § 3, n. 11).

XX. *Contenson* denique (*De fide*, lib. 7, diss. 2, c. 1, spec. 3) asserit, « nullum articulis fidei essentiale accessive incrementum sed maiorem dumtaxat explicationem et veluti elucidationem ». « Cum his tamen stat, ait, multa decursu temporum detecta apertaque fuisse quæ antea vel latitabant plane vel certe nonnisi confuse et obscure cognoscebantur ». Inde concludit : « Illud certum est... omnes fidei articulos initio per sacros auctores Ecclesiæ catholicæ *saltem implicite* revelatos fuisse. » Rationem successivi progressus dogmatum ita explicat : « Et sane sapientis pædagogi morem gerit divinus magister qui non totam ab initio discipulis suis proponit doctrinam, ne obruat quos satagit erudire ; sed eorum tenuitati capacitatique attemperans, paulatim doctrinæ effundit lumen, a facilioribus exorditur ut difficilia deinde... patefaciat » (cf. S. Thomas, II. II, q. 1 a. 7, ad 2, 3).

XXI. *Thomistæ* igitur posttridentini præcipue inculcant, nihil fuisse succedentibus temporibus ab Ecclesia definitum nisi quod *apostolis* fuerit *revelatum*, ita quod in Ecclesia non habeantur novæ revelationes : qua doctrina

expresse sententiam Abbatis Joachim et Suarezii impugnant. Ita ostendunt qua ratione fides vel articuli fidei non creverint quoad substantiam, i. e. « substantiam fidei » explicant per doctrinam revelatam, contentam in libris sanctis et apostolicis traditionibus[1]. Evolutionem dogmaticam explicant per expressam propositionem et per explicationem vel determinationem depositi fidei, propter necessitatem fidei. Optime igitur Thomistæ doctrinam S. Thomæ ad evolutionem dogmatum in ipsa Ecclesia applicaverunt.

XXII. Theologi *ex Societate Jesu* communiter Thomistas sequuntur. *Gregorius de Valentia*, « restaurator theologiæ » in Germania, docet : « Spectat quidem ad Ecclesiam veritates fidei quas apostoli vel cognoverunt vel tradiderunt, prout necessitas postulat, interdum de novo magis explicate tradere fidelibus illasque cum infallibili auctoritate velut e tenebris eruere in quibus quandoque ob hominum negligentiam vel proterviam et ingenii perversitatem demersæ latuerunt et fortasse latent adhuc in Ecclesia aliquæ. Nullam tamen veritatem docet aut docebit unquam Ecclesia ita novam ut Apostolis incognita fuerit[2]. »

Doctrina Suarezii

XXIII. Similiter *Suarez*, princeps inter theologos Societatis, doctrinam communem tenet, additis tamen quibusdam explicationibus novis[3]. Theses sequentes proponit : 1. Fides quoad substantiam credibilium semper fuit eadem : a principio generis humani usque nunc (explicatur secundum S. Thomam).

2. Fides semper in Ecclesia (i. e. in Vet. et in N. T.) explicita fuit, saltem in capitibus et principibus quoad

1. Longissime igitur a doctrina scholastica (simul tamen ab Ecclesiæ doctrina) aberrant qui putant in Evangelio tantummodo *ideas quasdam generales* contineri, quibus in evolutione dogmatum servatis, fidem quoad susbstantiam immutatam manere.
2. *Commentaria theologica*, De fide, disp. 1, q. 1, puncto 6.
3. De fide, diss. 2, sect. 6.

Vetus Testamentum, nunc vero etiam populus explicitam fidem habet, præcipue de Trinitate et Incarnatione (n. 4, 5). 3. Materia fidei successu temporum in ordine ad fidem explicitam crevit (n. 6), quia per diversa tempora multiplicatæ fuerunt divinæ revelationes per quas doctrina et materia fidei expressius est hominibus proposita. 4. Quomodo hoc augmentum factum sit, explicat exponendo duplicem regulam traditam et, ut ipsi videtur, sibi oppositam, regulam S. Thomæ, II. II, q. 1, a. 7, ad 4, quod sc. illi qui Christo erant proximiores, fidem magis explicitam habuerint, et regulam S. Gregorii, quod « quanto mundus ad extremum ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur[1] ».

Suarez primo tenet cum Bannez : quoad statum communem et quoad capita in tempore Christo propinquiori maior fuit cognitio fidei (licet cum quadam varietate) ita quod *non sit cogitandum aliquos post Apostolos habuisse maiorem fidei cognitionem* et sic vult servare regulam S. Thomæ (n. 13) ; secundo tamen tenet : quoad cognitionem *acquisitam* in Ecclesia fuit varietas et progressus in diversis periodis : « Nam hoc totum dependet ex ordine divinæ providentiæ, adiuncta sollicitudine pastorum » (n. 14).

Nunc tertio ad problema accedit utrum in Ecclesia Christi creverit fides ita ut aliquæ propositiones credendæ essent de fide in posteriori tempore quæ antea non credebantur tanquam de fide. Circa hoc Suarez duo habet. Primo : nunc aliqua propositio explicite de fide creditur quæ antea explicite non credebatur ab Ecclesia, quamvis implicite in doctrina antiqua continebatur, e. g. de baptismo hæreticorum (n. 16). « Neque ad hoc est necessaria nova revelatio, sed sufficit infallibilis assistentia Spiritus Sancti *ad explicandum et proponendum explicite* id quod antea implicite tantum in revelatis continebatur... Nam illa explicatio... est per explicationem novæ propositionis contentæ in antiquis. Illa autem propositio nunquam est novus articulus, quia non pertinet ad materiam velut substantialem fidei explicite ab omnibus credendam : illa enim

1. Cf. supra, p. 68 ss.

sufficienter fuit semper explicata in symbolo, sed pertinet sæpe ad doctrinam fidei quam oportet sciri a doctoribus Ecclesiæ iuxta temporum varietatem et necessitatem » (l. c.). Concludit Suarez cum explicatione et determinatione cognitionis Apostolorum. Distinguit enim duplicem ordinem propositionum quæ successu temporum explicite creduntur. Quædam pertinent « veluti ad substantiam mysteriorum », et de huiusmodi credendum est fuisse cognitas ab Apostolis non tantum implicite, sed explicite. Aliæ vero sunt propositiones contingentes quæ tempore Apostolorum nondum evenerant, ut quod iste sit Pontifex, quod hoc sit verum Concilium : et has non oportuit cognosci ab Apostolis explicite sed tantum in universali (n. 18). Tenet igitur Suarez cum Thomistis, Apostolos omnia revelata explicite cognovisse, ita quod nil fuerit postea definitum quin sit cognitum per Apostolos (nisi quoad determinationem quorundam contingentium in universali tantum revelatorum), haberi vero profectum quoad explicationem simplicem revelatorum et sic nunc credi quædam explicite quæ antea implicite tantum credebantur, et haberi profectum quoad scientiam theologicam acquisitam. Addit tamen Suarez huiusmodi explicationem vel determinationem revelationis universalis habere vim revelationis : « Potest Ecclesia in his rebus cognoscendis proficere, etiam cum certitudine fidei, interveniente Ecclesiæ definitione quæ propter assistentiam Spiritus Sancti *vim habet revelationis seu infallibiliter applicat* revelationem universalem ad particulare obiectum » (n. 18).

XXIV. In hoc ultimo puncto habetur *novum elementum* in explicatione evolutionis dogmatum : Ecclesiæ magisterium infallibile habet vim revelationis. Secundum hanc doctrinam evolutio dogmatum per aliquam speciem novæ revelationis fieret, non quidem per revelationem veritatum proprie novarum, tamen per explicationem et determinationem (veritatum iam revelatarum) quæ æquivaleret quodammodo novæ revelationi vel locutioni Dei. Thomistæ hanc doctrinam merito impugnaverunt ; in Societate tamen Jesu plures in hac periodo ipsam secuti sunt. Ratio huius doctrinæ habetur in doctrina de analysi

fidei quæ auctoritatem Ecclesiæ tanquam motivum partiale et integrale assensus fidei statuit, ut præsertim Lugo[1]. Uti patet, secundum hanc doctrinam, sc. definitionem Ecclesiæ esse « locutionem quandam Dei quæ sit explicatio et complementum revelationis antiquæ[2] », quæstio de evolutione dogmatum essentialiter mutaretur; simul inde sequeretur conclusiones theologicas proprie dictas esse definibiles et ad hunc etiam finem, saltem ex parte, doctrina statuta fuit. Tamen doctrina solido fundamento caret, cum Ecclesiæ auctoritas sit tantum medium proponendi et explicandi veritates revelatas, non vero motivum fidei, neque partiale ; similiter doctrinam veterum scholasticorum pervertit : præcipue tamen post Concilium Vaticanum vix teneri potest. Certe super fundamentum huius doctrinæ theoria de evolutione dogmatum vix ædificari potest.

De reliquo etiam fautores huius doctrinæ evolutionem dogmatum non vi doctrinæ novæ, sed in sensu doctrinæ antiquæ explicant. Ita ut vidimus ipse Suarez ; similiter *Haunold*, qui ita scribit : « Quando theologi aliqui dicere solent non dari in Ecclesia nova dogmata de novo credenda, plus dicere nolunt quam quod nihil incipiat de novo esse de fide formaliter et explicite quod prius non fuerit de fide radicaliter, implicite et virtualiter, quatenus nimirum Ecclesia ea solum definit explicite credenda quæ per assistentiam Spiritus Sancti cognoscit contineri virtute in obiecto iam antea formaliter revelato... Deus sc. per Ecclesiam explicat, de quibusnam obiectis particularibus locutus sit quando edidit revelationes universales » (l. c.).

XXV. Optime rem explicat Henricus *Kilber*. « Dicuntur articuli fidei seu eorum numerus crescere vel simpliciter vel secundum quid. Simpliciter crescunt si aliquid de novo revelatur antea necdum revelatum; secundum quid si

1. De fide, disp. 1, s. 7, n. 116-130 ; cf. e. g. HAUNOLD, *Theol. spec.*, l. 3, tr. 1 (De fide), c. 1, contr. 5, qui n. 93 ss. revelationem, Ecclesiam et motiva credibilitatis tanquam motiva partialia fidei statuit. Simili ratione Michael MEDINA, O. F. M., fidem ultimo in auctoritatem Ecclesiæ resolverat, Paræsis, l. 5, c. 11.

2. HAUNOLD, l. c., l. 3, tr. 1, c. 1, n. 153.

aliquid ante revelatum incipit quoad nos esse credibile. Hoc autem potest fieri tripliciter : 1. dum revelatio olim facta, sed obscure, per infallibilem interpretem magis explicatur ; 2. dum similis sed controversa per infallibilem controversiarum iudicem certificatur ; 3. dum revelatio universalis per legitimum auctoritatem applicatur ad singularia. Porro sicut triplicem hanc potestatem Ecclesiæ convenire, sic similiter certum est Ecclesiam nihil unquam definisse fide divina credendum nisi quod aut explicite aut formaliter implicite fuerit revelatum[1]. » Definitiones igitur Ecclesiæ sunt « dumtaxat explicationes secundum unum ex tribus modis[2] ».

XXVI. Ex schola *franciscana* liceat adducere *Lucium Ferraris* in « Prompta Bibliotheca[3] », verbo : fides. Docet, nunc multa credenda esse de fide quæ prius non erant, tamen ita quod semper credenda erant quoad se, licet non quoad nos. « Mutatio solum facta est quantum ad maiorem ipsorum (credibilium) explicationem et obligationem expresse confitendi et credendi explicite illos articulos qui solum antea credebantur implicite, utpote contenti in aliis credibilibus sive articulis fidei... Unde fides quoad substantiam et quoad se nunquam mutatur neque creverunt successu temporis eius articuli in hoc sensu, sed solum quoad nos, nempe quoad nobis impositam obligationem credendi multos articulos explicite qui prius credebantur implicite[4]. »

XXVII. Ex *Sorbonicis* sufficiat doctrina Lud. *Haberl* : « Fides a tempore Apostolorum non crevit quoad substantiam, quia fides non potest crescere quoad substantiam nisi fiat Ecclesiæ nova revelatio, cum motivum fidei sit divina revelatio... Certum est Ecclesiam ea quæ Apostolis fuerunt obscurius tradita, in dies magis explicare et contra nascentes hæreses clarius proponere » et ita

1. *Cursus theol.*, Wirceburg., VI, 489.
2. L. c., VI, 492.
3. Ed. Migne, *Cursus theol.*, 1852.
4. L. c., n. 8, col. 1125.

« successu temporis magis et magis elucidantur quæ obscurius revelata sunt in Scripturis et traditione[1]. »

XXVIII. *Thesis* igitur *communis*[2] huius periodi est : *nil definitur nisi quod Apostolis fuerit revelatum* (saltem in universali vel confuse) *ita quod evolutio dogmatum sit determinatio vel explicatio revelationis in Christo et Apostolis completæ.* Ita denique scholastici principium intelligunt : in evolutione dogmatum fidem vel doctrinam fidei *quoad substantiam* manere immutatam : quæ doctrina fundamentalis ope distinctionis inter revelationem explicitam, implicitam (et virtualem) magis explicatur ac determinatur.

II. — Distinctio inter fidem et revelationem explicitam et implicitam, immediatam (formalem) et mediatam (virtualem).

XXIX. Uti vidimus, scholastici posttridentini formulam qua S. Thomas explicationem fidei per novas *revelationes* determinaverat, ad explicationem fidei per progressum *dogmaticum*, servata tamen proportione, applicaverunt (n. 15). Translata tamen formula, etiam doctrina de fide explicita et implicita vel de implicatione credendorum magis determinanda erat. Formula S. Thomæ et aliorum scholasticorum sufficiens erat ad explicationem progressus fidei per novas revelationes, non vero ad explicandam explicationem fidei per magisterium Ecclesiæ vel in progressu dogmatico. Unde proprius fructus scholasticæ posttridentinæ est maior determinatio distinctionis inter *fidem* explicitam et implicitam ; simul tamen distinctio illa translata est ad distinctionem *revelationis* explicitæ et implicitæ, adiuncta distinctione revelationis virtualis vel mediatæ ; qua ulteriori distinctione simul parabatur

1. *Theol. dogm et mor.*, Aug. Vindel, 1771; De fide, III, 426, 427, 429.

2. Nimis longum est omnes auctores scholasticos adducere ; unde tantum doctrinam et textum capitum et ducum exposuimus.

via ad distinctionem inter dogmata et conclusiones theologicas.

a) *Distinctio fidei implicitæ et implicitæ*

XXX. In distinguenda fide explicita et implicita quasi omnes theologi formulam S. Thomæ sequuntur. *Bannez* illam ita explicat : « Fides explicita alicuius rei dicitur quæ terminatur expresse ad illam rem. Fides vero implicita dicitur alicuius rei quæ non immediate ad illam expresse terminatur, sed ad aliam in qua continetur illa res sicut in causa et in genere » (In II. II. q. 2, a. 8, dub. 2). Fides vero explicita et implicita non differunt « secundum speciem », sed « sicut aliquid involutum et ipsum explicatum ». *Gregorius de Valentia* ita distinguit : « Fidem explicitam de aliqua veritate habere dicimur cum elicimus assensum immediate circa ipsam ; implicitam vero cum assensum alicuius veritatis non habemus secundum seipsum, sed habemus illum quasi implicitum in alio actu nostro qui habet aliud obiectum immediatum » (Comment. theol., *De fide*, disp. 1, q. 2, punct. 3). *Suarez* dat hanc definitionem : « Explicite credere nihil aliud est quam credere aliquid in seipso, ita ut illud sit proximum obiectum in quo cadit assensus fidei ; credere autem implicite est credere in alio tantum, quia quod sic creditur, revera non cognoscitur neque intellectus format proprium conceptum propositionis quæ implicite tantum credi dicitur, sed alterius in qua illa continetur (*De fide*, disp. 2, s. 6, n. 2) : quæ definitio Suarezii abhinc quasi infinitis vicibus repetitur.

XXXI. Quæ tamen distinctio mox duo *additamenta* accipit. Primo ipsa fides *explicita* iterum *subdistinguitur :* secundo fides *implicita* identificatur cum fide *confusa*, fides vero *explicita* cum fide *distincta et clara.* Iam *Bannez* fidem explicitam in distinctam et confusam distinguit, secundum sc. quod est magis determinata vel magis universalis, ut e. g. fides in Christum ; tamen etiam fides distincta iterum gradus diversos haberi potest, sicut theologus mysterium Trinitatis perfectius cognoscit et credit

quam homo rusticus (l. c.). Hoc sensu etiam *Iohannes a S. Thoma* declarat : « Fidem esse explicitam habet quandam latitudinem » (Cursus theol., *De fide*, d. 4, a. 1). Similiter *Suarez* duplicem fidem explicitam distinguit, « perfectam et distinctam ita ut qui habet illam, possit non solum assentire mysterio sed etiam illud explicare et aliquam rationem illius reddere », et « fidem explicitam per quam res in se et sub propria ratione creditur » (disp. 12, s. 3, n. 1).

Et alio loco : « (Credere explicite) variatur secundum magis et minus quatenus de eodem mysterio fidei formari potest expressior conceptus vel minus perfectus vel etiam quatenus de eadem re credita possunt plura vel pauciora cognosci ». Tamen addit : « Si quis autem recte consideret, hæc varietas solum consistit vel in pluribus actibus fidei per quos creduntur explicite et in se plures veritates pertinentes ad eandem rem creditam, vel certe si maior et minor expressio est circa eandem omnino veritatem, diversitas magis est in *apprehensione* quam in ipso assensu fidei et ita provenire potest ex doctrina et industria humana per scientiam acquisitam vel per melius ingenium aut meliores species » (d. 2, c. 6, n. 2) : quæ Suarezii sententia non parum contulit ad doctrinam de progressu dogmatico complicandam. Fidem tamen *implicitam* Suarez identificat cum fide *confusa* : « Dicitur fides explicita per quam res in se et sub propria ratione creditur et huic opponitur fides implicita, i. e. confusa et in alio universali vel materiali obiecto contenta » (disp. 12, s. 3, n. 1). Dum igitur Bannez fidem explicitam in distinctam et confusam subdistinguit, Suarez æquiparat fidem explicitam cum fide distincta atque fidem implicitam cum fide confusa.

XXXII. *Theologi posteriores* quoad modum loquendi Suarezium secuti sunt, non exceptis Thomistis[1] : inde fides explicita dicitur particularis, clara, distincta, expressa,

1. Tamen adhuc Elbel diversos gradus fidei explicitæ distinguit : « Nam alia est confusa, alia distincta, una quoque est confusior altera, una distinctior alt ra. (Conf. 1, n. 15.) Cf. Hurtado, *De fide*, disp. 43, s. 67, § 33.

fides vero implicita dicitur confusa, universalis, generalis. Ita *Sylvius* : « Explicite credere rem aut propositionem aliquam est illi secundum suos terminos in particulari et actu cognitæ assentire. Implicite quædam credere est assentire uni velut principio universali in quo illa continentur[1]. » Ita « qui ex animo profitetur se credere quidquid Ecclesia credit, explicite quidem illud pronuntiatum credit implicite vero credit esse septem sacramenta et alia quæ in isto generali credito continentur, modo in particulari non pertinaciter adhæreat alicui contrario » (Comment. in II. II. q. 2 a. 6). Similiter Card. *Gotti* : « Explicite aliquid credere est illud in particulari et secundum proprios terminos cognitum credere. Implicite autem credere aliquid est illud credere solum in universali et ut contentum in alio velut principio universali explicite credito » (*Theol. dogm.* in II. II, q. 2, dub. 3, § 1). Immo *Gazzaniga* docet : « (Fides explicita) est quando articuli fidei *clare*, *distincte* et in seipsis cognoscuntur et creduntur ; implicite autem quando dumtaxat *confuse* aliquid creditur, ut qui generaliter Ecclesiæ credit, etiam implicite ea omnia credit quæ Ecclesia definivit omnibusque fidelibus credenda proponit » (Prælect. theol., *De fide*, diss. 4, n. 3).

XXXIII. Magnum influxum in doctrinam de fide explicita et implicita exercuerunt theologi morales huius periodi (qui communiter sunt casuistæ). Etenim illi quæstionem sub alia ratione considerabant : dum theologi dogmatici quærunt quomodo dogmata postmodum ad credendum proposita in fide prædecessorum vel in revelatione contineantur, theologi morales quærunt quid sit explicite credendum (necessitate sive præcepti sive medii) et quomodo omnis fidelis omnia credibilia implicite credat. Unde theologi morales huius periodi communiter fidem implicitam illam dicunt qua aliquid in fide Ecclesiæ creditur, inquantum sc. quis explicite credit, verum esse quidquid Ecclesia credendum tradit. Ita *Layman* (l. 2, tr. 1, c. 8, n. 1), *Antoine* (p. 1, c. 1), *Reifenstuel* (tr. 4, d. 2, q. 2, n. 1),

1. Similiter Babenstueber, *Cursus theol. mor.*, De fide, tr. 5, d. 1, a. 2, § 2.

Elbel (*Conf.*, 1, n. 15), *Busembaum* (l. 2, tr. 1, c. 1), quem *S. Alphonsus* sequitur, *Ioh. Cardenas* (*Crisis theol.*, diss. 14, c. 1, n. 1), Dom. *Viva* (*Damnat. thes. trutina*, in prop. 22 Innoc. XI). Isto modo considerandi præsertim *quæstio de modo implicationis fidei implicitæ* in fide explicita obnubilata est et doctrinæ profundiores scholasticorum maiorum quasi in oblivionem venerunt. Inde theologi diversas theorias proponunt.

XXXIV. Scholastici maiores *implicationem fidei* communiter sic explicaverant quod fides implicita esset de eo quod *in alio articulo* explicite credito implicite contineretur. Ita *Bannez* adhuc implicationem explicat (in II. II, q. 2, a. 8, dub. 2). Docet : fides implicita se habet ad fidem explicitam sicut « involutum ad explicatum » ; unde fides implicita necessario supponit fidem in aliquam veritatem supernaturalem. Ita « cognitio Dei naturalis nullo tempore fuit fides implicita alicuius mysterii », in qua sc. aliquod mysterium implicite crederetur ; unde fides in Dei existentiam et providentiam, ab Apostolo postulata, non potest esse fides in Deum tantum naturaliter cognitum vel in auctorem naturæ, sed est necessario fides in Deum supernaturaliter revelatum vel in auctorem gratiæ. *Gregorius de Valentia* duplicem implicationem docet, unam ex parte intellectus, alteram ex parte voluntatis. « Duplex, ait, actus noster potest is esse in quo assensus aliquis censeatur esse implicitus. Unus est intellectus, puta ipsius fidei supernaturalis, quo videlicet credimus veritatem aliquam fidei universaliorem atque ita prompti sumus et parati ad explicite credendam aliam veritatem magis particularem quæ in illa universali tanquam in potentia contineatur vel ad eam aliquo modo spectet. Alter actus est voluntatis quo videlicet paratus sit quis ea credere quæ alii sapientiores in Ecclesia explicite credunt » (Comment. theol., *De fide*, disp. 1, q. 2). Valentia igitur implicationem potius ex parte subiecti vel actus credentis considerat. *Suarez* quadruplicem implicationem assignat : primam, ratione obiecti formalis fidei : inquantum qui credit Deo revelanti etiam paratus est ad fidem omnium quæ Deus revelaverit ; secundam, ratione fidei aliorum : ita fideles

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

simplices credunt quod Ecclesia credit ; tertiam ratione obiecti crediti : ita propositio particularis in propositione universali implicite creditur ; quartam, ratione substantiæ rei creditæ : ita circumstantiæ implicite creduntur, sicut in mysterio incarnationis mors Christi pro salute hominum. *Thomistæ* tamen communiter magis in implicatione obiectiva insistunt. Ita adhuc *Cuniliati* : « Fides implicita est illa quando credendo expresse unum articulum, creduntur alii in illo contenti, v. g. credens expresse Trinitatem personarum in unitate essentiæ credit implicite processionem Verbi a Patre » (tr. 4, c. 1). Similiter *Concina* (*Theol. christ.*, 1794, I, 94), et *Gotti* (*Theol. schol. dogm., De fide*, q. 2, a. 3, § 1).

XXXV. In fine huius expositionis doctrinæ de distinctione fidei explicitæ et implicitæ notare licebit *defensionem doctrinæ de fide implicita. Calvinus* contra fidem implicitam scripserat : « Commentum fabricaverunt implicitæ fidei quo nomine crassissimam ignorantiam ornantes miseræ plebeculæ cum magna pernicie illudunt » (*Instit.*, l. 3, c. 2, § 1) ; inde eam vocat : « papale phantasma » et « monstrum ». Denique Calvinus fidem implicitam ita interpretatur : « Hoccine credere est nihil intelligere, modo sensum tuum oboedienter Ecclesiæ submittas », « quod parati sumus pro vero complecti quidquid Ecclesia perscripserit », « quod inquirendi cognoscendique provinciam ad ipsam (Ecclesiam) relegamus », « ut quidvis nullo cum delectu, dum sub ecclesiæ obtruditur titulo, ab imperitis instar oraculi arripitur, interdum etiam prodigiosissimi errores ». Huiusmodi fides implicita non est fides nisi forte fides in Ecclesiam, absque omni cognitione. « Les Papistes, ait, diront que la foy est de croire en leur mere saincte Eglise : et puis ils ne sçavent qui est leur Rédempteur, ils n'entendent nullement, comme il faut prier Dieu, ni comment il faut vivre[1]. » Protestantes moderni, ut præsertim *Harnack*, huiusmodi accusationes adhuc aggraverunt, affirmantes fidem implicitam nullo modo esse fidem sed tantum

1. Videsis Schultes, *Fides implicita*, I, 10 ss.

obedientiam cæcam et pure iuridicam subiectionem sub auctoritate Ecclesiæ, fidem carbonariam[1].

Huiusmodi accusationes vel interpretationes quidem iam sufficienter per doctrinam expositam de fide implicita refelluntur, tamen etiam expresse iam a scholasticis refutantur. Vidimus iam testimonium Bannezii qui negat, fidem implicitam esse fidem alterius speciei quam fides explicita. Similiter *Toletus* : « Non istæ duæ sunt fides,... sed una fides duplici modo habita. » (In *Summam theol.*, II. II, q. 2, a. 5). *Gregorius de Valentia* laconice respondet : « Nescit hic hæreticus (Calvinus) quid dicat » (l. c.). *Salmanticenses* ita sese explicant : « Sicut scire in universali non est ignorare sed scire minus perfectum quod tamen ad scientiam perfectam disponit, ita credere implicite non est ignorare sed credere minus expressum quatenus credendo explicite aliqua mysteria magis necessaria et universalia, manet fidelis promptus ad alia credenda si explicentur, illaque prout in aliis implicita et contenta reipsa credit » (*De fide*, disp. 6, n. 109). Denique *Gazzaniga* (*Prælect. theol.*, *De fide*, diss. 4, n. 3) scribit : « Aliud est sub fidei implicitæ prætextu debitam in religionis studio diligentiam omittere : quod culpabile esse maximeque deplorandum catholici omnes profitentur, aliud plenam distinctamque omnium fidei nostrorum articulorum intelligentiam assequi : quod vix sapientes et docti, rudes autem et illiterati ne vix quidem possunt ; quod Calvinus, ut catholicos reddat odiosos, subdole confundit[2]. »

XXXVI. Doctrinam de fide explicita et implicita paulum fusius proposuimus[3] : non tamen absque ratione.

1. Ita G. Hoffmann, in *Die Lehre von der fides implicita innerhalb der katholischen Kirche* (1906), Ristchl (*Fides implicita*, Bonn, 1890), Harnack, Seeberg et alii : cf. Schultes, *Fides implicita* I, 1-20 et passim.

2. Ita iam Gerson in opere « Quæ credenda sunt de necessitate salutis » impugnaverat sententiam illorum qui dicerunt : « Sufficit mihi fides Ecclesiæ, sufficit quod salver in fide parentum, sufficit mihi dicere « Credo in Deum ». (Opera omnia, Antwerp., 1706,1,30.) Cf. Schultes, *Fides implicita*, I, p. 157 ss.

3. Abstinemus a doctrina theologorum modernorum referenda, cum theologi postvaticani communiter unum vel alium ex aucto-

Nam primo ex hac doctrina plane intelligitur quo sensu scholastici *progressum dogmaticum* tanquam *explicationem fidei* vel *progressum a fide implicita ad fidem* explicitam determinaverint. Est enim proprius effectus vel terminus evolutionis dogmatum, ut id quod antea implicite, generaliter, confuse sive in fide in Deum sive in fide in Ecclesiam sive in fide alicuius articuli vel alterius dogmatis credebatur, postea, facta nova definitione vel propositione, explicite, particulariter, determinate, secundum terminos expressos cognitum credatur. Ita progressus dogmaticus proprie est explicatio *fidei* et *credendorum*, maxime explicatio eorum quæ in uno articulo vel dogmate prius cognito implicite continentur : unde Thomistæ communiter in hac implicatione instant. *Secundo* distintio *fidei* explicitæ et implicitæ est fundamentum, sicut et fuit ratio vel occasio, distinctionis inter *revelationem* explicitam et implicitam, ita ut utriusque distinctionis habeatur intima connexio et quasi eadem sors historica. Tamen istæ duæ distinctiones non coincidunt : id quod cum multi id non adverterent, causa fuit non parvæ confusionis et complicationis quæstionis. Inde denique accessit distinctio inter revelationem implicitam et virtualem.

b) *Distinctio revelationis explicitæ, implicitæ et virtualis*

XXXVII. Historico ordine post concilium Tridentinum primo distinctio inter revelationem formalem (immediatam) et virtualem (mediatam) apparet, ita tamen, ut revelatio formalis in explicitam et implicitam subdividatur. Primum impulsum *Caietanus* dedisse videtur, insistendo in vestiigis Capreoli ; Melchior *Cano* primus quæstionem proprie movit ; *Suarez* maxime triplicem distinctionem in theologiam invexit et ad quæstionem de fide applicavit.

---

ribus posttridentinis sequantur ita ut doctrina vix profectum habeat. Videsis : Mazzella, *De virtutibus infusis* (Romæ, 1879), p. 224, 324 ; Schiffini, *De virtutibus infusis* (Friburgi, 1904), p. 302 ; Hurter, *Medulla*, n. 9, 914 ; Franzelin, *De traditione*, ed. 2, sectio 4 ; Heinrich, *Dogmatische Theologie*, B. 2, § 78 ; Scheeben, *Handbuch der kath. Dogm.*, I, 147.

Sicut iam Capreolus inter articulos fidei et conclusiones inde deductas distinxerat, ita *Caietanus* duplex revelatum distinguit : « revelatum formaliter, i. e. in seipso, et virtualiter, i. e. in suis principiis » (In I, q. 1, a. 1).

Quam distinctionem Caietanus tanquam distinctionem inter revelata et doctrinam theologicam intellexit ; eodem enim loco docet : « sacra doctrina » a S. Thoma (in a. 1) « sumitur pro cognitione a Deo revelata sive formaliter sive virtualiter, *ut habet rationem disciplinæ* ». Caietanus igitur Capreolum sequitur. Atque Thomistæ abhinc generaliter terminologiam Caietani tenent. Inde dixi : Caietanus primum impulsum dedisse videtur, licet postmodum alii terminum « revelationis virtualis » in alio sensu acceperint.

XXXVIII. *Melchior Cano* primo proponit doctrinam suo tempore vigentem : « non illud modo ad doctrinam catholicam pertinere quod Apostolis expresse revelatum est, verum hoc etiam quod ex altera propositione revelata et altera certa in lumine naturali syllogismo collectioneque evidenti conficitur[1]. » Tamen addit, expresse revelata et conclusiones non eodem modo ad fidem pertinere, sed illa *immediate*, hæ *mediate*[2]. Unde duos gradus propositionum fidei distinguit : « Prior earum erit quæ theologiæ legitima principia sunt, cuiusmodicumque sint illa, sive primaria sive secundaria, hoc est ea omnia *quæ Deus in seipsis Ecclesiæ revelavit*. Posterior vero gradus harum erit quæ ex prioribus illis necessario *colliguntur*. Hoc enim genus *conclusionum*, ut cum rebus fidei colligatum, ad fidem etiam spectat. Ratio enim connexi cum concesseris superius, cogit inferius concedere : et cum inferius negaris, superius item negare cogit[3]. » Conclusiones Canus iterum sic subdistinguit : « In posteriori gradu (sc. conclusionum) duo genera intelliguntur. Unum conclusionum eiusmodi quæ ex principiis fidei solum nascuntur. Alterum earum quas non fides sola conficit sine externarum disciplinarum

1. *De locis theologicis*, l. 6, c. 8, ad. 10 (n. 17) ; cf. l. 5, c. 5, n. 24.
2. L. c., l. 12, c. 2, 5, 6 ; cf. l. 5, c. 5.
3. L. 12, c. 5, n. 2.

adiutorio, sed accitis aut uno principio aut pluribus naturæ ratione cognitis. Atque hæ quidem tametsi non eodem loco et gradu, omnes tamen simpliciter et sine additamento *quæstiones fidei* vocari possunt, nempe cum ex utrisque fidei veritas pendeat, cum utrisque coniuncta et copulata sit[1] ».

Porro Cano ea quæ immediate ad fidem pertinent, iterum in duas classes dividit. Quædam « *expresse* » in S. Scriptura continentur[2], tanquam « *apertus Scripturæ sensus* », « si Scripturæ divinæ locus planum et apertum habet sensum, vel ex contextu vel ex alio eiusdem Scripturæ loco vel ex verborum ipsorum clara luce[3] » ; quædam « *obscurius* » in S. Scriptura continentur[4], nam « Scripturæ sacræ nativa et germana sensa obscura interdum et *implicata* sunt nec semper exploratum est et cognitum, quænam illa sint quæ sine scripto Apostoli memoriæ prodiderunt[5]. » Secundum igitur Cano aliqua doctrina potest ad fidem pertinere et esse revelata : primo *immediate* et in seipsa, secundo *mediate* et in alia doctrina tanquam conclusio in principio revelato ; immediate revelata iterum vel *expresse*, aperte et plane, vel *obscure* et implicate in S. Scriptura vel in traditione continentur. Habes hic initium distinctionis revelationis immediatæ (explicitæ et implicitæ) et mediate (conclusionum). Simul ponitur quæstio, quomodo conclusiones ad fidem pertineant (de qua re infra[6]).

Premendo vestigia Melchioris Cano, *Suarez*, licet in alio sensu, revelationem in immediatam (formalem) et mediatam vel virtualem distinguit. « Duobus modis, inquit, intelligi potest aliquid cadere sub divinam revelationem : uno modo formaliter et secundum se, quia videlicet est id quod formaliter dicit Deus, et hanc vocamus formalem et immediatam revelationem... Alio modo continetur aliquid sub revelatione divina, quia licet in se non dicatur,

1. L. c., cf. l. 5, c. 5.
2. L. 12, c. 5, n. 2.
3. L. c., n. 4.
4. L. c., n. 5, 8.
5. L. c., n. 3.
6. De doctrina Melchioris Cani, videsis Marin-Sola, M. Cano et la conclusion théol., in *Revue Thomiste*, 1920, p. 1, ss.

includitur in re dicta... et hanc vocamus revelationem virtualem vel etiam mediatam[1]. » Explicationis gratia addit : « Adverto aliud esse revelationem tantum virtualem, aliud vero esse (ut ita dicam) confusam ; potest enim revelatio esse formalis et non esse per cognitionem distinctam omnium quæ in illa formaliter continentur. Quod contingit dupliciter. Primo, quando fit generalis revelatio distributiva... In illa enim universali omnes singulares formaliter continentur, quamvis confuse. Alio modo contingit hoc in definitione et partibus eius respectu definiti : nam cognitio definiti confusa est respectu definitionis, et nihilominus partes definitionis in definito formaliter continentur : et ita cum nobis revelatur Christum esse hominem, satis formaliter revelatur esse animal rationale vel habere corpus et animam humanam, licet hoc non explicite dicatur. Revelatio autem virtualis est respectu proprietatis quæ nullo modo continetur formaliter in re dicta sed tantum in radice. »

XL. Nitidissime *H. Kilber* distinctionem proponit. « Illud dicitur *formaliter* revelatum quod *ipsa locutione significatur* seu quod a loquente dicitur *vi significationis terminorum* iuxta sensum a loquente intentum et intentionem manifestatam ; quæ postrema adiicimus, quia etiam Deus loquens adhibet metaphoras usitatas in quibus proinde sensus est attendendus. Formaliter *explicite* revelatum dicitur quod ipsi locutionis *termini clare et signanter* exprimunt ; formaliter *implicite* revelatum quod *formaliter* continetur seu *formaliter idem est cum explicite revelato ;* sic continetur definitio in definito, partes physicæ essentiales in toto, propositio particularis in universali, conclusio in præmissis. Dicuntur autem hæc implicite revelata, quia licet formaliter continentur in explicite revelato, tamen proposita revelatione non statim apparent, sed per aliam propositionem debet explicari sensus revelationis et revelatio ad illis assentiendum applicari. Sic dum explicite revelatum est Christum esse hominem..., implicite revelatum est Christum esse animal rationale et compositum

1. *De fide,* disp. 3, s. 11, n. 1.

ex corpore et anima... *Virtualiter* vero dicitur aliquid revelari in alio si quid *tantum realiter idem* est cum altero formaliter revelato, cuiusmodi sunt proprietates etiam metaphysicæ respectu essentiæ... Sicut formalis revelatio solet dici immediata, sic etiam virtualis dicitur mediata ex parte obiecti, ubi aliquid nec in se ipso formaliter continetur in alio explicite revelato, sed tantum continetur virtualiter in alio *tanquam in causa et radice* aut cum eo sic connectitur, ut per legitimam consequentiam ex eo necessario deducatur[1]. » Auctoritate Suarezii distinctio dicta principaliter in theologia Societatis Jesu mox generaliter recepta fuit.

XLI. Etiam *Thomistæ* distinctionem novam amplectuntur. Ita *Iohannes a S. Thoma*[2], *Salmanticenses*[3], *Goneť*[4], *Contenson*,[5] *Billuart*[6] et alii.

XLII. Distinctio revelationis in explicitam, implicitam et mediatam vel virtualem, licet simplicissima atque evidens esse videatur, mox tamen diversimoda confusione complicata est. Confusio principalis triplex fuit. Primo confundebatur revelatio implicita et virtualis vel mediata ; secundo confundebantur conclusiones theologicæ, etiam late acceptæ, cum virtualiter revelato et vice versa. Tertio denique terminologia communis deerat. Generalis tamen ratio confusionis erat defectus distinctionis inter divisionem ipsius *revelationis* (ex parte sc. ipsius revelationis) et inter divisionem diversimodæ *cognitionis* revelatorum (ex parte sc. modi cognitionis nostræ)[7].

XLIII. Ita iam ipse *Suarez* duplicem modum distinguit quo aliqua propositio sit mediate revelata. « Uno modo, tanquam in re omnino eadem cum illa vel saltem tanquam

1. *De fide*, p. 1, c. 1, a. 2.
2. *Cursus theol.*, in 1 P., q. 1, disp. 2.
3. *De fide, disp.* 1, dub. 4, n. 117, 118, 146.
4. *Clypeus theol. thom.*, disp. prœmial, a. 3, § 1, n. 22.
5. *Theol. mentis et cordis*, de fide, l. 7, diss. 2, c. 1.
6. *Summa* S. Thomæ, prœm., a. 5. 7.
7. Cf. infra, a. 7.

pars ibi contenta, licet confuse, secundum nostrum modum concipiendi ; alio modo tanquam quid distinctum vel tanquam effectus in causa. Loquendo primo modo... licet illa propositio quoad nos et secundum nostrum modum concipiendi confuse, dicatur mediate revelata, tamen in re cadit seu extenditur revelatio ad ipsam etiam immediate. » At vero posteriori modo revelata propositio dicitur simpliciter mediate revelata[1].

XLIV. Confusionem inde ortam ostendit *Montaigne*, *De censuris seu notis theologicis et de sensu propositionum*[2]. Montaigne sequentes distinctiones et explicationes refert. *Primo* : « Alia est revelatio formalis, immediata, clara, distincta et explicita per quam nimirum res clare et distincte in seipso immediate revelata est ; alia est revelatio formalis et immediata, sed obscura et *quasi implicita* per quam etsi quidpiam clare et distincte in seipso immediate revelatum non sit, tamen immediate est revelatum obscure et confuse ; alia est revelatio virtualis, mediata et *vere implicita* qua res nec clare nec obscure revelata est immediate, sed mediate dumtaxat et in radice[3]. » *Secundo* docet a doctrinam aliquam in revelatione contineri posse, « *implicite quoad se* quatenus nempe in alia propositione in se immediate revelata continetur, tanquam *conclusio* in principio aut proprietas in essentia..., *b*) *implicite quoad nos* dumtaxat inquantum sc. immediate quidem in se, sed obscure admodum delitescit et latitat in Scripturis, unde nonnisi accedente Ecclesiæ declaratione certo cognosci potest eam fuisse revelatam[4] ». Addit : « Melius diceretur propositio huiusmodi *explicite revelata quoad se*, *implicite quoad nos.* » *c*) « Tandem dici potest propositio explicite revelata tum quoad se tum quoad nos cum nempe ita fuit a Deo revelata ut insuper vel per ipsius in sacris literis designationem aut decursu temporis per publicum Ecclesiæ decretum nobis credenda aperte proponitur. » *Tertio*[5]

1. *De fide*, disp. 19, s. 2, n. 10.
2. Apud MIGNE, *Cursus theol. completus*, vol. I, col. 1111 ss.
3. L. c., col. 1131 s.
4. L. c., col. 1127 s.
5. L. c., col. 1130 s.

docet aliquam propositionem in alia contineri posse : *a*) vel *immediate* quidem, sed *obscure et confuse* : « tales sunt propositiones quæ in Scripturis non leguntur *expressis terminis*, *sed terminis formaliter æquivalentibus* », vel *b*) *mediate* tantum, sc. ut conclusiones, vel *c*) *virtualiter*. Id quod ita explicat. Aliqua propositio in alia contineri potest aut *identice* aut *formaliter* aut *virtualiter*[1] ; *formaliter* : « illud continetur in alio formaliter quod eundem habet cum ipso conceptum, licet utrumque diversis vocibus exprimatur (= penes identitatem formalem seu conceptuum quæ totalis vel partialis esse potest) ; « sic formaliter adæquate, etsi confuse, in explicito continetur implicitum verbis grammaticaliter aut saltem quoad sensum æquivalentibus expressum. » Conclusiones denique proprie dictæ vel virtualiter contentæ tantummodo æquivalentia illativa vel causativa in revelatis continentur quam Montaigne cum Antonio de Panormo[2] ita definit : « Dicitur propositio æquivalens illative quæ non eundem omnino cum altera exprimit formaliter obiectivum conceptum significatum, sed aliud formaliter diversum. » Duæ propositiones, addit, formaliter identicæ, eundem conceptum diversis terminis exprimunt, duæ propositiones virtualiter identicæ duos differentes conceptus exprimunt quæ possunt significare duas res realiter distinctas (ut causam et effectum) quæ tamen in una formalitate uniuntur, sicut causa et effectus in causalitate vel proprietates in essentia.

XLV. *Thomistæ* quasi regulariter duplicem revelationem virtualem distinguunt. Ita *Iohannes a S. Thoma* inter implicationem virtualem illativam et implicitam distinguit. Virtualiter illative revelatæ sunt conclusiones theologice proprie dictæ, virtualiter implicite sunt ea « quæ in se revelata sunt et intenta a Spiritu Sancto, sed nobis occulta et ideo discursu attacta[3]. » *Salmanticenses* distinguunt inter revelationem virtualem quæ *æquivalet* revelationi formali et expressæ sive cum illa coincidit, ut

1. L. c., col. 1133 s.
2. *Scrutinium*, c. 3, a. 5.
3. *Cursus theol.*, In I. P., q. 1, disp. 2, a. 1, n. 4.

revelatio « virtualis propositionis particularis inclusæ in universali expresse revelata, « et inter revelationem virtualem alicuius veritatis in sua causa adæquatav el inadæquata[1] ». *Billuart* primo distinguit inter formaliter et immediate revelatum et revelatum virtualiter et mediate, « quatenus continetur in aliquo formaliter et immediate revelato, vel ut effectus in causa vel ut proprietas in essentia vel aliter ex quo per discursum vi luminis naturalis deducitur[2] »; deinde docet, conclusionem posse contineri in præmissis dupliciter : 1° *ratione connexionis naturalis*, hoc est, vel ut proprietas in essentia vel ut effectus in causa ; 2° *ratione significationis*, hoc est, vel ut pars in toto vel ut singulare in universali vel *ut implicitum in explicito*, terminis æquivalentibus expressum. Inde inter conclusionem explicantem sensum significationis et conclusionem virtualiter in præmissis contentam distinguit[3].

Uti patet, distinctio Thomistarum non est proprie distinctio *revelationis* virtualis, sed distinctio *conclusionum* quæ a theologis ex revelatis deducuntur, vel distinctio *modi* quo implicite et virtualiter revelata a nobis ex revelatione cognoscuntur. Ita optime, licet indirecte, distinctio inter implicite et virtualiter revelata determinatur ac simul via paratur ad quæstionem de definibilitate conclusionum theologicarum solvendam.

XLVI. Mirum esse non potest sub influxu harum explicationum distinctionem a Cano et Suarez initiatam mox diversimode quoque formulatam esse. Ita plures non iam distinguunt inter revelationem immediatam vel formalem (sive explicitam sive implicitam) et virtualem vel mediatam, sed distinguunt primo revelationem explicitam ab implicita, et implicitam distinguunt in quasi et vere implicitam vel in formaliter et virtualiter implicitam (cf. Montaigne), vel opponunt revelationem explicitam revelationi virtuali atque revelationem virtualem in implicitam et proprie virtualem subdistinguunt (cf. Iohannes

1. *De fide*, disp. 1, dub. 4, n. 117, 124.
2. *Summa* S. Thomæ, diss. procem., a. 5.
3. L. c., a. 7.

a S. Thoma, Salmanticenses et Billuart). Inde non parva *confusio in terminologia* exorta est, quæ præcipue in quæstione de definibilitate conclusionum theologicarum magnas difficultates creavit. Proh dolore talis confusio tempore restaurationis theologiæ scholasticæ sæculo elapso revixit, immo adhuc aucta est. Ita *Mazzella* revelationi formali et explicitæ opponit revelationem implicitam quam in formaliter et virtualiter implicitam distinguit[1]; Schiffini[2] distinguit inter actu implicita (= in significatione verborum) et connexa, sive per identitatem sive ut proprietates sive ut consequentia.

Cardinalis *Billot* distinguit explicite (= expresse vel æquivalentibus verbis) et implicite revelata (= quadam ratione contenta) et subdistinguit implicite revelata in generaliter, virtualiter et formaliter implicita[3]. Alii aliter et aliter. Formulam veterem inter alios tenent *Hurter*[4], *Pesch*[5], *De Groot*[6], *Parth. Minges*[7].

En schema diversimodæ distinctionis revelationis :

REVELATUM

I. SUAREZ	II. THOMISTAE	III. ALII
1. *formaliter (immediate)* a) *explicite* (= expressis terminis). b) *implicite* (confuse). (= terminis æquivalentibus).	1. *formaliter* (= expresse). 2. *virtualiter* (= ut conclusio). a) *implicite* (= æquivalenter formaliter, syllog. improprius). b) *illative (mediate)* (= syllog. proprius).	1. *explicite.* 2. *implicite.* a) *quasi* (formaliter, actu) *implicite.* b) *vere* (virtualiter, per connexionem) *implicite.*
2. *virtualiter (mediate)* (= in principio vel causa tantum).		

XLVII. Qua differentia terminologiæ et explicationis non obstante, triplex divisio revelationis et præsertim distinctio revelationis formalis vel immediatæ et virtualis vel mediatæ post Concilium Tridentinum tanquam thesis

1. *De virtutibus infusis*, prop. 25.
2. *De virtutibus infusis*, thesis 8.
3. *De virtutibus infusis* (ec. Rom., 1901), p. 253 s.
4. MEDULLA, n. 402.
5. Prælectiones dogmat., t. VIII, prop. 15.
6. *Summa Apologetica*, q. 9, ed. 3, a. 1, 2.
7. *Compendium theol.*, 240-242.

generaliter accepta et recognita habetur et viam paravit ad solvendam quæstionem de definibilitate conclusionum theologicarum atque ad quæstionem de evolutione dogmatum magis determinandam.

Etenim ex distinctione exposita doctrina de explicatione fidei, revelationis vel credendorum magis determinata est. Explicatio enim fidei vel progressus dogmaticus erit duplex : aut per determinationem sensus revelationis per terminos vel conceptus æquivalentes aut per conclusiones e revelatis tanquam e principiis deductas ; aut per determinationem significationis terminorum revelationis aut per explicationem eorum quæ in revelatione tantum tanquam in principio vel in causa continentur ; determinando ea quæ aut in revelatione sunt contenta aut cum ipsis tantum connexa sunt ; explicando ea quæ in revelatione continentur aut formaliter aut virtualiter ; deducenda quædam ex revelatis per deductionem aut explicativam aut illativam ; cognoscendo denique quæ in revelatione continentur aut ratione significationis aut connexionis naturalis.

Ex distinctione tamen inter istum duplicem modum explicationis veritatum revelatarum vel conclusionum inde deductarum necessario orta est quæstio utrum utraque explicatio, utrum *omnes* conclusiones deductæ sint obiectum fidei, saltem post definitionem ; imo ad hanc quæstionem solvendam principaliter triplex distinctio revelationis proposita fuit. Inde accedimus ad quæstionem *de definibilitate conclusionum theologicarum ;* sub hoc enim nomine controversia communiter agitabatur.

III. — De definibilitate conclusionum theologicarum[1]

XLVIII. Ut supra (n. 12) vidimus, a sæc. XIV generalis invaluerat doctrina, ad fidem pertinere non tantum ea

1. Quæ sequuntur, ex parte iam publicavimus in *Ciencia Tomista,* 1921, p. 305-333. — Ad ea quæ P. Mariñ-Sola ibidem mihi obiecit (1922, p. 165-194), in eodem periodico responsum dedi (1922, n. 74, p. 168-176).

quæ expresse in S. Scriptura vel traditione habentur, sed simul quæ inde bona et necessaria consequentia deducuntur. Quæ sententia etiam *in sæc. XVI communis* atque *recepta* permansit. Ita e. g. *Petrus Soto* (Instit. christ., l. 1, c. 2) docet : « Credenda sunt omnia quæ in Scripturis sacris sunt tradita *et quæ ex illis aperte sequuntur ;* item omnia quæ Ecclesia ab Apostolis credenda accepit... et denique ea omnia quæ Ecclesia credenda esse ex Scripturis et traditionibus Patrum *intulit* ac *declaravit* ». Similiter *Caietanus* tenet, ad fidem pertinere non tantum explicite sed etiam implicite revelata, licet « ingenio, labore, ratione et intellectu opus sit ut manifestentur » (Opusc. de Immac. Conceptione, c. 1). M. *Cano*, sicut modo vidimus, conclusiones ad fidem pertinere docet, sicut quæ Deus in seipsis revelavit » (Loci theol., l. 12, c. 5, n. 2). Inde (l. 12, c. 9, n. 13) scribit : « Si vel Ecclesia vel Concilium vel Sedes Apostolica vel *etiam Sancti* una mente eademque voce aliquam theologiæ *conclusionem* et confecerint et fidelibus præscripserint, *hæc veritas catholica ita censebitur ac si esset per se a Christo revelata* ». Cf. ibidem, n. 14, octava præceptio. Adhuc Cardinalis *Toletus* scribit : « Dices : quæ dicitur propositio catholica ? Dico dupliciter dici assertionem seu propositionem catholicam. Uno modo immediate, puta quæ statim ex regula fidei habetur. Alio modo mediate quæ derivatur optime et clare consequentia ex propositione priori » (In II. II, q. 5, q. 3). Et *Molina* refert : « *Consuevimus* enim dicere de fide esse ea quæ ex articulis consequuntur » (in I, q. 1, a. 2, disp. 1).

XLIX. Tamen distinctio inter implicite et virtualiter tantum revelata, præcipue a Suarezio introducta, signum fuit pro disputatione inter theologos, hucusque nondum finita.

L. *Diversa* tamen *via* processit nova *schola Societatis Jesu* et vetus *Schola Thomistarum*. Jesuitæ enim, premendo distinctionem inter revelationem immediatam et mediatam, principaliter et directe quærunt utrum *mediate* tantum *revelata* ad fidem pertineant ; Dominicani vero directe et

principaliter quærunt utrum *conclusiones* sint obiectum fidei : ita de eadem re sub diverso respectu disputabatur, non sine confusione multiplici. Unde etiam in expositione historica nec non in iudicio de doctrina ferendo maxima diligentia opus est.

LI. Prima igitur quæstio erat : utrum mediate vel virtualiter tantum revelata sint proprie obiectum fidei. Nomine quasi omnium *Suarez* duplicem proposuit thesim : 1° « revelatio formalis, etiamsi confusa sit, sufficit ad obiectum formale fidei », i. e. non solum explicite sed etiam (formaliter) implicite revelata ad fidem pertinent ; 2° « revelatio tantum virtualis seu mediata non sufficit ad obiectum formale fidei[1] ». Primam thesim Suarez ita probat : Deus, licet in revelando multa uno verbo dicat et sic quædam in confuso manifestet, tamen de revelatione facta non habet cognitionem confusam, sed distinctam, ita ut, si revelatio facta sufficienter explicetur, revelatio de se sufficiat ad assensum fidei. Merito tamen duplicem conditionem apponit, sc. ut certo constet sensum explicatum contineri (confuse) in explicite vel expresse revelato et ut assensus non præstetur vi deductionis, sed discursus accipiatur solum ad explicandum et proponendum quid sub divina revelatione contineatur. Alteram thesim Suarez ita probat : assensus ad virtualiter revelatum non potest haberi vi vel intuitu solius revelationis sed simul et proprie vi et intuitu deductionis. Quam duplicem thesim Suarezii ab hinc quasi omnes theologi sequuntur, etiam Thomistæ. Excipitur *Vasquez*, qui tenet deductionem theologicam constituere obiectum fidei (saltem pro theologo). Tamen et ipse addit, huiusmodi assensum esse « quoddam medium genus assensus » inter fidem divinam et humanam. Fundamentum huius sententiæ habetur in doctrina Vasquezii quæ docet, assensum fidei esse effectum syllogismi. Deinde Vasquez non distinguit inter conclusiones quoad se et quoad nos[2].

1. *De fide*, disp. 3, s. 11, n. 6. 7.
2. *Comment.*, in I. P. S. Thomæ, disp. 5, c. 3.

LII. Per distinctionem inter implicite et virtualiter revelata, Suarez doctrinam hucusque vigentem optime ad tramitem veritatis reduxerat vel potius sensum eius proprie intentum legitime determinaverat. Attamen Suarez, motus forsitan per auctoritatem veteris doctrinæ, cuius originem non proprie nosse videtur, et simul fretus doctrina propria, iudicium sc. Ecclesiæ habere vim locutionis Dei, tertiam thesim addit : « conclusionem theologicam quæ prius tantum virtute continebatur in rebus revelatis, postquam per Ecclesiam definitur, esse formaliter et propriissime de fide, non mediate tantum, sed immediate : quia iam non habetur illa veritas tantum ut virtute et mediate revelata, sed ut revelata formaliter et in se[1]. »

Suarez duo argumenta principalia adducit[2]. Primum : propositiones ab Ecclesia definitæ sunt de fide ; secundum : « id quod Ecclesia definit, Deus per Ecclesiam testificatur ; Ecclesia autem definit talem veritatem in se ac formaliter ; ergo iam Deus illam in se ac formaliter testificatur ; ergo eo ipso est constituta sufficienter sub obiecto formali fidei : nam testimonium divinum idem est ac æque certum, sive per ipsum sive per Ecclesiam vel alium ministrum Deus illud prabeat. » Uti patet, primum argumentum supponit Ecclesiam aliquando doctrinam virtualiter tantum revelatam tanquam de fide definisse, vel argumentum confundit infallibile iudicium Ecclesiæ de conclusionibus theologicis cum definitione dogmatica de doctrina formaliter revelata. Alterum argumentum supponit doctrinam Suarezianam quæ tenet, Ecclesiæ magisterium « æquivalere » revelationi vel locutioni divinæ vel eam consummare » ; similiter iterum confunditur certitudo iudicii infallibilis Ecclesiæ cum revelatione. Denique Suarez hic vocem « mediate » vel « virtualiter revelatum » in sensu latiori accipere videtur, i. e. pro omni quod quocumque modo in aliquo expresse revelato « continetur ». Unde in ulteriori probatione non amplius distinguit inter doctrinas implicite vel confuse et virtualiter tantum reve-

1. L. c., n. 11.
2. L. c., n. 11.

latas. Etenim sic argumentatur : « licet Ecclesia dicatur non docere novam fidem, quia semper explicat antiquam, nihilominus sua definitione facit ut aliquid sit nunc de explicita et formali fide quod antea non erat » ; similiter Suarez addit, definitiones Ecclesiæ, ut de infinitate Dei, « satis immediate esse revelatas in Scripturis, si non iisdem terminis, saltem æquivalentibus ». Idem dicendum est de doctrina Card. *De Lugo*[1], qui hanc Suarezii sententiam maxime secundavit : etenim et ipse, licet asserat : « Ecclesia conciliis solum evolvit revelationes antea factas et eorum verum sensum proponit infallibiliter propter assistentiam Spiritus Sancti[2] », tamen tenet magisterium Ecclesiæ habere vim « mediatæ » revelationis vel locutionis Dei[3].

LIII. Per tertiam thesim modo expositam Suarez *quæstionem de definibilitate* virtualiter revelatorum vel conclusionum theologicarum in scholas induxerat.

Attamen oppositio non deerat. Ipse Suarez maxima vehementia invehit *L. Molinam* qui docuerat, veritatem virtualiter tantum revelatam per Ecclesiam ad dignitatem veritatis fidei evehi non posse, sed Ecclesiam id tantum determinare talem veritatem ex principiis fidei deduci posse. Ex sodalibus Suarezii optime eum refutat *H. Kilber*[4], ea præsertim fretus ratione : doctrinam virtualiter tantum revelatam teneri non posse exclusive propter auctoritatem Dei revelantis, quia revelatio « tantum nobis infert conceptum essentialem rei per eam significatæ[5] ». Ad obiectionem, Deum nosse omnia quæ ad rem de qua facta est revelatio, pertinent, respondet : hoc sine dubio certum est, tamen Deus non totam suam scientiam de re illa revelat vel manifestat, sed ea tantum quæ per terminos revelationis significantur. Contra Suarez docet : « De fide tenendum est : nil Ecclesia proponit nisi quod implicite saltem est revelatum in verbo Dei scripto vel tradito :

1. *De fide*, disp. 1, s. 13.
2. L. c., n. 270.
3. L. c., n. 273.
4. *De fide*, p. 1, c. 1, a. 2.
5. L. c., (ed. MIGNE, *Cursus*, VI, 455).

potest tamen Ecclesia id quod virtualiter in revelato continetur, proponere tanquam theologice certum[1]. »

LIV. *Thomistæ*, uti iam notatum fuit, immediate et proprie alteram quæstionem movent : utrum sc. *conclusiones* theologicæ ad fidem pertineant atque (cum Suarezio), utrum definibiles sint. In qua quæstione attendendum est ad hoc quod terminus « conclusio » in sensu largo et generico accipitur, i. e. pro quacumque doctrina quæ a theologis per deductionem ex revelatis cognoscitur. Doctrina Thomistarum his tribus thesibus complectitur : 1° Conclusiones theologicæ ut *conclusiones* ad fidem non pertinent ; 2° conclusiones ut *doctrinæ* ad fidem pertinent et sunt definibiles ; 3° tamen conclusiones quæ sunt de doctrina mediate vel *virtualiter tantum revelata*, non possunt definiri tanquam ad fidem pertinentes nec unquam tales definitæ sunt, sed tantum doctrinæ formaliter, explicite vel implicite revelatæ. Distinctio igitur revelationis immediatæ et mediatæ indirecte in quæstionem venit. Ita Thomistæ veterem thesim : bona et necessaria consequentia ad doctrinam catholicam pertinent, dupliciter distinguunt : *a*) conclusio definibilis est, non ut est conclusio, sed ut est formaliter revelata ; *b*) conclusio, de doctrina virtualiter tantum revelata non est definibilis, sed tantum conclusio de doctrina saltem implicite revelata. Ita tum doctrina vetus tum sententia Suarezii corrigitur vel ad tramitem veritatis reducitur.

LV. Ita *Iohannes a S. Thoma*[2] sententiam, conclusiones ad fidem pertinere, cum Navarete et M. Gonzalez tanquam communem inter thomistas declarat[3]. Ita tamen rem explicat. Conclusio quidem, ut est conclusio, non potest esse de fide, quia assensus ad eam non a sola revelatione sed simul a deductione dependet, quia talis doctrina tantum, « per connexionem et consequentiam » revelata habetur[4].

1. L. c., (VI, 458).
2. *Cursus theol.*, In I. P., q. 1, disp. 2, a. 4.
3. L. c., n. 3.
4. L. c., concl. 1 (contra Vasquez).

Quod autem Ecclesia talem conclusionem possit definire, ipsi constat tum ex facto tum ex ratione : Ecclesia enim definiendo talem conclusionem neque discursum neque deductionem ut talem, sed immediate doctrinam revelatam definit, definitione sc. declarativa[1]. « Ecclesia in definiendo veritates transit a discursu et disputatione qua inquirit, an hoc sit contentum in Scriptura vel revelatione Dei, ad testificationem immediatam fidei, quia sic, inquit, visum est Spiritui Sancto, non quia discussum est[2] », sc. quia doctrina in se est revelata, licet nobis esset occulta et implicita, quousque per Ecclesiam declararetur[3]. Tertiam thesim in resp. ad obiectiones explicat (sicut generaliter ipsi mos est), sc. Ecclesiam definire tantum immediate, non vero virtualiter tantum revelata. » (Nego), inquit, quod propositiones definitæ ab Ecclesia non sint immediate revelatæ a Deo, licet revelatio illa sit implicita et occulta nobis et ideo per discursum attingatur[4]. » « *Quod si aliqua nullo modo sunt immediate revelata, neque implicite neque explicite, Ecclesia nunquam proponit tanquam de fide...* : bene tamen ea quæ immediate revelata sunt, sed quoad nos erant adhuc occulta et discursu solo attacta, potest Ecclesia declarare tanquam de fide ex assistentia Spiritus Sancti[5] », non per « revelationem, sed per novam manifestationem revelationis antea factæ ad quod Ecclesia habet assistentiam infallibilem Spiritus Sancti[6] ». Ita respondet « Ecclesiam non condere Scripturam sed conditam explicare auctoritate et assistentia divina. Nec dicimus Ecclesiam reddere de fide omnia quæ declarat, sed solum illa quæ declarat ut pertinentia ad fidem[7] ». Unde Iohannes a S. Thoma qui conclusiones « virtualiter » revelatas vocat, duplex virtualiter revelatum distinguit, sc. virtualiter implicite et virtualiter illative, ut supra, n. XLV, exposuimus.

1. L. c., concl. 2 (contra Molina).
2. L. c., n. 6.
3. L. c., n. 8.
4. L. c., n. 10.
5. L. c., n. 13.
6. L. c., n. 15.
7. L. c., n. 12.

LVI. Eandem doctrinam atque sub eadem forma *Salmanticenses* docent[1]. Quærunt enim utrum « revelatio virtualis constituat rationem formalem fidei theologicæ[2] ». Respondent primo : propositiones particulares inclusæ in universali formaliter revelata sunt de fide. Probatur : quia *revelatio virtualis æquivalens formali* sive cum illa coincidens constituit veritatem revelatam, et revelatio virtualis propositionis particularis inclusæ in universali *expresse revelata æquivalet* revelationi expressæ et formali eiusdem particularis. Inde etiam ab Ecclesia definiri potest. Ad quod Salmanticenses notant : « aliud esse Deum revelare formaliter et expresse aliquam veritatem, aliud vero constare nobis distincte sensum prædictæ revelationis. Primum enim frequenter invenitur absque posteriori, ut constat in pluribus revelationibus Scripturæ sacræ per quam Deus intendit nobis aliquam veritatem explicite manifestare quam tamen distincte non percipimus, eo quod ignoramus adæquatum sensum divinæ locutionis : percipimus autem explicite si quando per Ecclesiam fuerit declaratus. Quæ dum aliquid expresse credendum definit, non format aut proponit novam Dei revelationem, sed earum quæ sunt in sacris literis, sensum declarat[3]. » : quæ ratio evidenter non pro solis propositionibus particularibus valet. Unde alio loco ipsi Salmanticenses notant : multa expresse sed confuse in S. Scriptura continentur, ut : in Eucharistia corpus Christi una cum sanguine et anima continetur[4]. Ad difficultatem quæ obiicit, sensum implicitum per syllogismum cognosci, respondent per distinctionem inter syllogismum proprium et improprium, vel illativum et explicativum[5].

1. *De fide*, disp. 1, dub. 4.
2. N. 116.
3. N. 117.
4. N. 146.
5. « *Discursus* est duplex, *proprius* sc. et *improprius*. Prior importat motum intellectus a principiis ad effectus, vel ab effectu ad sua principia, est enim progressus a notis ad ignota. Posterior vero non includit huiusmodi motum, sed quasi in eodem puncto persistens, tantum explicat in consequenti quod in præmissis non ita perspicue significatum habebatur. Ob idque, illius conse-

Secundo Salmanticenses docent *revelationem virtualem* alicuius veritatis *in sua causa tantum*, adæquata vel inadæquata, *non sufficere* ad rationem sub qua habitus fidei adeoque prædictam veritatem non esse de fide sed conclusionem theologicam[1]. Argumentum Suarezii quod dicit Ecclesiam sæpe definisse ut credendas de fide plures veritates quæ non sint formaliter revelatæ, negant simpliciter. Reiecta primo explicatione Vasquezii ad doctrinam Suarezii respondent : « Fallitur ille auctor dum eam dicit communem theologorum : vix enim ullus est qui ei subscribat : nam etsi omnes concedant ea quæ Ecclesia definit ut dogmata, esse proprie de fide, nullus tamen asserit, hoc ideo esse, quia Deus per Ecclesiæ definitionem aliquid denuo nobis revelat, quinimo hic dicendi modus ab omnibus reiicitur. Et merito : quia Ecclesia non habet auctoritatem ut faciat de fide in actu secundo et quoad nos ea quæ non sunt de fide in actu primo et quoad se. Alias independenter a Sacra Scriptura et divinis traditionibus posset plura definire, quod non conceditur. Nec ei assistit Spiritus Sanctus, ut nova omnino dogmata condat, sed tantum ut fideliter et absque erroris periculo explicat sensum Scripturæ sacræ, declaretque proinde an aliquid fuerit a Deo revelatum[2]. » Reiecta deinde sententia Lugonis quasi difficultatem non solvente et ad rem non pertinente, Salmanticenses concludunt : « Ecclesia nunquam definit ut dogma id quod non præsupponitur illius definitioni revelatum formaliter in sacris literis saltem confuse et implicite », i. e. Ecclesia tantum formaliter revelata, licet confuse et implicite, tanquam dogmata fidei definit.

LVII. Simili denique modo *Billuart* quæstionem solvit.

quentia non dicitur illativa et probativa sed tantum explicativa. Et merito, quia non est apta nata generare diversam specie notitiam a cognitione præmissarum quod videtur proprium esse discursus ; sed tantum hanc perficit et illustrat. Licet appareat ratio discursus ex parte formæ, non tamen adest vera illatio aut probatio conclusionis... » SALMANT., *De fide*, disp. 1, dub. 4, n. 122. Cf. SUAREZ, *De fide*, disp. 3, s. 11, n. 6 ; PESCH. *Prælect.*, VIII n. 263 ; MARIN-SOLA in Ciencia Tomista, 1911, p. 49 ss.

1. N. 124.

2. N. 144. Nota : quasi eisdem verbis utitur Conc. Vatic.

Propositionem fidei a conclusionibus theologicis ita distinguit[1] : « Propositio fidei est quæ in verbo Dei scripto vel tradito formaliter et immediate revelatur et ab Ecclesia catholica ut revelata proponitur... Conclusio theologica est quæ per discursum naturalem deducitur vel ex duabus præmissis de fide vel ex una de fide et altera naturali certa in quibus virtualiter continetur, unde est tantum virtualiter revelata. » Huiusmodi conclusiones tamen iterum sic distinguit : « Conclusio potest virtualiter contineri in præmissis dupliciter, 1° ratione connexionis naturalis, hoc est, ut proprietas in essentia vel ut effectus in causa ; 2° ... ratione significationis, hoc est, vel ut pars in toto vel ut singulare in universali vel ut implicitum in explicito, terminis æquivalentibus expressum... Huiusmodi conclusio non est proprie et stricte conclusio... sed potius *explicatio significationis præmissarum* est atque immediate revelata et ideo certa certitudine fidei et ad fidem pertinet ».

LVIII. Itaque Thomistæ directe quæstionem utrum conclusiones ad doctrinam catholicam vel ad fidem pertineant, aggressi sunt et mediante distinctione inter revelationem mediatam et immediatam solverunt, *distinguentes sc. inter conclusiones quæ doctrinam formaliter revelatam* continent et quæ tantum sensum implicitum revelationis explicant atque determinant vel aliis conceptibus exprimunt (syllogismus explicativus, deductio ratione significationis terminorum, virtuale implicitum), et inter conclusiones quæ *doctrinam mediate tantum revelatam* continent quæ sc. doctrinam in revelatione tantum ut in principiis vel in causa revelatas deducunt (syllogismus proprius vel illativus, deductio ratione connexionis naturalis, virtuale illativum). Secundum principia de natura et obiecto fidei Thomistæ deinde tenent : nonnisi formaliter revelata, licet æquivalenter tantum, possunt ad fidem pertinere ; simul reiiciunt doctrinam Suarezii et Lugonis de complemento revelationis per magisterium Ecclesiæ. Ita doctrina Thomistarum de definibilitate conclusionum theologicarum omnino concordat cum eorum

1. *Summa* S. Thomæ, I, Dissert. proæmial., a. 7, cf. a, 5.

doctrina de evolutione dogmatum vel de explicatione fidei.

LIX. In fine sæc. XVIII *Montaigne* « arduam admodum ac intricatam quæstionem », an sc. conclusiones theologicæ sint de fide, ita expedit[1]. 1° conclusiones theologicæ formaliter sumptæ, sc. ut sunt conclusiones et quatenus deducuntur, non sunt de fide. 2° Conclusiones theologicæ materialiter sumptæ, i. e. ut sunt propositiones et sine dependentia a deductione, quæ sunt in se immediate revelatæ, licet ex aliis fidei capitibus legitime deducantur, vel quæ sunt meræ expositiones revelatorum, sunt de fide. 3° Conclusiones theologicæ materialiter spectatæ quæ licet clare et distincte in se ipsis immediate revelatæ non sint, tamen immediate revelatæ sunt obscure et confuse, sunt de fide, si sc. constet de implicatione. 4° Conclusiones theologicæ deductæ ex duabus præmissis immediate revelatis sunt materialiter consideratæ de fide. 5° Conclusiones mere et vere theologicæ ex duobus præmissis quarum una est de fide, altera lumine naturali nota, certa et evidenter deductæ, non sunt de fide, quia non creduntur ut revelatum et testificatum a Deo (cf. supra, n. XLIV).

LX. Ex *schola Augustiniana* Berti sic docet : « De rebus et propositionibus fidei dupliciter loqui possumus : uno modo, absolute secundum seipsas : alio modo, per respectum ad nos. Si loquamur primo modo, illa sola sunt de fide quæ a Deo sunt revelata : vel immediate quia explicite sunt ab illo tradita : vel mediate quia evidenter colliguntur ex iis quæ ipse tradidit. Si vero loquamur secundo modo, tunc illa sunt de fide quæ et revelata sunt a Deo et nobis constat *aliqua ratione* a Deo esse revelata. Sed quatuor sunt rationes quæ nos possunt reddere certos circa hoc : primum, S. Scriptura ; secundum, Apostolorum traditio ; tertium, conciliorum et pontificum definitiones ; quartum, evidentia rationis, inferens ex uno aliud... Tales propositiones evidenter collectæ ex propositionibus de fide, etiam de fide censendæ sunt. Patet quia sunt a Deo revelatæ,

1. *De censuris*, a. 2, § 1. MIGNE, I, 1134 ss.

saltem mediate... Cum enim propositio de fide ea sit, quæ in S. Literis, in receptis ab Ecclesia traditionibus, in decretis ac definitionibus Ecclesiæ expresse continetur aut inde certa manifestaque firmissimaque connexione deducitur, illa propositio hæretica censenda est quæ uni ex iis e diametro deprehenditur contraria[1]. »

LXI. Longum ac parum utile est, sententias *cæterorum theologorum* referre. Tantum modo quasdam generales observationes addimus.

Primo : Historice loquendo, theologi communiter duas sententias impugnant, sc. sententiam Vasquezii et Molinæ : contra Vasquez docent conclusiones, ut conclusiones, non esse fide tenendas, contra Molina defendunt, conclusiones definitas esse de fide. Ita præsertim Thomistæ : qui insuper tertiam thesim Suarezii impugnant.

Secundo : Multi theologi non procedunt ulterius, i. e. quæstionem non amplius determinant : inde plurimi theologi simpliciter conclusiones ut definibiles declarant.

Tertio : quam maxime attendendum est ad *diversitatem terminologiæ.* Ita, ut pluribus vicibus notavimus, Thomistæ conclusiones generaliter vocant « virtualiter » revelatas : inde plurimi Thomistæ (contra Molinam) definibilitatem doctrinæ « virtualiter » revelatæ defendunt. Similiter terminus « conclusionis » et præcipue conclusionis « propriæ » et « impropriæ » diversimode intelligitur. Alii conclusionem vocant simpliciter doctrinam per deductionem habitam, alii sub nomine conclusionis intelligunt doctrinam virtualiter tantum revelatam (ut sc. virtualiter revelatum distinguitur ab implicite revelato). Similiter alii conclusionem « propriam » vocant illam quæ est de doctrina virtualiter tantum revelata (in sensu modo notato), alii e contra huiusmodi conclusionem vocant impropriam, quæ sc. improprie ad theologiam pertineat ; per consequens alii vocant conclusionem « impropriam » illam quæ tantum sensum revelatorum explicat, dum alii eandem « propriam » dicunt, utpote obiectum proprium theologiæ constituens.

1. Berti, *De theologicis disciplinis,* Prologus, c. 5, n. 5.

Theologia recentior nomen « conclusionis theologicæ » et per consequens nomen « conclusionis theologicæ proprie dictæ » intelligit tanquam terminum technicum quo designantur proprie doctrinæ ex veritatibus deductæ, quæ sc. in revelatione nec explicite nec implicite (i. e. æquivalenter), sed proprie tantum ut in principio vel ut in causa continentur : et hoc sensu proprie in libris theologicis modernis agitatur quæstio de definibilitate conclusionum theologicarum.

Quarto : Circa quam quæstionem theologia posttridentina id saltem effecit ut plures theologi, et præcise maioris nominis, admitterent quidem definibilitatem conclusionum late vel improprie dictarum quibus sc. revelata explicantur, determinantur ac formulis scientificis exprimuntur, definibilitatem vero conclusionum theologicarum proprie et stricte dictarum quibus sc. ex ipsis revelatis consequentiæ deducuntur, negarent.

Unde hæc doctrina etiam restaurata theologia scholastica omnino communior remansit. Ita ex modernis tantum formaliter vel immediate revelata definiri posse, non vero virtualiter revelata, tenent : *Hurter*[1], *Pesch*[2], *Mazella*[3], *Billot*[4], *Grool*[5], *Van Noort*[6], *Huarte*[7], *Franzelin*[8], *Palmieri*[9], *Hugon*[10], *Diekamp*[11], *Heinrich*[12], *Scheeben*[13], *Tanquerey*[14]. Contrariam sententiam, sc. conclusiones simpliciter esse definibiles, ex Scotistis tenet *Minges*[15] et ita Immacu-

1. Medulla, n° 402.
2. *Prælect.*, VIII, prop. 15.
3. *De virt. inf.*, prop. 18-20.
4. *De virt. infusis*, p. 255 ss.
5. *Summa Apolog.*[3], q. 10, a. 6.
6. *De fontibus revelationis*[3], n. 197.
7. *De virt. inf.*, th. 8.
8. *De trad.*[2], p. 318.
9. *De Romano Pontifice*[3], p. 225.
10. *De Deo uno et trino*, p. 13 ss.
11. *Kath. Dogm.* I[3], § 6.
12. *Dogm. Theol.*, I[2], 544 ff.
13. *Dogm.*, I, § 49.
14. *Syn. theol. dogm. spec.*, I[14], n. 193 (qui tamen immerito Thomistis sententiam contrariam imputat).
15. *Compendium theol.*, 240-242.

latam Conceptionem B. M. V. definitam fuisse putat, cum tamen definitio illam tanquam doctrinam « divinitus revelatam » declaret. Inter Thomistas *M. Tugærts* tenet omnia cum revelatione connexa ut de fide definiri posse, utpote tanquam revelata[1].

Mediam quandam viam tenent *A. Gardeil*, O. P., et *Marin-Sola*, O. P. Secundum P. *A. Gardeil*, O. P., conclusiones ut tales non sunt definibiles, attamen veritates per modum conclusionis deductæ, i. e. conclusiones theologicæ sunt de fide, non quidem ut via dialectica deductæ sed ut per intellectum supernaturalem Ecclesiæ in deposito fidei intuitæ[2]. *P. Marin-Sola*, O. P., duplex virtualiter revelatum distinguit : virtualiter inclusivum (quando agitur de eadem realitate) et virtualiter connexivum (quando agitur de realitate distincta). Circa revelatum virtualiter inclusivum habetur conclusio theologica proprie dicta : quæ cum sit veritas identica cum revelatis (homogeneitas), est definibilis ; circa virtualiter connexivum non habetur certitudo theologica proprie dicta, sed tantum certitudo ordinis physico-moralis adeoque talis conclusio non est definibilis atque secundario tantum ad theologiam pertinet[3].

LXII. Theologia igitur scholastica, mediante distinctione inter revelationem immediatam et mediatam et inter revelationem implicitam et virtualem, doctrinam de explicatione revelatorum maxime determinavit. Inde progressus dogmaticus proprie et formaliter est explicatio ipsius doctrinæ revelatæ, sive per solam expositionem terminorum vel significationis revelationis, sive per determinationem et formulationem doctrinæ revelatæ secundum

1. *L'évolution du dogme*, Louvain, 1919. Cf. criticam P. A. Gardeil, in *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, 1920, p. 653-658.

2. *Le donné révélé*, p. 171-185.

3. La homogeneidad de la doctrina catolica, in *Ciencia Tomista*, 1911-1920 ; cf. eiusdem : Melchior Cano et la conclusion théologique, *Revue Thomiste*, 1920, p. 1 ss. — Similem thesim tenet Daniel Sola, S. J., eamque dicit « in re communissimam » et « valde probabiliorem » (De gratia Christi et virtutibus infusis, Vallisoleti, 1919, n. 619-20).

terminos et conceptus obiective æquivalentes ; tamen nihil obstat quin huiusmodi expositio, interpretatio vel determinatio doctrinæ revelatæ ex parte nostra per deductionem syllogisticam, mediantibus cognitionibus naturalibus fiat, ita sc. ut doctrinæ ab Ecclesia ut dogmata definitæ per modum conclusionis e revelatis deducantur, dummodo doctrina definita *obiective* sit formaliter revelata, licet tantum æquivalenter.

LXIII. In qua quæstione vel doctrina quam maxime *continuitas doctrinæ scholasticæ apparet.* Nam scholastici maiores sæc. XIII nonnisi revelata tanquam credibilia admittunt, simul tamen cum eorum explanatione, explicatione, determinatione ; Nominalistæ conclusiones quidem simpliciter tanquam veritates fidei admittere videntur, intelligendo tamen sub nomine conclusionum explicationem vel determinationem ipsorum revelatorum ; scholastici vero posttridentini, distinguentes inter conclusiones mediate et immediate revelatas, sententiam nominalisticam exactius et verius determinant ac ita ad doctrinam scholasticorum maiorum redeunt.

LXIV. Inde doctrina exposita de explicatione revelatorum et de progressu dogmatico *quoad substantiam* tanquam *communis* totius theologiæ scholasticæ censenda est. Difficultates et controversiæ remanentes ex differentia terminologiæ et ex confusione circa diversimodam revelationis distinctionem oriuntur. Denique notare licebit doctrinam expositam *quoad rem* proprie non fuisse nec esse obiectum controversiæ inter scholam thomisticam et scholam Societatis Jesu, licet ob diversitatem terminologiæ et alias confusiones multiplex intervenisset disputatio et varietas.

LXV. Denique quæstiones de progressu fidei et præcipue de credibilitate et definibilitate conclusionum theologicarum simul alios fructus attulerunt. Et *primo* quidem *notionem exactam ipsius dogmatis.* Recolatur definitio ipsius Billuart[1] : « Propositio fidei est quæ in Verbo Dei

1. *Summa* S. Thomæ, I, dissert. prœm., a. 5.

scripto vel tradito formaliter et immediate revelatur et ab Ecclesia catholica ut revelata proponitur », vel definitio Montaigne : « Propositio est de fide quando est revelata aut expressis et conceptis aut synonimis terminis (= explicite) aut saltem æquivalentibus quoad sensum (= implicite)[1]. »

Qua in re tria principue clarius determinata sunt. Primum : ad rationem dogmatis requiri doctrinam formaliter revelatam. Secundum, ad rationem dogmatis (inquantum distinguitur a doctrina revelata) requiri *propositionem expressam et determinatam* veritatis credendæ per Ecclesiam catholicam nec sufficere propositionem generalem vel implicitam quæ habetur in propositione S. Scripturæ tanquam Verbi Dei inspirati vel in propositione generali traditionis divinæ, in Ecclesia existentis. Tertio, ad hoc quod aliqua doctrina ab Ecclesia ad credendum proponatur, requiritur propositio infallibilis (= definitio ex cathedra).

Inde *secundus fructus* doctrinæ de explicatione fidei est maior cognitio et determinatio *infallibilitatis Romani Pontificis*, et quidem sub duplici respectu : primo infallibilitas Romani Pontificis magis explicite et certe cognita et agnita est ; secundo facta est distinctio inter infallibilitatem Romani Pontificis circa ipsa revelata et circa illa quæ ex revelatis consequuntur vel cum illis connexa sunt. Expositio tamen huius evolutionis non est nostrum ac de cætero longa.

Tertius fructus erat doctrina de *fide ecclesiastica*[2]. Ea enim, quæ in revelatione tantum ut in principio vel in causa continentur, ut conclusiones circa virtualiter tantum revelata, vel aliter cum revelatis connexa sunt, ut facta dogmatica, approbatio ordinum religiosorum, canonisatio sanctorum, non possunt quidem esse obiectum fidei theologicæ, tamen sunt obiectum (secundarium) infallibilitatis Ecclesiæ et Romani Pontificis. Unde iudicia

1. *De censuris*, MIGNE, *Cursus theol. completus*, I, 1138.

2. Cf. MARIN-SOLA, in *Ciencia tomista*, 1921, n. 68, p. 160-173. Terminus : « fides ecclesiastica » prima vice a. 1644 ab archiepiscopo Parisiensi Péréfixe in sensu novo adhibitus fuisse videtur. Vide TOURNELY, *De Eccl.*, q. 5, a. 5.

definitiva Ecclesiæ circa huiusmodi propter auctoritatem infallibilem Ecclesiæ tenenda sunt.

Ita assensus ad huiusmodi declarationes Ecclesiæ vocatur fides ecclesiastica, *fides* inquantum infallibilitas Ecclesiæ ex revelatione divina constat, fides *ecclesiastica* inquantum ratio immediata assensus est auctoritas infallibilis Ecclesiæ. Fidem ecclesiasticam admittunt inter recentiores e. g. *Pesch*[1], *Simar*[2], *Scheeben*[3], *Billot*[4], *Van Noort*[5], *Die-Kamp*[6], *Huarte*[7]; negant *Glossner*[8], *Schiffini*[9], *Gardeil*[10], *Tugærts*[11], *Marin-Sola*[12].

Ita denique in hac periodo doctrina de evolutione dogmatum sat sufficienter explicata est, magno quidem labore nec semper via directa neque in omnibus definitive. Partes tamen principales doctrinæ scholasticæ anti — et posttridentinæ per Concilium Vaticanum sanctionem definitivam et infallibilem acceperunt.

APPENDIX

De sententia S. Thomæ circa definibilitatem conclusionum theologicarum.

1. Scholastici sæc. XIII quæstionem de definibilitate conclusionum theologicarum, prout hodie agitatur, ex professo non tractaverunt ; tamen apud illos quædam doctrinæ capita extant quæ cum quæstione prædicta sunt *connexa*. Cum huiusmodi doctrinæ, præsertim S. Thomæ, a theologis in testimonium sententiæ tum affirmativæ

1. *Prælect. dogm.*, VIII, n. 256. cf. I, n. 554.
2. *Dogm.*, I, § 14.
3. *Dogm.*, I, 301 s.
4. *De virt. infusis*, 265.
5. *De fontibus revel.*, n. 246.
6. *Kath. Dogm.*, I[3], § 6.
7. *De virt. inf.*, th. 8.
8. *Dogm.*, I, 132.
9. *De virtutibus infusis* (1904), p. 213-230.
10. *Le donné révélé*[2], p. 186.
11. *L'évolution du dogme*, p. 122.
12. *Ciencia Tomista*, 1922, n. 73.

tum negativæ adducantur, per modum appendicis exponemus quomodo doctrina S. Thomæ ad quæstionem positam se habeat.

2. *Quatuor doctrinæ* S. Thomæ connexionem habent cum nostra quæstione, sc.

a) doctrina de divisione credibilium in articulos cum eorum antecedentiis et consequentiis ;

b) doctrina de explicatione revelatorum ;

c) doctrina quæ distinguit inter ea quæ directe, et ea quæ indirecte ad fidem pertinent ;

d) doctrina de obiecto proprio theologiæ.

3. *Prima doctrina* S. Thomæ (et aliorum scholasticorum sæc. XIII) quæ credibilia in articulos, antecedentia et consequentia dividit, habet tantum *nomen commune* cum quæstione de conclusionibus theologicis. Ut enim supra vidimus (n. x), illa divisio est *divisio* credibilium, i. e. ipsorum *revelatorum*, et doctrinæ illæ quæ vocantur consequentiæ vel corollaria, sunt doctrinæ explicite revelatæ, ut e. g. doctrina de Eucharistia : dicuntur consequentiæ inquantum sunt doctrinæ particulares quibus aliqua doctrina generalis determinatur, et quidem per novam revelationem, ut supra sufficienter exposuimus. Itaque nomen « consequentiæ » omnino alio in sensu accipitur ac in quæstione de « conclusionibus » theologicis.

4. *Altera doctrina* S. Thomæ (et scholasticorum sæc. XIII) quæ conclusiones respicit, est doctrina *de explicatione revelatorum*. Ut enim supra vidimus (n. XI), S. Thomas tanquam obiectum credendum statuit revelata, prout tamen per Ecclesiam proponuntur, explicantur, exponuntur et definiuntur id quod S. Thomas ex professo in II. II q. 1 a, 6-10 exponit.

Ex hoc capite doctrinæ sequitur, illas conclusiones theologicas esse definibiles atque post definitionem Ecclesiæ fide divina tenendas quæ sunt explicationes, determinationes vel præcisas expressiones revelatorum (per formulas dogmaticas); nihil vero sequitur quoad definibilitatem conclusionum proprie dictarum, quæ sc. consequentias ex ipsis revelatis deducunt.

Etenim illa « explicatio credendorum » ex parte theologorum fit mediante discursu et conclusio deducta est ipsa explicatio revelationis : inde habetur conclusio per Ecclesiam definita atque fide divina tenenda. Huiusmodi vero doctrina deducta est tantum explicatio et determinatio ipsius doctrinæ revelatæ, non continet aliam doctrinam, sed « eandem magis expositam » (S. Thomas, II. II q. 1 a. 10 ad 2). Atque propter hoc præcise illa « explicatio » post definitionem Ecclesiæ est fide divina tenenda.

S. Thomas igitur docet, conclusiones theologicas quibus ipsa doctrina revelata explicatur ac determinatur, ab Ecclesia definiri posse ac de facto definiri ut dogmata. Nihil vero dicit de doctrinis ex ipsis revelatis proprie per modum consequentiæ deductis. Neque huiusmodi conclusionum definibilitas ex hac doctrina sequitur, sed potius contrarium : tota enim ratio definibilitatis conclusionum impropriarum est earum identitas cum doctrina revelata : quæ ratio non habetur in consequentiis proprie dictis.

5. *Tertia doctrina* S. Thomæ (nec non theologorum sui temporis) hic consideranda est *distinctio inter ea quæ directe, et ea quæ indirecte ad fidem pertinent.*

Quæ quidem doctrina non enunciat definibilitatem conclusionum propriarum, tamen, cum a diversis diversimode explicetur, peculiari expositione indiget.

6. In Summa theologica, II. II q. 11 a. 2 — incipio a loco principali ubi S. Thomas quæstionem ex professo tractat — quæritur : « utrum hæresis sit proprie circa ea quæ sunt fidei ». Hic articulus est appendix et complementum articuli præcedentis : « utrum hæresis sit infidelitatis species ». Quæstio nempe est de notione specifica hæresis. In q. 10 S. Thomas determinaverat : quid sit « infidelitas ». Respondet : « Peccatum infidelitatis consistit in renitendo fidei » (q. 10 a. 5). Huiusmodi infidelitatis plures sunt species, inter quas est hæresis, quæ sc. « renititur fidei christianæ (manifestatæ) » (q. 10 a. 5). Unde q. 11 a. 1 hæresis definitur tanquam *deviatio a rectitudine fidei christianæ* « per hoc quod (quis) intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea quibus Christo assen-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tiat ; quia *non* eligit ea quæ sunt *vere a Christo tradita*, sed ea quæ sibi propria mens suggerit. Et ideo hæresis est infidelitatis species, pertinens ad eos qui fidem Christi profitentur, sed *eius dogmata corrumpunt* ».

7. Id quod in art. seq. magis determinatur. Cum enim hæresis definiatur tanquam « deviare a rectitudine fidei christianæ », tanquam reprobatio eorum quæ sunt « a Christo tradita » tanquam corruptio « dogmatum Christi » (a. 1) vel « corruptio fidei christianæ » (a. 2), ulterius quæritur : « utrum hæresis sit proprie circa ea quæ sunt fidei » (a. 2). Ratio huiusmodi specialis quæstionis est hæc : hæresis una ex parte etiam circa alia quam circa res credendas esse videtur (obiectio 1 et 2), altera ex parte non omnis dissensus a veritatibus revelatis hæresim constituit (3. obiectio). Quæritur igitur, utrum hæresis *exclusive* et *stricte* per negationem veritatis fidei constituatur, utrum illi soli sint hæretici qui aliquam veritatem *fidei* negant vel corrumpunt.

Inde S. Thomas sic respondet : « De hæresi nunc loquimur secundum quod importat *corruptionem fidei christianæ*. Non autem ad corruptionem fidei christianæ pertinet si aliquis habet aliquam falsam opinionem in his quæ non sunt fidei : puta in geometricalibus vel in aliis huiusmodi quæ omnino ad fidem pertinere non possunt : sed *solum quando aliquis habet falsam opinionem circa ea quæ ad fidem pertinent* ». Est igitur prima conclusio S. Thomæ, et quidem principalis : non habetur hæresis nisi cum negatur vel corrumpitur veritas fidei, i. e. veritas revelata (et ab Ecclesia proposita). Et ita S. Thomas assentit dicto S. Augustini, in argumento Sed contra adducto, sc. quod illa tantum sententia sit hæretica quæ dogmatibus fidei opponitur.

8. Attamen hæc prima conclusio nondum perfecte respondet ad quæstionem positam, nec præcipue ad obiectiones. Unde S. Thomas continuat : « Ad fidem aliquid pertinet dupliciter, sicut supra dictum est : uno modo *directe et principaliter*, sicut articuli fidei, alio modo *indirecte* et *secundario*, sicut ea ex quibus negatis sequitur

corruptio alicuius articuli : et circa utraque potest esse hæresis, eo modo quo et fides. »

Eandem doctrinam S. Thomas etiam alia occasione proponit, ut expresse in loco citato notat : « sicut supra dictum est ».

9. Una series textuum habetur occasione quæstionis : utrum liceat contrarie opinari de notionibus (trinitariis). Ita I q. 32 a. 4 S. Doctor docet : « Ad fidem pertinet aliquid dupliciter. Uno modo *directe*, sicut ea quæ nobis sunt principaliter divinitus tradita, ut Deum esse trinum et unum, filium Dei esse incarnatum et huiusmodi. Et circa hæc opinari falsum *hoc ipso* inducit hæresim, maxime si pertinacia adiungatur. *Indirecte* vero ad fidem pertinent ea ex quibus negatis *consequitur* aliquid *contrarium fidei :* sicut si quis diceret : Samuelem non fuisse filium Helcanæ : ex hoc enim sequitur Scripturam divinam esse falsam. Circa huiusmodi ergo absque periculo hæresis aliquis falsum potest opinari antequam consideretur vel determinatum sit, quod ex hoc consequitur aliquid contrarium fidei, et maxime si non pertinaciter adhæreat : sed postquam manifestum est, et præcipue si sit per Ecclesiam determinatum quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei, in hoc errare non esset absque hæresi. Et propter hoc multa nunc reputantur hæretica quæ prius non reputabantur, propter hoc quod nunc est magis manifestum quid ex eis sequatur. » Idem S. Doctor docet in commentario in *Sentent.* l. 1, d. 33, q. 1, a. 5. Ibi distinguit inter ea « quæ expresse in articulis fidei continentur », et inter ea « ad quæ consequitur aliquid inconveniens vel contrarium fidei » : circa huiusmodi hæresis habetur « pertractata veritate et viso quid sequitur » : tunc enim « idem iudicium est de his et de illis quæ determinata sunt in fide, quia ad unum sequitur alterum. »

10. Altera series textuum habetur occasione quæstionis de obiecto materiali fidei : atque in his locis S. Thomas ex professo rem determinat. Ita S. Doctor in II. II q. 1 cuncta credibilia expresse distinguit in per accidens et per se revelata, subdistinguendo per se revelata in articulos et in ea quæ in articulis includuntur vel ad eos

pertinent ; addita denique distinctione inter ea quæ sunt fidei et eorum determinationem vel expositionem per Ecclesiam vel per Romanum Pontificum (cf. a. 6 corp. et ad 1, a. 8-10 cum expositione supra, n. X. XI, data). Ita fides « principaliter » est de articulis, secundario de accidentaliter revelatis vel de credibilibus secundariis quæ in articulis continentur.

Eodem modo S. Doctor distinguit in II. II q. 2 a. 5. Docet : « Fidei obiectum *per se* est id per quod homo beatus efficitur » — sunt « prima credibilia » vel « articuli fidei » ; « per accidens autem aut secundario se habent ad obiectum fidei omnia quæ in S. Scriptura divinitus tradita continentur » — sunt per accidens revelata et veritates revelatæ particulares.

Ita denique in q. 11 a. 2. S. Thomas sese refert ad doctrinam supra expositam.

11. Positis his textibus facile determinatur quæstio : *quænam directe, quænam indirecte ad fidem pertinent.*

Circa ea quæ directe ad fidem pertinent, constans est responsio S. Thomæ : *directe et principaliter* ad fidem pertinent *articuli fidei* (II. II q. 11 a. 2 ; q. 2, a. 5 ; q. 1, a. 6 ad 1, a. 8). Articuli autem directe, primario, principaliter, per se ad fidem pertinent, quia sunt partes principales et organicæ per se revelatorum (q. 1, a. 6), quæ sc. « directe nos ordinant ad vitam æternam (q. 1, a. 6, ad 1) : etenim « illa per se pertinent ad fidem quorum visione in vita æterna perfruemur et per quæ ducemur ad vitam æternam » (q. 1, a. 8).

Inde patet quod « *articuli* fidei » qui per se et principaliter ad fidem pertinere dicuntur, sunt *articuli stricte dicti*, ut sc. a S. Thoma accipiuntur, sunt *articuli symboli apostolici*, prout articuli distinguuntur a per accidens revelatis et ab iis quæ in articulis continentur (corollaria vel consequentiæ articulorum).

Indirecte vero aut secundario *ad fidem pertinere dicuntur* revelata vel *credibilia secundaria*, sc. per accidens credibilia, ut facta pure historica in S. Scriptura proposita, veritates revelatæ particulares quæ ad unum articulum pertinent (cf. a. 6) ac denique explicationes vel determina-

tiones revelatorum : « sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicuius *articuli* ».

12. *Distinctio* igitur *S. Thomæ* inter ea quæ directe et principaliter, et ea quæ indirecte et secundario ad fidem pertinent, *est distinctio credibilium in articulos*, ut primaria credibilia, et *in veritates revelatas in articulis contentas vel ad illas ordinatas*, ut credibilia secundaria.

Ita quoque patet doctrina quam S. Thomas mediante distinctione, de qua est quæstio, profert.

In II. II q. 11 a. 2 articulum his verbis concludit : « circa utraque potest esse hæresis, sicut et fides ». Sicut enim fides tanquam obiectum primarium et per se, habet articulos (q. 1 a. 6, 8, 9 ; q. 2, a. 5), tanquam obiectum per accidens aut secundarium vero, « omnia quæ in S. Scriptura divinitus traduntur » (q. 2, a. 5), vel in articulis continentur, ex quibus sc. negatis sequitur corruptio alicuius articuli (q. 11, a. 2), ita hæresis directe et principaliter est circa articulos, indirecte et secundario circa illa quæ in articulis continentur vel ad illos ordinantur.

Similiter in quæstione de notionibus trinitariis S. Thomas concludit. » Circa (principaliter divinitus tradita) opinari falsum *hoc ipso* inducit hæresim ; ...circa (indirecte ad fidem pertinentia) absque periculo hæresis aliquis falsum opinari potest antequam consideretur vel determinatum sit quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei (i. e. corruptio articuli) ; sed postquam manifestum est et præcipue si sit per Ecclesiam determinatum, quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei (i. e. corruptio articuli), in hoc errare non esset absque hæresi » (I q. 32 a. 4).

Similiter patet doctrina proposita in I Sent. d. 33, q. 1, a. 5. Facta enim distinctione inter ea quæ « expresse in articulis fidei continentur », et inter « ea ex quibus consequitur aliquid contrarium fidei », i. e. articulis, docet quod « pertractata veritate » huiusmodi sententia est hæretica », quia tunc « idem iudicium est de his (connexis) et de illis quæ determinata sunt in fide ; i. e. sicut negatio directa alicuius articuli est hæresis, utpote negatio doctrinæ revelatæ ab Ecclesia ad credendum propositæ (II II q. 1. a. 9), ita negatio eorum quæ in articulis conti-

nentur postquam ab Ecclesia fuerint definita, est hæresis, quia negando talem doctrinam negatur (indirecte) articulus ipse : hoc enim inde sequitur.

Denique S. Thomas in III Sent., d. 13, q. 2, a. 1 ad 6 scribit : « Quia quædam sunt quæ in fide Ecclesiæ implicite continentur, sicut conclusiones in principiis, ideo in his diversæ opiniones sustinentur quousque per Ecclesiam determinatur quod aliquid eorum contra fidem Ecclesiæ est : quia ex eo sequitur aliquid contrarium fidei directe ». Ut enim iam vidimus (n. X), secundum doctrinam S. Thomæ « omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus » et simili modo « aliorum subsequentium articulorum quidam in aliis continentur » (II. II q. 1 a. 7) et in ipsis articulis includuntur aliæ veritates revelatæ particulares (II. II q. 1 a. 8). Secundum hanc divisionem deinde fides et hæresis sunt directe circa articulos, indirecte circa illa quæ in articulis « includuntur » vel iis indirecte sunt opposita.

13. Itaque *S. Thomas*, distinguendo inter directe et indirecte ad fidem pertinentia, tantummodo *applicat* suam *doctrinam de articulis fidei :* qui articuli sc. continent omnia per se credibilia et per magisterium Ecclesiæ explicantur ac determinantur (II. II q. 1, a. 6-10). Inde enim fides directe et per se et principaliter est circa articulos, indirecte et secundario circa illa quæ in articulis implicite continentur, prout sc. ab Ecclesia determinantur vel definiuntur. Inde tamen sequitur, tum ea quæ directe tum ea quæ indirecte ad fidem pertinent, sunt proprie revelata, immo explicite, licet prout explicantur per Ecclesiam.

Veritas huius interpretationis adhuc magis apparebit, si consideretur quænam a S. Thoma *in particulari* tanquam indirecte ad fidem pertinentia proponuntur.

14. S. Thomas tria indicat circa quæ indirecte fides vel hæresis esse potest : sc. *per accidens revelata, expositiones S. Scripturæ* et *Ecclesiæ determinationes* circa res ad fidem pertinentes.

Primo : per accidens credibilia. Huiusmodi res vel doctrinæ, si secundum se considerentur, non constituunt obiec-

tum fidei : quod enim Samuel fuerit filius Helcanæ, secundum se consideratum, est res naturaliter cognoscibilis. Fiunt autem credibilia inquantum « in Sacra Scriptura divinitus traduntur », sc. ad manifestationem « principaliter revelatorum (II. II q. 1 a. 6, ad 1). Per accidens igitur credibilia indirecte ad fidem pertinent, sc. ut proposita ad fidem ratione manifestationis articulorum et ut connexa cum dogmate inspirationis S. Scripturæ : hæresis circa illa habetur inquantum quis, negando talem rem, veritatem S. Scripturæ negat. S. Thomas communiter per accidens credibilia ut exemplum adducit (cf. I q. 32 a. 4 ; II. II q. 2 a. 5 ; I Sent. d. 33 q. 1, a. 5).

Secundo : expositiones S. Scripturæ. Circa has S. Thomas ita se explicat : « ille dicitur aliter exponere Sacram Scripturam quam Spiritus Sanctus efflagitat, qui ad hoc expositionem Sacræ Scripturæ retorquet quod *contrariatur ei quod est per Spiritum Sanctum revelatum... sc. per falsas expositiones* » (II. II q. 11 q. 2 ad 2). Similiter : « etiam per verba quæ quis loquitur, suam fidem profitetur... : et ideo, si sit *inordinata locutio circa ea quæ sunt fidei*, sequi potest ex hoc corruptio fidei » (l. c.). Expositio igitur S. Scripturæ, i. e. explicatio et determinatio veritatum fidei, et simul verba quibus quis circa res fidei utitur, i. e. termini et formulæ, indirecte ad fidem pertinent *ut expressio* et *explicatio fidei ;* similiter hæresis in illis indirecte habetur inquantum per falsam expositionem vel per formulam erroneam negatur veritas fidei quæ explicanda vel exprimenda suscipitur : utroque modo expositiones theologicæ et formulæ dogmaticæ cum articulis sunt connexæ.

Tertio : Ecclesiæ determinationes circa res fidei. In resp. ad 3um II. II q. 11 a. 2 S. Thomas admittit, aliquos doctores dissensisse... « *in quibusdam ad fidem pertinentibus* quæ nondum erant per Ecclesiam determinata », qui tamen proinde non erant hæretici. Et addit : « Postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur ». Idem habetur I q. 32 a. 4 et locis parallelis. S. Thomas hic loquitur de veritatibus revelatis secundariis, quæ sc. in articulis continentur, ad quas etiam explica-

tiones articulorum reduci possunt. Huiusmodi veritates vel doctrinæ ad fidem pertinent ut veritates revelatæ et ab Ecclesia definitæ ; *indirecte* tamen ad fidem pertinere dicuntur inquantum sunt determinationes articulorum (II. II q. 1 a. 10) et explicationes Ecclesiæ circa articulos. Similiter hæresis habetur circa illa : directe inquantum negatur veritas revelata et ab Ecclesia definita, indirecte inquantum negatur aliquis articulus et simul auctoritas infallibilis Ecclesiæ.

15. Itaque, secundum doctrinam S. Thomæ, ad fidem pertinere dicuntur : *generaliter*, revelata vel saltem per Scripturam sacram divinitus proposita : *credibilia ; directe* ad fidem pertinent *articuli* : veritates principaliter revelatæ ; *indirecte vel secundario* veritates secundario vel *minus principaliter revelatæ* vel ad credendum propositæ : huiusmodi secundario revelata vel credibilia sunt in particulari per accidens credibilia, expositiones et determinationes revelatorum, definitiones Ecclesiæ vel dogmata particularia.

Ita sensum doctrinæ S. Thomæ sufficienter exposuisse censemus ; in confirmationem tamen expositionis liceat adhuc adducere aliquos textus coævorum S. Thomæ, sc. S. Bonaventuræ, B. Innocentii V. et B. Alberti Magni.

16. Similem enim distinctionem proponit S. *Bonaventura*. In I Sent. d. 17 p. I, q. unica, a. 4 sic distinguit : « In his quæ spectant ad doctrinam religionis... quædam sunt de necessitate fidei (= articuli), quædam de certitudine S. Scripturæ, quædam sunt *his annexa* ut sunt illa quæ faciunt ad fidei explicationem (= doctrinæ revelatæ secundariæ vel corollaria) et Scripturæ expositionem ». Quam distinctionem sic applicat : « Circa ea quæ sunt de necessitate fidei, opinari contraria *simpliciter* est peccatum... In his quæ sunt de necessitate Scripturæ..., si (quis) defendat (contrarium), hæreticus est iudicandus *quoniam contradicit Scripturæ sacræ*... In his quæ sunt annexa fidei vel Scripturæ... si sequitur oppositum... ante pertractationem licet contrarie opinari, sed post pertractationem non licet, sicut in his quæ determinata sunt per fidem et Scripturam » (l. c.).

Similiter *Petrus de Tarantasia* (I Sent. d. 33 q. 1 a. 1). Docet : « Contrarie opinari de aliquo dupliciter est : aut enim illud est de pertinentibus necessario ad religionem fidei et morum aut non... Si de pertinentibus ad religionem, aut *directe* et evidenter est *contra articulos* fidei vel præcepta morum ; aut non, sed *per reductionem* ».

B. *Albertus* M. occasione quæstionis de notionibus trinitariis notat : « numerus notionum *refertur* ad numerum personarum et ideo non habet *articulum* specialem : et ideo non est ibi tantum periculum sicut in alio quod expresse a Patribus est determinatum » (sc. in trinitate personarum) (I Sent. d. 26, a. 14, ad 2).

Uti patet, Bonaventura, Petrus de Tarantasia, Albertus Magnus et Thomas eandem sententiam tenent, licet S. Thomas eam exactius determinet ac simul melius explicet[1].

17. Longus factus sum in exponenda tertia doctrina S. Thomæ ; tamen necessarium fuit ad determinandam *sententiam S. Thomæ circa conclusiones theologicas :* ad quam nunc accedere possumus. En corollaria.

Primum corollarium : Secundum sententiam et modum loquendi S. Thomæ *conclusiones quædam indirecte ad fidem pertinent.* Ita merito tenet *Bannez*, in commentario in II. II q. 11 a. 2. Etenim expositiones S. Scripturæ vel quorumcumque revelatorum, simul tamen formulæ scientificæ quibus doctrina revelata a theologis exprimitur, ac denique definitiones dogmaticæ Ecclesiæ, a theologis per modum conclusionis cognoscuntur.

Secundum corollarium : Secundum sententiam et modum loquendi S. Thomæ indirecte ad fidem pertinent *conclusiones impropriæ, non vero conclusiones propriæ.* —

1. Appellando ad doctrinam S. Thomæ modo expositam *Nic. Egmericus*, in *Direct. inquisit.*, II. P. q. 2, n. 1-4 ponit, aliquam propositionem esse hæreticam « ex una trium causarum et rationum » : 1° « quia est contra aliquem articulum » ; 2° « quia est contra Ecclesiæ generalis determinationem ut de fide factam » ; 3° » quia est contra Scripturam Sacram per Ecclesiam approbatam. » Similiter eius commentator Pegua, tria dicit ad fidem pertinere : *a*) directe : articulos ; *b*) indirecte : « ad quorum negatio sequitur negatio articuli » ; *c*) « ab Ecclesia deducta et definita ». Ed. Venet., 1607, p. 82.

Quoad conclusiones improprias non est difficultas — sunt enim circa explicationes et determinationes revelatorum. Conclusiones vero proprie dictæ ideo non pertinent ad fidem, quia non pertinent : neque ad per accidens credibilia, neque ad expositiones vel determinationes per se credibilium — aliud enim est expositio alicuius doctrinæ, aliud consequentia ex illa doctrina deducta, — neque ad determinationes Ecclesiæ — quæ enim Ecclesia definit, sunt vel secundario, attamen in se revelata, vel explicationes revelatorum : ideo conclusiones theologicæ proprie dictæ ad nullam speciem pertinent eorum quæ indirecte ad fidem pertinere dicuntur. Denique, generaliter loquendo, consequentiæ non sunt proprie revelatæ, sed consequentiæ ex revelatis.

Obiici potest, quod conclusiones propriæ sunt cum articulis *connexæ*. Respondetur : non tamen eo modo quo indirecte ad fidem pertinentia a S. Thoma supponuntur cum articulis connexa, sc. sicut veritates secundario revelatæ sunt connexæ cum veritatibus principaliter revelatis.

Potest quis instare : atqui etiam conclusiones proprie dictæ pertinent ad illa « ex quibus negatis sequitur corruptio articuli « : principium enim negatur, non tantum per falsam explicationem sed simul per falsam consequentiam. — Id quod non est negandum. Attamen inde non sequitur intentum, quod sc. conclusiones indirecte *ad fidem* pertineant. Alia enim propositio est : per falsas consequentias indirecte principium fidei negatur, et alia propositio : *omnia illa quibus indirecte* principia fidei negantur, indirecte ad fidem pertinent. Nam ad hoc quod aliquid saltem indirecte ad fidem pertinent, requiritur quidem quod ex eo negato sequatur negatio principii fidei, sed *insuper* requiritur quod sit in se *revelatum :* id quod convenit quidem explicationibus revelatorum, non vero consequentiis ex revelatis deductis.

Si quis denique instat : atqui indirecte ad fidem pertinentia, secundum S. Thomam, sunt indirecte revelata respondetur : sunt indirecte revelata, ut revelata *minus principalia* et ut determinationes alicuius revelationis generalis ; non vero sunt indirecte revelata ut consequentiæ tantum per se revelatorum. E contra, indirecte

ad fidem pertinentia sunt in se revelata, non vero ut in principio tantum ; immo magna pars eorum est explicite revelata vel saltem in Scriptura sacra divinitus tradita, ut omnia per accidens credibilia et secundaria revelata, ut e. g. Eucharistia ; cætera saltem implicite revelata sunt, ut dogmata particularia ab Ecclesia definita.

Tertium corollarium : Quæstio, quænam conclusiones sint definibiles ut dogmata, non potest proprie determinari ex eo quod sunt connexæ cum aliquo in se revelato, sed simul ex alia doctrina S. Thomæ dirimenda est : sola enim *connexio* cum aliquo revelato non reddit aliquam doctrinam definibilem ut obiectum fidei.

Neque S. Thomas contrarium insinuat. Certe tenet, expositiones doctrinæ revelatæ et formulas dogmaticas esse definibiles ut dogmata : quod vero huius modi expositiones et formulæ sint definibiles et de facto definiantur, non est tantum neque præcise propter hoc quod sunt connexæ cum dogmate vel quia ex illis negatis sequitur negatio dogmatis, sed simul propter hoc quod sunt expositiones vel expressiones determinatæ doctrinæ revelatæ.

18. Denique ad hanc tertiam doctrinam S. Thomæ *notanda* est *differentia terminologiæ S. Thomæ* a terminologia hodierna. *Primo* S. Thomas distinguit credibilia in directe et indirecte ad fidem pertinentia : moderna vero theologia, *relicta hac distinctione*, *omnia* credibilia vel revelata uniformiter sub ratione doctrinæ revelatæ vel credendæ considerat. Quem modum loquendi sequitur Concilium Vaticanum, definiendo : « Fide divina et catholica ea omnia sunt credenda quæ verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia... tanquam divinitus revelata credenda proponuntur » ; similiter Codex Iuris Canonici, can 1325, § 2, tamquam hæreticum declarat, qui « post receptum baptismum, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat ». Inde, licet modus loquendi S. Thomæ et aliorum scholasticorum, sit verus et optimus, tamen novus modus loquendi non potest licite ut minus verus vel minus bonus inculpari.

Secundo : Non est confundenda distinctio S. Thomæ

inter directe et indirecte ad fidem pertinentia cum distinctione recentiori inter veritates fidei et doctrinas cum veritatibus fidei connexas. Distinctio enim S. Thomæ est distinctio veritatum ipsarum revelatarum secundum quod sunt magis vel minus principaliter revelatæ ; distinctio vero theologiæ recentioris est distinctio veritatum revelatorum a suis consequentiis vel applicationibus. S. Thomas quidem, maxime occupatus circa doctrinam fidei ipsam, consequentias et applicationes earum minus considerat ; theologia vero recentior, ob novas quæstiones et difficultates, sollicitius inter doctrinas fidei et consequentias earum distinguit. At transeamus ad quartam doctrinam S. Thomæ considerandam.

19. *Quarta* denique *doctrina* adducta est *doctrina S. Thomæ et Thomistarum de obiecto theologiæ.*

Secundum S. Thomam, Capreolum, Caietanum et alios Thomistas *obiectum proprium theologiæ*, ut est scientia, sunt *conclusiones ex veritatibus revelatis deductæ*, vel, ut dicit S. Thomas, « *revelabilia* », vel, ut communiter Thomistæ dicunt, « mediate » vel « *virtualiter revelata*[1] ».

Attamen vel hæc doctrina S. Thomæ *nil dicit de definibilitate* conclusionum theologicarum, sed quæstio iterum ex alio capite doctrinæ S. Thomæ determinanda est.

Etenim theologia ex revelatis deducit : aut aliquam *doctrinam revelatam* aut *explicationem* doctrinæ revelatæ aut *ulteriorem doctrinam*, in principio tantum revelatam. Et quidem primario theologia *doctrinas* aliunde *revelatas* deducit : inquantum vel per argumenta positiva ostendit, aliquam doctrinam contineri in deposito fidei et esse ab Ecclesia definitam, vel inquantum unam doctrinam revelatam ex *alia* doctrina revelata per modum conclusionis theologicæ deducit. Deinde theologia per modum conclusionis probat, aliquam doctrinam esse legitimam ac veram *explicationem* vel præcisam expressionem alicuius doctrinæ revelatæ, ut e. g. formulam transsubstantiationis ; tertio

1. Cf. S. Thomas, I q. 1 a. 2, 3, 8 et locos parallelos. Optimam expositionem doctrinæ habes apud *De Marinis, Expos. comment. in I. P. S. Th.*, Lugd. 1662, ad q. 1, a. 3, c. 3. Cf. etiam P. R. Martin, L'objet intégral de la théologie, in *Revue Thomiste*, XX (1912).

denique theologia ex ipsis veritatibus revelatis ulteriores doctrinas deducit, ut e. g. ex doctrina revelata de Eucharistia deducit doctrinam de reali distinctione accidentium a substantia.

Iam vero secundum doctrinam S. Thomæ nihil obstat quin conclusiones quæ secundum se sunt veritates revelatæ, licet a theologis per modum conclusionis deducantur, definiantur; similiter nihil obstat quin explicationes revelatorum definiantur, cum non dicant novam doctrinam, sed doctrinam ipsam revelatam magis expositam; quod vero consequentiæ ex revelatis sint definibiles, neque a S. Thoma asseritur neque ex eius doctrina de obiecto theologiæ sequitur. Inde conclusionem finalem statuere possumus.

20. *Conclusio : Secundum sententiam S. Thomæ, definibiles quidem sunt conclusiones quæ sunt expositio, explicatio vel determinatio ipsarum veritatum revelatarum, non vero conclusiones quæ ex revelatis deducunt consequentias quæ in revelatione tantum ut in principio vel in causa continentur.* Aliis verbis : secundum sententiam S. Thomæ *definibiles sunt conclusiones theologicæ* (secundum nostram terminologiam) *improprie dictæ* quæ sunt implicite revelatæ, *non* vero *conclusiones proprie dictæ* quæ sunt (iterum secundum nostram terminologiam) tantum mediate vel virtualiter revelatæ. Quæ conclusio ex sequentibus patebit.

Primo : In II. II q. 1 a. 1 S. Thomas tanquam *obiectum* fidei exclusivum statuit *a Deo revelata* : « non enim fides de qua loquimur, alicui assentit nisi quia est a Deo revelatum » : atqui expositio quidem revelatorum identificatur cum ipsis veritatibus revelatis, utpote quia « non aliam fidem, sed eandem magis expositam » continet (II. II q. 1 a. 10 ad 2), conclusiones vero ex revelatis proprie deductæ non identificantur cum *veritatibus* revelatis (licet forsitan sint de eadem re). Conclusiones igitur impropriæ quidem obiectum fidei esse possunt (si sc. ab Ecclesia definiuntur), non vero conclusiones propriæ (cf. supra : prima doctrina).

Secundo : In II. II q. 1 a. 6-10 S. Thomas, *obiectum materiale fidei* ex professo magis determinando, tanquam

obiectum credendum statuit *articulos* fidei : atqui articuli fidei sunt *veritates revelatæ*, ab Ecclesia propositæ, *explicatæ*, determinatæ, definitæ : ergo S. Thomas inter credenda ponit quidem explicationes et determinationes revelatorum, ab Ecclesia definitas, non vero consequentias vel deductiones proprie dictas ex ipsis revelatis (cf. supra : secunda doctrina).

Tertio : S. Thomas, distinguendo inter directe et indirecte ad fidem pertinentia (II. II q. 11 a 2 ; I q. 32 a. 4 ; 1 Sent. d. 33, q. 1, a. 5), tenet, ea quæ indirecte ad fidem pertinent, definiri posse ut dogmata atque multa de facto esse definita : atqui indirecte ad fidem pertinere dicuntur secundario revelata (ut sc. distinguuntur a principaliter revelatis), ad quæ pertinent revelationes particulares quibus articulus generalis determinatur, et explicationes vel determinationes revelatorum particularium, non vero consequentiæ ex revelatis ; ergo definibiles sunt conclusiones impropriæ, non vero propriæ (cf. supra expositionem tertiæ doctrinæ).

Quarto : In I q. 32 a. 4 (et locis parallelis) S. Thomas docet : circa *notiones trinitarias* ante definitionem Ecclesiæ aliquos absque hæresi errasse, post definitionem vero hæresim adesse : atqui notiones trinitariæ non sunt nisi *explicationes* vel expressiones præcisæ vel formulæ dogmaticæ *circa doctrinam revelatam* de Trinitate : inde S. Thomas tantum definibilitatem conclusionis impropriæ docet.

21. Ita denique S. Thomas idem docet ac Conc. Vaticanum cum dicit : « Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est,... ut, eo assistenti, traditam per Apostolos *revelationem* seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter *exponerent*[1] ».

Et hæc dicta quantum ad sententiam S. Thomæ sufficiant ; de re ipsa infra erit sermo (a. 9).

1. Sess. 4, c. 4, D. 1836.

Concilium Vaticanum et Iuramentum contra errores Modernistarum

LXVI. Concilium Vaticanum directe quæstionem de evolutione dogmatum tractare debuit, propter doctrinam Hermesii, Guentherii, Protestantium et Rationalistarum. Quibus erroribus Concilium simpliciter constantem traditionem Ecclesiæ atque explicationem scholasticam opposuit. Ita doctrina scholasticorum (ante et post Concilium Trident.) quam novatores proprie impugnarunt, per Concilium Vaticanum tanquam legitima interpretatio evolutionis dogmatum approbata atque definita est. Quæstiones tamen inter Scholasticos adhuc controversas Concilium non diiudicavit, quia doctrina communis atque certa ad refellendos errores temporis sufficiebat. Indirecte tantum Concilium, approbando sc. et notando principia firma, viam ad componendas controversias indicavit.

Primo Concilium (sicut scholastici) quæstionem de evolutione dogmatum tanquam *quæstionem* proprie et immediate *dogmaticam*, non vero ad solam historiam pertinentem, considerat atque tractat proindeque ut ex principiis revelatis solvendam, et quidem ex doctrina revelata de natura fidei, de revelatione, de magisterio Ecclesiæ, præcipue Romani Pontificis, ac denique de habitudine rationis ad fidem (Sess. 3, 4). *Secundo* concilium *damnat thesim rationalisticam* de evolutione dogmatum, quasi dogmata sint commenta philosophica et per rationem humanam secundum statum scientiæ alicuius temporis mutanda vel perficienda : cui errori opponit doctrinam traditam, dogmata esse doctrinas revelatas et ab Ecclesia ad credendum propositas adeoque eodem semper sensu intelligendas atque retinendas. « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia... tanquam divinitus revelata credenda proponuntur » (Sess. 3, c. 3, D. 1792). « Si quis dixerit fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus

sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia, a. s. (Sess. 3, *De fide et ratione*, can. 3, D. 1818). « Neque enim fidei doctrina quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque canonum is sensus perpetuo est retinendus quem semel declaravit sancta mater Ecclesia nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiæ specie et nomine recedendum » (Sess. 3, c. 4, D. 1800). *Tertio* Concilium evolutionem dogmatum per hoc *explicat* quod Ecclesia depositum fidei « fideliter custodit et infallibiliter declarat » (l. c.) vel « sancte custodit et fideliter exponit » (Sess. 4, D. 1896), *damnando* sc. corruptionem fidei per hæreses et *proponendo* dogmata nova quæ sint declarationes et expositiones sensus doctrinæ revelatæ, non per novas revelationes a Deo acceptas sed per proprium iudicium infallibile, infallibile sc. ex assistentia Spiritus Sancti, quæ infallibilitas præcipue et fundamentaliter Romano Pontifici convenit (Sess. 4, c. 4). Denique Concilium optime suam Scholasticorumque doctrinam verbis Vinc. Lerinensis[1] recapitulat : « Crescat igitur... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia : sed in suo dumtaxat genere, in eodem sc. dogmate, eodem sensu eademque sententia » (l. c., D. 1800). Ita Conc. Vaticanum doctrinam scholasticorum, præsertim thomistarum, de explicatione revelatorum et progressu dogmatico approbavit et definivit, eo quidem modo quod principia atque doctrinam scholasticorum nova quadam ratione et claritate mirabili exprimeret et simul excessus quosdam indirecte, insistendo sc. in principiis communibus, corrigeret, ut doctrinam de definibilitate virtualiter tantum revelatorum vel de complemento revelationis per definitiones Ecclesiæ.

LXVII. Definitiones Concilii Vaticani *Iuramentum contra errores Modernistarum* applicat atque tuetur. Declarat :

1. *Commonit.*, n. 28.

« fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres *eodem sensu* eademque semper sententia ad nos usque transmissam fuisse » et reiicitur commentum hæreticum evolutionis dogmatum ab uno in alium sensum transeuntium, similiter error quo divino deposito fidei sufficitur philosophicum inventum vel creatio conscientiæ humanæ hominum conatu sensim efformatæ et in posterum indefinito progressu efformandæ (prop. 4 primæ partis), ita quod nil restet nisi nudum factum historicum (prop. 5, alterius partis). Simul tamen *methodus* rationalistica historiæ dogmatum diiudicatur.

LXVIII. Ex conspectu historico quem dedimus, patet, apud scholasticos doctrinam explicitam de evolutione dogmatum extare eamque comprobatam per Concilium Vaticanum. Neque dubium esse potest, per huiusmodi doctrinam omnes partes principales problematis sat sufficienter explicari et exhiberi principia ad solvendas quæstiones recentioris temporis. Inde in sequentibus articulis doctrinam scholasticorum applicabimus eamque, quantum opus est, explicabimus ac defendemus. Ita proponemus :

Primo : *doctrinam catholicam* de evolutione dogmatum ;

Secundo : *explicationem scholasticam* tum de essentia tum de proprietatibus progressus dogmatis.

Elenchus operum catholicorum recentiorum de evolutione dogmatum

Allo, O. P., *Foi et systèmes* Paris, 1908.

Arintero, O. P., *El progresso dogmatico-objectivo,* in Ciencia tomista, 1911, n. 9, p. 378-393.

S. V. Bainvel, *De magisterio vivo et traditione,* Paris, 1905.

De la Barre, *La vie du dogme catholique,* Paris, 1898.

Bartmann. B., *Lehrbuch der Dogmatik,* I[3], § 12.

Bessmer, J., *Philosophie und Theologie des Modernismus,* Freib., 1912.

Billot, Card., *De virtutibus infusis*[2], Romæ, 1905.

Idem, *De immutabilitate traditionis contra modernam hæresim evolutionismi*[2]. Romæ, 1907.

L. M. Bossu, *Le développement du dogme et ses conditions,* in *Questions eccl.,* 1913, p. 119 ss.

Bremond, H., *Le développement du dogme.*

C. Carbone, *De modernistarum doctrinis*, Romæ. 1909.

Diekamp, Fr., *Katholische Dogmatik*, I³, § 5, Muenster, 1921.

Dörholt, Bern., *Ueber die Entwicklung des Dogmas und den Fortschritt in der Theologie*, Muenster, 1892.

Dictionnaire apologétique de la foi catholique, v. dogme (H. Pinard.)

Dictionnaire de théologie catholique, v. dogme (E. Dublanchy).

Fontaine, S. J., *La théologie du N. T. et l'évolution du dogme*, Paris, 1907.

Franzelin, S. J., *De traditione et Scriptura*², Romæ, 1875, thesis 22-26.

A. Gardeil, O. P., *Le donné révélé et la théologie*², Paris, 1910.

Idem, *Le développement du dogme*, in *Rev. des sc. philos. et théol.*, 1909, p. 147 ss.

Garrigou-Lagrange, R., O. P., *De revelatione* (Romæ, 1921), I², p. 185 ss.

Idem, *Le sens commun. la philosophie de l'être et les formules dogmatiques* (Paris, 1909) ; cf. *Revue Thomiste*, 1908, p. 164 ss., 259 ss.

Ginoulhiac, *Histoire du dogme catholique* (Paris, 1866), Introd.

de Grandmaison, S. J., *Le développement du dogme chrétien*, in *Rev. prat. d'Apol.*, 1908, p. 521 ss. et VI, p. 5 ss., 401, ss., 881 ss.

de Groot, J.-V., O. P., *Summa apologetica, de Ecclesia*³, (Ratisbonæ, 1906), q. 10, a. 4.

F. Haase, *Begriff und Aufgabe der Dogmengeschichte*, Breslau, 1911.

Heinrich, *Dogmatische Theologie*², II § 78.

E. Hugon, O. P., *Réponses théologiques* (Paris, 1908) : *Les concepts dogmatiques*, p. 131, ss.

Huarte, S. J., *De virtutibus infusis* (thesis 8 cum appendice : De evolutione dogmatis).

Katschthaler, Card., *Begriff, Nutzen und Methode der Dogmengeschichte* in Zeitschrift f. kath. Theol., 1882, p. 472-528.

Kihn, *Encyclopædie der Theologie*, Frib. B., 1892.

Kleutgen, *Theologie der Vorzeit*, V², 391 ss.

Kirchliches Handlexikon, v. Dogma (Atzberger).

Kuhn, J., *Katolische Dogmatik*, I², 117 ss., 149 ss.

Lépicier, A., *De stabilitate et progressu dogmatis*², Romæ, 1910.

Idem, Θαυμαστὴ μεταμόρφωσις. Romæ, 910.

Marin-Sola, O. P., *La homogeneidad de la doctrina catolica*, in *Ciencia Tomista* (Madrid), 1911, n. 9, p. 394-411 ; n. 10, p. 46-69 ; n. 11, p. 197-215 ; 1912, n. 15, p. 373-430 ; 1913, n. 18, p. 357-368 ; n. 20, p. 209-227 ; n. 22, p. 5-22 ; 1914, n. 24, p. 393-404 ; n. 29, p. 177-195 ; 1915, n. 31, p. 15-40 ; n. 33, p. 363-387.

Idem, *Melchior Cano y la conclusion theologica*, l. c., 1916, n. 36, p. 329-352.

Idem, *La infalibilidad de la Iglesia*, l. c., 1916, n. 40, p. 5-36.

Idem, *El verdadero virtual theologico*, l. v., n. 1917, n. 43, p. 4-32.

Idem, *Analisis del concepto de opposicion entre una doctrina y*

el depositо revelado, l. c., 1918, n. 50, p. 137-150; n. 51, p. 274-281.

Idem, *Ratiocinio y progresso dogmatico*, l. c., 1918, n. 54, p. 267-281 ; 1919, n. 55, p. 34-48 ; n. 58, p. 22-31 ; 1920, n. 62, p. 164-175 ; n. 66, p. 289-305 ; 1921, n. 71, p. 165-194.

S. Mausbach, *Die Entwicklung des K. Dogmas*, in *Hochland*, 1906, 406-417.

C. Mazzella, S. J., *De virtutibus infusis*, ed. 4, Romæ, 1894.

Minges Parth., O. F. M., *Compendium theol. dogmaticæ*, 1912.

M'Kenna, O. P., *The theology of faith* (Dubl., 1914), ch. 7, 8.

A. Möhler, *Symbolik*, § 40.

Murillo C., S. J., *Reflexiones sobre la evolucion del dogma christiano*, in *Razon y Fe*, 1912, p. 298-304.

Card. Newmann, *Essay on the Development of christian Doctrine*, 1845, iterum (notabiliter immutatum) 1878. Trad. gallic. : *Le développement du dogme chrétien*, par H. Bremond, Paris, 1908.

Otten, S. J., A *manual of history of dogma* (St-Louis, U. S., 1920).

Palmieri, A., *Il progresso dommatico nel concetto cattolico*[2], Florent., 1910.

Pesch, Ch. S. J., *Prælectiones dogm.*, VIII, n. 195.

Idem, Glaube, *Dogmen und historische Tatsachen*, Frib. B., 1908 (Theol. Zeitfragen, IV).

Piccirelli, *De catholico dogmate universim... contra Modernistas*, Neap., 1911.

M. Prunier, *Evolution et immutabilité de la doctrine religieuse*, 1898 (Collect. Science et Religion).

Rademacher, Arnoldus, *Der Entwicklungsgedanke in Religion und Dogma*, Coloniæ (Bachem), 1914.

de Régnon, *Etudes de théol. positive*, Paris, 1892, I, p. 1-49 ; 249 ss.

W. S. Reilly, *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus...* Mame, Tours, 1903.

de San L., *Tractatus de divina traditione et Scriptura*, Brug., 1903.

Const. de Schæzler, *Die Bedeutung der Dogmengeschichte vom katholischen Standpunkt aus erörtert*. Ed. Esser, O. P., Ratisbonæ, 1884.

Idem, *Introductio in S. Theologiam dogmaticam*. Ed. Esser, Ratisbonæ, 1882, p. 139-155.

Scheeben, *Handbuch der kath. Dogm.*, I, § 6, 7-15, 22-27, 36.

S. Schiffini, S. J., *De virtutibus infusis*, Frib. 1904 (th. 8).

Reg. Schultes, O. P., *Die scholastische Lehre über fides explicita und implicita als Grundlage der Dogmengeschichte*, in *Divus Thomas*, 1915, p. 476-507.

Idem, *Fides implicita*, I, *Geschichte der Lehre von der fides implicita und explicita in der katholischen Theologie*. Ratisbonæ (Pustet), 1920.

Idem, *Dogmenentwicklung oder Entwicklung der Offenbarung*, in *Theologie und Glaube*, 1919, p. 192 ss.

Idem, *Was beschwören wir im Modernisteneid* ? Mainz, 1911.
Schwane, J., *Dogmengeschichle*, I, § 1-4.
A. Tanquerey, *Synopsis theol. dogm. spec.*, vol. I : De fide.
Van Noort, G., *De fontibus revelationis*, n. 213-240. Bussum (Holl.), 1920.
Tuyaerts, M., *L'Evolution du dogme*, Louvain, 1919.
Vacant, I. M. A., *Etudes théol. sur les Constitutions du Concile du Vatican*, Paris, 1895.
A. Weiss, *Die religiœse Gefahr*, Freiburg, 1904.
Idem, *Lebens — und Gemissensfragen der Gegenwart*, Freiburg, 1911.
Idem, *Liberalismus und Christentum*, Trier, 1914.

SECTIO SECUNDA

De essentia progressus dogmatici

ARTICULUS QUINTUS

DOCTRINA CATHOLICA DE ESSENTIA PROGRESSUS DOGMATICI

Doctrina catholica de essentia progressus dogmatici tribus propositionibus complecti potest.

Prop. I. — **Reicienda est ut hæretica : doctrina** *a*) **Rationalistarum ;** *b*) **Protestantium ;** *c*) **Modernistarum ;** *d*) **Guentheri.**

a) *Rationalistæ* tenent evolutionem dogmatum esse evolutionem cognitionis humanæ et pure humanam[1].

Quæ doctrina expresse a Concilio Vaticano damnatur in constitutione dogmatica de fide et de Ecclesia Christi. Etenim dogmata tanquam divinitus (supernaturaliter) revelata et ut credenda propter auctoritatem Dei revelantis et ut infallibiliter proposita et ut continentia proprie dicta mysteria definiuntur[2]. « Neque enim fidei doctrina quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda[3]. » Unde anathema declaratur qui dixerit : « in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis

1. Cf. supra, a. 3, I, 1°.
2. Cf. supra, a. 2
3. D., 1800.

intelligi et demonstrari[1]. » Similiter in Iuramento contra errores Modernistarum damnatur error omnis « quo divino deposito... sufficitur philosophicum inventum », « ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiæ factis æquandum, hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque Apostolis inchoatam per subsequentes ætates continuantium. » Ut patet, doctrina rationalistica de evolutione dogmatum quam maxime repugnat doctrinæ catholicæ de natura revelationis, fidei, magisterii ecclesiastici et dogmatis ac denique sententiæ tum S. Scripturæ tum SS. Patrum tum Scholasticorum (a. 3).

b) *Protestantes* tenent evolutionem dogmatum esse fallibilem atque erroneam vel defigurativam revelationis, simulque in dogmatibus contineri additamenta humana, revelationi extranea, immo contraria[2]. Quæ doctrina tum per Concilium Tridentinum tum per Vaticanmu damnatur. Concilium Tridentinum doctrinam protestanticam damnavit, profitendo Symbolum Nicæno-Constantinopolitanum (quod est definitio ecclesiastica), « tanquam principium illud in quo omnes qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum et unicum, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt[3] », declarando S. Scripturam « in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium », non esse interpretandam « contra eum sensum quam tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia[4] », denique quæstiones controversas definiendo secundum traditionem ecclesiasticam.

Concilium *Vaticanum* doctrinam protestanticam principaliter per definitionem infallibilitatis Romani Pontificis in definitionibus ex cathedra damnavit : in qua definitione simul infallibilitas ipsius Ecclesiæ in dogmatibus proponendis declaratur[5] : inde enim dogmata a Romano

1. Sess. 3, De fide et ratione, can. 1, D. 1816.
2. Cf. supra, art. 3, n. 1.
3. Sess. 3, D. 782.
4. Sess. 4, D. 786.
5. « Definimus, Romanum Pontificem... ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. » Sess. 4, c. 4, D. 1839.

Pontifice definita tenenda sunt fide divina. Similiter S. Patres et scholastici unanimiter stabilitatem et immutabilitatem doctrinæ tenent (a. 4).

c) *Modernistæ*[1] tenent, evolutionem dogmatum esse evolutionem vel explicationem sensus religiosi vel conscientiæ humanæ, secundum conditionem moralem et scientificam temporum, ita quod dogmata singula sint symbola tantum et similitudines tum sensus religiosi tum rerum divinarum, defigurationes et transfigurationes rerum historicarum, repræsentationes quædam secundum statum scientiæ alicuius periodi temporis atque non contineant veritatem obiectivam sed relativam tantum ac mutabilem, immo exclusive practicam[2]. Uti patet, doctrina modernistica simul est rationalistica et protestantica ideoque prædamnata. Tamen damnata est specialiter et expresse, et quidem *ut hæretica*, tum in Encyclica « Pascendi » tum in Iuramento contra errores Modernistarum. Damnatur in suis præsuppositis per definitionem demonstrabilitatis existentiæ Dei, cognoscibilitatis et existentiæ revelationis supernaturalis ac divinæ, institutionis divinæ Ecclesiæ, transmissionis veræ revelationis in Ecclesia, definitionis fidei ut assensus intellectus ad revelationem a Deo personali acceptam, et charismatis infallibilitatis Ecclesiæ concessi ; damnatur in seipsa, præsertim in prop. 4 : « prorsus reiicio hæreticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo quem prius habuit Ecclesia ; pariterque damno errorem omnem, quo divino deposito... sufficitur... creatio humanæ conscientiæ, hominum conatu sensim efformandæ et in posterum indefinito progressu perficiendæ. » Denique doctrina modernistica toto cœlo a doctrina SS. Patrum et scholasticorum differt (a. 4).

d) *Guentherus*[3] tenet per Ecclesiam succedentibus temporibus proponi explicationem revelationis relative veram, proportionatam defectibili statui scientiæ determinati temporis eique magis accomodatam. Huiusmodi doctrina,

1. Cf. supra, a. 3, n. II.
2. Cf. supra, art. 3, n. II.
3. Supra, a. 3, n. III.

licet admittat in dogmate fundamentum revelatum, immo aliquam speciem infallibilitatis Ecclesiæ, sc. in eligendis explicationibus magis accomodatis vel relative verioribus, tamen destruit veritatem absolutam dogmatum, veram infallibilitatem Ecclesiæ, fidem in dogmata reddit impossibilem ac denique mysteria proprie dicta negat. Unde merito concilium Vaticanum huiusmodi evolutionem dogmatum damnavit definiendo : « Neque enim fidei doctrina quam Deus revelavit velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum, Christi sponsæ traditum, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus quem semel declaravit sancta mater Ecclesia[1] » ; similiter doctrina Guentheri damnatur per definitionem infallibilitatis Romani Pontificis. Plura de doctrina Guentheri videbimus infra, a. 12 (de evolutione dogmatum in ordine ad traditionem).

Generaliter loquendo omnes huiusmodi doctrinæ vel explicationes evolutionis dogmatum reiiciendæ sunt : *a*) quia absolutam et immutabilem veritatem dogmatum negant, *b*) quia infallibilitatem Ecclesiæ in definiendis et proponendis revelatis negant, *c*) quia fidem divinam in dogmata destruunt atque impossibilem reddunt. Omnes huiusmodi doctrinæ simul prædamnatæ sunt, tum per doctrinam SS. Patrum tum quam maxime per doctrinam unanimem scholasticorum.

PROP. II. — **Secundum fidem catholicam progressus dogmaticus in successiva et infallibili propositione et explicatione revelatorum consistit.**

I. Secundum Concilium Vaticanum (quod doctrinam traditionis breviter complectitur)[2], doctrina fidei quam Deus revelavit, tradita est Ecclesiæ tanquam divinum depositum, « fideliter custodienda et infallibiliter declaranda[3] », neque Petri successoribus Spiritus Sanctus pro-

1. Sess. 3, c. 4, D. 1800 ; cf. can. 3.
2. Vide supra, a. 4.
3. D. 1800.

missus est ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente, traditam revelationem seu fidei depositum « sancte custodirent et fideliter exponerent[1] ». Iamvero sancta custodia et fidelis expositio vel infallibilis declaratio, una ex parte propositionem et explicationem successivam revelatorum, alia ex parte progressum dogmaticum dicit : ut patet ex iis quæ de natura dogmatis diximus.

Confirmatur ex verbis quæ Concilium continuando adiungit : « Crescat igitur... et multum vehementer proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia : sed in suo dumtaxat genere, in eodem sc. dogmate, eodem sensu eademque sententia[2]. »

II. Omnes scholastici, sive ante sive post Concilium Tridentinum, nec non SS. Patres, consensu unanimi, progressum dogmaticum in successiva propositione et explicatione revelatorum reponunt, ut supra a. 4 exposuimus.

III. Progressus dogmaticus habetur secundum quod dogma est subiectum mutationis successivæ. Iamvero dogmata sunt subiectum huiusmodi mutationis secundum quod in ipsis habetur propositio et explicatio successiva per Ecclesiam.

Supra definivimus dogma tanquam doctrinam divinitus revelatam atque ab Ecclesia ad credendum propositam. Inde in dogmate distinguendum est : *a*) inter eius revelationem divinam et propositionem per Ecclesiam, *b*) inter veritatem revelatam et eius explicationem, declarationem vel expositionem. Revelatio post tempus Apostolorum finita est, propositio vero revelatorum usque ad finem mundi continuabitur ; veritas revelationis stat in æternum immutabilis, explicatio vero, expositio vel declaratio revelatorum continuo necessaria erit. In praxi propositio et explicatio revelationis communiter coincidunt. Ecclesia enim *proponendo* aliquam veritatem revelatam, illam com-

1. D. 1836.
2. Vinc. Lerin., *Commonit.*, 28.

muniter non nude et simpliciter in forma qua revelata fuerat, proponit, sed simul sensum doctrinæ revelatæ aliis terminis et conceptibus determinat, formulat, explicat. Similiter *definiendo* aliquam doctrinam tanquam revelatam vel ut dogma, illam simul tanquam legitimam explicationem vel expositionem doctrinæ divinitus revelatæ definit. Ita definitio consubstantialitatis Verbi cum Patre explicationem divinitatis Verbi importat, definitio transsubstantiationis explicationem verborum institutionis Eucharistiæ, definitio primatus iurisdictionis Romani Pontificis explicationem verborum Matth., 16, 17-19, etc.

In huiusmodi autem propositione et explicatione successiva proprie ac formaliter progressus dogmaticus habetur. Ita conceptus catholicus de evolutione dogmatum in ipso conceptu catholico dogmatis continetur.

IV. Simul *obiectiones* communes, ex notione catholica dogmatis petitæ, facile solvuntur. Nam communiter obicitur, quod *a*) dogma tanquam veritas revelata progressum vel evolutionem non admittat ; *b*) quod revelatio sit finita ; *c*) quod obiectum fidei mutationem vel augmentum non admittat ; *d*) quod dogma novum contradicat. Ad omnes huiusmodi obiectiones per distinctionem datam respondetur. Nam *a*) veritas quidem dogmatis mutationem vel evolutionem non admittit, tamen eius propositio et explicatio ; *b*) revelatio quidem finita est, non vero eius propositio et explicatio ; *c*) obiectum fidei ex parte quidem veritatum revelatarum mutationem vel augmentum non admittit, bene tamen ex parte subiecti credentis, secundum quod ipsi successive plures veritates revelatæ ad credendum proponuntur vel ut credendæ explicantur ; *d*) impossibile est dogma novum quoad doctrinam revelatam quæ sc. antea non fuerit revelata, non vero dogma novum quoad propositionem et explicationem, i. e. veritas revelata nunc primo proposita et explicata.

V. Denique ex hac propositione *necessitas* progressus dogmatici patet, nempe necessitas propositionis expressæ, explicationis, determinationis et definitionis revelatorum vel credendorum ut sc. fideles diligentius instruantur, errores vitentur ac ea quæ sunt fidei, ab omnibus inconcussa

fide teneantur, ut iam scholastici maiores optime exposuerunt-videsis supra, a. 4, n. 10, 11. Quorum sententiam *Petrus de Tarantasia* (Innocentius V) his verbis colligit : « Primi symboli principalis causa fuit veritatis certa traditio, secundi veritatis traditæ propalatio, tertii errorum exclusio[1]. »

PROP. III. — **Progressus dogmaticus optime a theologia scholastica definitur tanquam explicatio impliciti** (vel profectus ab implicito ad explicitum), sc. *a*) ut profectus *a propositione revelationis implicita ad propositionem explicitam*, *b*) *ut explicatio vel propositio explicita sensus impliciti revelatorum*, *c*) *ut profectus a fide implicita ad fidem explicitam.*

Quod profectus dogmaticus *generaliter* loquendo in explicatione impliciti consistat, tanquam corollarium ex prop. II. sequitur : nam omnis propositio, declaratio, expositio et explicatio est explicatio impliciti. Probatur tamen per partes.

a) Profectus dogmaticus est profectus *a propositione implicita ad propositionem explicitam revelationis.* Aliquo modo omnes veritates revelatæ iam ab initio in Ecclesia propositæ fuerunt, præsertim per propositionem S. Scripturæ tanquam Verbi Dei inspirati et per propositionem doctrinæ Ecclesiæ tanquam regulæ fidei et per propositionem symboli apostolici ; tamen non omnes veritates revelatæ ab initio determinate et explicite, saltem quoad sensum, ab Ecclesia proponebantur (sicut nec hodie). In posterioribus vero definitionibus successive plures veritates determinate, actualiter et explicite ad credendum proponuntur. Ita in profectu dogmatico veritates quæ prius implicite proponebantur, explicite proponuntur : ut per symbolum apostolicum veritates fidei principaliores magis explicite proponuntur, per definitionem consubstantialitatis et unionis hypostaticæ veritas fidei de divinitate Verbi et de Incarnatione Dei, per definitionem canonis character inspiratus librorum determinatorum, per defi-

1. III, d. 25, a. 1, q. 3.

nitiones Concilii Vaticani veritas fidei de Deo, de revelatione, de fide, de Ecclesia.

b) Profectus dogmaticus est profectus ad explicationem vel *propositionem explicitam sensus impliciti revelatorum.* Profectus dogmaticus generaliter explicationem revelatorum dicit. Iamvero ad explicationem alicuius doctrinæ duo requiruntur : primo, quod sensus alicuius veritatis magis explicetur, determinetur, magis cognitus fiat vel innotescat ; secundo, quod veritas explicata immutata maneat vel quod explicatio et veritas explicata eandem doctrinam dicant. Utrumque in explicatione vel propositione explicita sensus impliciti habetur. Nam per propositionem explicitam sensus impliciti veritas explicata magis innotescit nec tamen mutatur. Ita Concilium Vaticanum profectum quidem cognitionis fidei exoptat, tamen « eodem sensu eademque sententia ».

c) Profectus dogmaticus est profectus *a fide implicita ad fidem explicitam.* — Sicut omnes veritates revelatæ ab initio Ecclesiæ ad credendum proponebantur, ita et credebantur : non tamen omnes explicite, particulariter, actualiter, distincte, sed quædam explicite, quædam implicite, implicite sc. sive in fide in Deum sive in fide in Christum sive in fide in revelationem sive in fide in Ecclesiam sive in fide in aliquam determinatam veritatem. Per definitiones dogmaticas quibus aliqua veritas tanquam fide divina et catholica credenda statuitur, fides actuatur, determinatur, fit distincta et particularis, i. e. explicatur. Ita profectus dogmaticus est profectus a fide implicita in fidem explicitam[1]. Ita denique Scholastici progressum dogmaticum optime tanquam explicationem impliciti vel breviter tanquam explicationem fidei definierunt. Inde per modum corollarii duas alias propositiones adiungimus.

Prop. IV. — **Progressus dogmaticus optime a theologia scholastica hac formula exprimitur : Quantum ad substantiam articulorum non est factum eorum augmentum, sed quantum ad eorum explicationem.** — Formula est

1. Infra, a. 10.

S. Thomæ in II. II, q. 1, a. 7 ; eandem tamen formulam quoad rem habent Alexander Halensis, S. Bonaventura, B. Albertus M., Petrus de Tarantasia, Richardus de Mediavilla, ut supra a. 4, n. 9 vidimus, ac denique formula ad Magistrum sententiarum et Hugonem de S. Victore reducitur (a. 4, n. 6). Scholastici maiores et S. Thomas quidem per illam formulam proprie progressum *revelationis* determinant. Merito tamen scholastici posttridentini formulam transtulerunt ad exprimendum progressum dogmaticum in Ecclesia, servata sc. proportione (a. 4, n. 15-26). Similiter formula a theologis modernis communiter tenetur, licet aliis et aliis verbis exprimatur, ut quod non habeatur progressus quoad se, sed quoad nos ; quod non habeatur mutatio quoad susbtantiam, sed accidentalis tantum, i. e. quoad explicationem ; quod non fiant nova dogmata materialia, sed formalia tantum, etc.

Sensus huius formulæ est : primo, quod in Novo Testamento progressus dogmaticus non fit additione novarum revelationum sed maiore explicatione revelationum apostolicarum[1] ; secundo : quod dogmata postmodum ab Ecclesia definita non exhibent aliam doctrinam obiectivam quam quæ Apostolis fuerit revelata et ab ipsis Ecclesiæ communicata, tamen magis explicatam, determinatam et aliter expressam vel formulatam : id quod sufficienter ex prop. 1-3 et ex conspectu historico patet ; tertio denique est sensus formulæ quod in definitionibus dogmaticis nulla fiunt additamenta revelationi extranea, i. e. quod nulla doctrina definiatur quæ obiective, quoad rem assertam, in deposito fidei non contineatur.

Unde formulæ scholasticæ et doctrinæ catholicæ per eam enuntiatæ non sufficiunt qui revelationem vel depositum fidei ad quasdam « ideas generales » restringunt : ita enim identitas vel immutabilitas substantialis fidei in evolutione dogmatica non sufficienter tenetur vel non rite intelligitur formula scholastica et catholica. E contra firmiter tenendum est : omnis doctrina postmodum ut dogma definita est proprie et in se (formaliter) revelata et in deposito fidei reposita, postmodum ab Ecclesia

1. Pesch, *Prælect. dogm.*, VIII, n. 195.

tantummodo explicite ad credendum proposita, magis explicata, exactius determinata, novo modo expressa vel formulata : id enim dicit identitas vel immutabilitas substantialis.

Prop. V. — **Terminus denique theologicus vel dogmaticus ad progressum dogmaticum exprimendum et determinandum est : explicatio fidei vel revelatorum.** — Huiusmodi enim terminus constanter et universaliter a tota theologia scholastica, ante et post Concilium Tridentinum, adhibitus fuit. Unde habet auctoritatem theologicam, sc. ex consensu theologorum, simul tamen ex approbatione saltem tacita vel indirecta ipsius Ecclesiæ. Concilium quidem Vaticanum loco termini « explicationis », utitur terminis « expositionis » et « declarationis » ; ita tamen, saltem quoad rem, terminum explicationis approbavit cum declarare, exponere et explicare idem dicant. Unde terminus « explicatio fidei vel revelatorum » tanquam terminus proprius et technicus, proprie theologicus, tanquam formula scientifica theologiæ scholasticæ retinendus atque in praxim deducendus est.

Ecquidem, uti iam supra vidimus, « *explicatio fidei* » a maioribus scholasticis, et specialiter a S. Thoma Aquinate, *dupliciter accipitur*[1] : uno modo pro explicatione revelationis per novam revelationem, alio modo pro sola expositione et declaratione vel formulatione sensus veritatis revelatæ. Secundum primum modum S. Thomas dicit : « Explicatio credendorum fit per revelationem divinam[2] » et « creverunt articuli fidei secundum successionem temporum », ita tamen quod « omnes articuli (posterius revelati) in aliquibus primis credibilibus continerentur », sc. in revelatione existentiæ Dei et providentiæ divinæ[3].

Alio modo S. Thomas dicit : « in uno (symbolo) plenius explicantur quæ in alio continentur implicite[4] » ; « quædam

1. Cf. Franzelin, *De divina tradit.*, thesis 26, n. II.
2. II. II, q. 2, a. 6.
3. II. II, q. 1, a. 7 ; q. 174, a. 6 ; *De Verit.*, q. 14, a. 11 ; 3 L., 25, q. 2, a. 2.
4. II. II, q. 1, a. 9, ad 2 .

(in aliis symbolis) continebantur quæ oportebat propter insurgentes hæreses explicari[1] » ; « sancti Patres in sequentibus synodis non intenderunt aliquid addere (ad symbolum Nicænum) sed propter insurgentes hæreses id quod implicite continebatur, explicare studuerunt[2] » ; « processio Spiritus Sancti a Filio implicite in symbolo Constantinopolitano continetur inquantum ibi continetur quod procedit a Patre[3] » ; ad Romanum Pontificem pertinet « finaliter determinare ea quæ sunt fidei[4] » ; non ut symbolum ab ipso editum « aliam fidem » contineret, sed « eandem magis expositam[5] » ; « in doctrina Christi et Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicita (sc. quantum ad revelationem) ; sed quia perversi homines Apostolicam doctrinam... et scripturas pervertunt..., ideo necessaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei (per explicitam propositionem et definitionem sensus impliciti) contra insurgentes errores[6]. » Posteriores vero scholastici « explicationem fidei » exclusive in sensu strictiori accipiunt : et ita progressus dogmaticus est explicatio fidei vel progressus ab implicito ad explicitum.

Doctrina igitur catholica verum progressum dogmaticum admittit ac statuit[7] ; excludit tamen in eo (quoad dogmata definita et fidem Ecclesiæ) omnem mutationem obiectivam revelationis vel fidei, simul tamen excludit nova additamenta, sive per novam revelationem sive per doctrinas humanas revelationi extrinsecas ; progressum dogmaticum tanquam successivam propositionem et explicationem revelationis definit ; explicationem revelationis per explicitam propositionem revelationis implicite propositæ et

1. 3 d. 25, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1, 4.
2. *De Pot.*, q. 10, a. 4, ad 13.
3. L. c.
4. II. II, q. 1, a. 10.
5. L. c., ad 2.
6. L. c., ad 1.
7. Optime igitur MAUSBACH notat, esse sententiam acatholicam quæ tenet, in religione christiana verum profectum vel evolutionem non esse admittendam. In *Hochland*, 1906, III, 406 : « Die Behauptung, echtes Christentum lasse keine Wesensentwicklung zu, ist ein antikatholisches Prinzip, ein beliebtes Kampfmittel der Hæresie. » Cf. GISLER, *Der Modernismus*, p. 599.

sensus impliciti revelatorum (vel revelationis implicitæ) explicat, ita ut terminus scholasticus et theologicus vel formula scientifica pro progressu dogmatico sit : explicatio fidei.

Doctrina scholasticorum de explicatione fidei, supra conspectu historico exposita, secundum se considerata est omnino sufficiens. Tamen propter quasdam difficultates adversariorum et simul propter controversias inter ipsos scholasticos adhuc explicatione ulteriori indiget, non tam ut perficienda quam ut determinanda et ad quæstiones recentiores applicanda : id quod sequentibus articulis præstandum suscipimus.

SECTIO III

Doctrina theologica de explicatione fidei

Auctores acatholici prætendunt, in explicatione fidei doctrinam primitus revelatam necessario mutari, fieri additiones revelationi extraneas, defigurationem vel transfigurationem intrare, uno verbo fieri evolutionem in sensu communi, sicut res organicæ vel ideæ alicuius scholæ evolvuntur, ita ut explicatio fidei, per Ecclesiam proposita, non possit esse obiectum fidei. Ostendendum est igitur : quomodo habeatur explicatio revelatorum absque mutatione substantiali doctrinæ ; quomodo definitiones Ecclesiæ cum doctrina primitus revelata identificentur ; quomodo dogmata Ecclesiæ tantum explicationem revelatorum repræsentent ; quomodo obiectum fidei esse possint.

Ita tractabimus :

1° De distinctione revelationis explicitæ, implicitæ et virtualis (a. 6) ;

2° De modo quo diversimode revelata a nobis cognoscuntur (a. 7) ;

3° De explicatione definitiva per definitiones dogmaticas (a. 8) ;

4° De definibilitate conclusionum theologicarum (a. 9) ;

5° De termino vel effectu progressus dogmatici (a. 10).

ARTICULUS SEXTUS

DE DISTINCTIONE REVELATIONIS EXPLICITÆ, IMPLICITÆ ET VIRTUALIS[1]

I. Explicatio fidei in explicita propositione revelationis implicitæ consistit. Doctrina de explicatione fidei igitur a notione revelationis explicitæ et implicitæ exordiri debet, quæ iterum in notione revelationis fundatur.

« Revelatio » generalissime accepta dicit *manifestationem* alicuius rei occultæ, ut si alicui thesaurus occultus vel absconditus revelatur. Huiusmodi revelatio fieri potest : vel in quantum *res* ipsa in se manifestatur, ut videri possit, ut si thesaurus ipse ostenditur, vel inquantum manifestatur *cognitio* de re illa. In revelatione fidei vel credibilium res ipsa de qua est revelatio, non videtur in se ipsa : nam fides est de rebus non visis[2]. Unde revelatio proprie dicta de qua nobis est quæstio, est manifestatio veritatis occultæ, facta per Deum, ita ut res ipsa in se ipsa maneat non visa. Manifestatur igitur nobis cognitio quam Deus de re revelata habet.

Iamvero huiusmodi cognitio divina nobis non manifestatur prout est in Deo — est enim in Deo idem cum suo esse et intelligere, — sed manifestatur nobis *secundum modum nostræ cognitionis*. Est autem modus proprius nostræ cognitionis quod veritatem per modum iudicii, componendo et dividendo, cognoscamus. Unde veritas divina nobis per modum iudicii revelatur (et ita etiam ab Ecclesia nobis proponitur, ut in definitionibus dogmaticis apparet).

Iudicia iterum homini per *propositiones* significantur et per terminos ipsius propositionis, quia homo veritatem revelatam tantummodo mediantibus conceptibus nostræ

1. Cf. supra, a. 4, n. 37-47. — A. Michel, in Dict. de théol. cath., verbum : explicite-implicite, col. 1869, optime notat : « La notion de la révélation implicite et explicite fonde toute la théorie du progrès du dogme. »

2. *Heb.*, 11, 1 ; cf. S. Thomas, II. II, q. 1, a. 4. 6.

cognitionis cognoscere potest. Revelatio igitur divina fit per propositiones et per conceptus vel terminos nostræ cognitionis. *In tantum ergo aliquid erit nobis revelatum inquantum nobis per terminos propositionum manifestatur*[1]. Hic nunc venit distinctio inter revelationem explicitam et implicitam.

II. Veritas sc. revelatur aut *immediate* aut *mediate*. Immediate vel formaliter dicitur aliquid revelatum quod *in se ipso* revelatur vel manifestatur, idest si veritas ut talis per propositionem vel terminos propositionis manifestatur : ut si alicui actualiter dico : thesaurus a te quæsitus est in tali loco. *Mediate vel virtualiter* dicitur aliquid revelatum quod est revelatum *in suis principiis vel causis*, i. e. si manifestatur aliquod principium quo mediante vel ex quo propria operatione intellectuali veritas vel doctrina de qua agitur, mihi manifesta fit, ut si revelarim alteri quod certus N. sciat ubi sit thesaurus, qui etiam paratus sit ad locum indicandum ; vel si revelatur res *ex cuius cognitione* ad cognitionem alterius doctrinæ pervenire possum, sive cognoscendo effectum ex causa sive causam ex effectu sive proprietatem ex essentia sive essentiam ex proprietate sive alia simili via : ut si manifestarem alicui virgulam divinatoriam qua mediante thesaurum absconditum invenire posset.

III. Revelatio immediata vel formalis iterum subdividitur *in explicitam* et *implicitam*[2]. Dicitur aliqua doctrina

1. De natura et modo revelationis S. Thomas tractat II. II, q. 171-174 (= de prophetia). Optimam expositionem habes apud P. Garrigou-Lagrange, *De revelatione*, I², cap. 4, cf. supra, a. 2.

2. S. Thomas terminos « explicite » et « implicite » (quos tamen in sensu largiori accipit) sic explicat : « Implicitum proprie dicitur esse illud in quo quasi in uno multa *continentur* ; explicitum autem in quo unumquodque ipsorum *in se consideratur*. Et *transferuntur* hæc nomina *a corporalibus ad spiritualia*. Unde quando aliqua multa *virtute continentur* in aliquo uno, dicuntur esse in illo implicite, sicut conclusiones in principio. Explicite autem in aliquo continetur quod in eo *actu existit* : unde ille qui cognoscit aliqua principia universalia, habet implicitam cognitionem de omnibus conclusionibus particularibus ; qui autem conclusiones actu

explicite revelata quando ipsi termini propositionis vel revelationis doctrinam *vi propriæ significationis manifestant*, continent vel exprimunt; formaliter implicite vero doctrina dicitur revelata si in revelatione *tantum terminis vel conceptibus æquivalentibus vel æquipollentibus* exprimitur[1].

Ita in locutione communi iudicium vel cognitionem nostram significamus, communicamus, exprimimus : vel formaliter, immediate et explicite, inquantum illam in se significamus et quidem terminis proprie significantibus ; vel implicite, inquantum illam quidem directe et in se exprimimus, tamen non termino proprio sed tantum æquivalenti ; vel virtualiter tantum et mediate, inquantum aliquid significamus vel exprimimus ex quo illa veritas deduci potest. Ita similiter in S. Scriptura formaliter, immediate et explicite revelatum est : Christum esse ex genere David (Mt., 1) ; explicite revelatum est : Deum esse incarnatum et hominem factum ; item secundum definitionem conc. Trident., sess. 13, c. 1, expresse revelatum est : Redemptorem in ultima cœna discipulis se suumque corpus præbuisse, cum hoc disertis ac perspicuis verbis » testatus sit et verba sua « propriam illam et apertissimam significationem præ se ferant » (D. 874). Implicite revelatum est : Deum velle N. N. salvum fieri. Revelatum enim est explicite : Deum velle omnes homines salvos fieri (*I Tim.*, 2, 4) ; propositio vero : « Deus vult omnes homines salvos fieri » æquivalens vel æquipollens est huic : « Deus vult hunc N. N., tanquam hominem existentem, salvum fieri ». In revelatione incarnationis Dei implicite revelatur : Deum factum esse animal rationale, quia ex communi significatione illi duo termini : « homo » et « animal rationale »

considerat, dicitur ea explicite cognoscere. » Itaque aliqua doctrina dicitur explicite revelata si in revelatione actu, in se manifestatur ; implicite vero, si in revelatione tantum « in virtute » continetur : ubi tamen notandum est quod S. Thomas terminum « in virtute » large accipit, sc. *quocumque modo* aliquid in alio continetur, sive mediate (virtualiter) sive implicite in sensu strictiori.

1. Æquipollentia (propositionum) definitur : « eadem vis idemque sensus duarum propositionum, ex æquivalentia signorum proveniens. » Zigliara, *Summa philos., Logica*, 30.

sunt æquivalentes vel æquipollentes. Similiter in verbis a Concilio Tridentino de institutione Eucharistiæ relatis continetur implicite, Christum in Eucharistia esse vere, realiter et substantialiter, quia illæ duæ propositiones : « Christus præbuit suis discipulis seipsum et suum corpus » et « corpus Christi ibi erat vere realiter et substantialiter », sunt æquivalentes vel æquipollentes, licet verba Christi « secundum propriam et manifestam significationem » tantum hoc dicant : se discipulis « seipsum et corpus suum præbuisse ». Virtualiter vel mediate revelatum est in revelatione Incarnationis : Christum habuisse intellectum agentem : nam propositio « Deus homo factus est » vi propriæ significationis non manifestat Christum habuisse intellectum agentem, id quod per consequens non est revelatum explicite ; neque illa propositio hoc implicite exprimit cum illæ duæ propositiones non sint æquivalentes, non exprimunt eandem doctrinam, sed propositio de intellectu agente aliquid plus dicit, i. e. novam et aliam doctrinam exprimit. Virtualiter denique in verbis quibus Christus Eucharistiam instituit, continetur doctrina : accidentia realiter a substantia differre, quia sc. ex re per Christum instituta et revelata cognoci vel deduci potest.

IV. Circa sensum implicitum a duplici errore cavendum est. Primo sensus implicitus non omnia complectit quæcumque Deus de re revelata noverit : licet enim Deus rem de qua fit revelatio, penitus noverit, non tamen totam suam scientiam de re illa manifestat, sed tantum ea quæ termini revelationis exprimunt[1]. Secundo : tamen termini quibus fit revelatio, non secundum nudam significationem grammaticalem, interpretandi sunt sed simul secundum connexum sermonis, genus literarium, circumstantias et præcipue secundum intentionem loquentis. Liceat addere dictum verissimum ipsius *Billuart* : « Verba quibus Deus dona sua commendat, non sunt exagerativa neque hyperbolica, quasi plus exprimant quam reipsa sint, sed potius sunt infra magnitudinem donorum »[2].

1. Cf. VACANT, *Etudes théol. sur les constitutions du Concile du Vatican*, II, 293.
2. *Summa theol.*, De gratia, diss. 4, a. 3. Ed. Paris, 1895, III, 371.

V. *P. Marin-Sola* distinctionem expositam inter revelationem immediatam et mediatam tanquam insufficientem et falsam reiicit[1]. Secundum ipsum omnis veritas vel propositio quæ in seipsa, sola cognitione vel explicatione terminorum, absque discursu deductivo, evidenter tanquam revelata apparet, est formaliter vel immediate revelata ; e contra, omnis veritas quæ, ut tanquam revelata appareat, ex alia propositione distincta deduci opus habet, est mediate revelata : omnis enim cognitio, ait, aut est immediata vel mediata, intuitiva aut deducta. Ita auctor. Attamen, ni fallor, duo diversa confundit, sc. distinctionem obiectivam modi *revelationis* et distinctionem *modi cognoscendi* ex parte nostra. Distinctio enim revelationis exposita est obiectiva, ex parte ipsius revelationis petita, secundum quod sc. aliqua veritas aut ipsis terminis revelationis exprimitur (sive propria verborum forma sive æquivalenter) sive tantum in suo principio vel in sua causa ; distinctio vero P. Marin-Sola desumitur ex modo quo aliqua doctrina ex revelatione cognoscitur quæ distinctio non est ad rem, ut mox videbimus.

P. Marin-Sola similiter tenet conceptum revelationis virtualis a Suarezio esse vitiatum. Ut hoc ostendat[2], triplicem modum distinguit quo proprietas virtualiter revelata dicatur. Distinguit enim *a*) inter proprietates essentiales (metaphysicas, aptitudinales seu radicales quæ sunt identicæ cum essentia, ut risibilitas radicalis in homine) et proprietates physícas seu actuales quæ sunt accidentia ab essentia realiter distincta ; distinguit *b*) inter essentiam puram vel in abstracto (animal rationale) et essentiam in statu connaturali, i. e. cum suis proprietatibus actualibus, et essentiam in statu integro vel perfecto, i. e. cum perfectionibus acquisitis vel acquisibilibus. Inde sequentia ponit corollaria : 1° Revelata essentia pura vel metaphysica, proprietates essentiales proprie virtualiter revelatæ sunt ; similiter revelata essentia integra et perfecta, proprietates physicæ et actuales virtualiter revelatæ

1. Ciencia tomista, 1911, n. 10, p. 63 et passim.
2. *Ciencia Tomista*, n. 43, 1917, p. 5-32 : De vero virtualiter revelato.

sunt atque proprie per conclusionem theologicam deduci possunt. 2° Revelata essentia pura vel in abstracto proprietates physicæ et actuales non sunt proprie virtualiter revelatæ neque per modum conclusionis theologicæ proprie dictæ deduci possunt ; non enim necessitate absoluta cum essentia pura connectuntur, cum per voluntatem et potentiam Dei essentia sine illis esse possit : ita, licet in Eucharistia sit corpus Christi, et corpus naturaliter sit circumscriptive in loco, non tamen concludi potest quod corpus Christi in Eucharistia sit circumscriptive. 3° Major pars manualium post Suarezium ab hac doctrina recessit, *reducendo virtualiter revelata (vel conclusiones proprie dictas) ad conclusiones secundi corollarii*, i. e. quæ sunt circa proprietates (actuales) realiter a re revelata distinctas.

Duo priora corollaria certe optime distinguunt ; in tertio vero corollario auctor excessisse videtur. Etenim theologi, et quidem merito, tenent, in revelatione essentiam non ut puram vel metaphysicam sed ut integram vel perfectam revelari : ita si Deus dicitur *homo* factus, non revelatur assumptio essentiæ humanæ puræ vel metaphysicæ sed assumptio naturæ humanæ integræ et perfectæ ; similiter, si revelatum est : in Eucharistia est corpus Christi, non tantum revelatur quod ibi sit essentia metaphysica vel nuda corporis Christi, sed quod ibi sit corpus Christi concretum, historicum et integrum. Si igitur concluditur : ergo Christus habet animam et intellectum, ergo in Eucharistia sunt membra corporis Christi, conclusio non procedit a notione essentiæ metaphysicæ hominis neque ab essentia nuda corporis Christi.

P. Marin-Sola ad probandum tertium corollarium[1] adducit textum Suarezii, *De fide*, disp. 3, s. 11, n. 5 : « Revelatio *virtualis* est respectu proprietatis quæ *nullo modo continetur formaliter in re dicta*, sed tantum in radice, ut est in exemplo de visibilitate vel similibus », et alium textum (l. c.) : « Adverto duobus modis contingere posse ut una propositio in altera revelata contineatur : uno modo tanquam *in re omnino eadem cum illa* vel saltem tanquam pars ibi contenta licet confuse, secundum nostrum modum

1. *Ciencia tomista*, 1911, n. 10, p. 66.

concipiendi ; alio modo tanquam *quid distinctum* vel tanquam effectus in causa : sicut in hac propositione immediate revelata, Christus est homo, mediate seu virtute hæc revelata continetur, Christus est visibilis. Loquendo ergo primo modo de propositione mediate revelata, verum est, propositionem illi contrariam esse hæreticam, quia propositio sic revelata est simpliciter de fide... quia, licet illa propositio quoad nos et secundum nostrum modum concipiendi confuse, dicatur mediate revelata, tamen in se cadit seu extenditur revelatio ad ipsam etiam immediate... At vero loquendo de propositione tantum posteriori modo revelata et in se non definita per Ecclesiam... non sufficit ut talis propositio sit de fide ». Quibus ex dictis P. Marin-Sola tanquam doctrinam Suarezii statuit : primo : ea quæ sunt identica cum *re* formaliter revelata, pertinent ad fidem, non vero ad theologiam ; secundo : revelatio virtualis non est nisi de re realiter distincta a re formaliter revelata.

Hic tamen, ni fallor, æquivocatio habetur quæ facili distinctione solvitur. Etenim P. Marin-Sola considerat *distinctionem realem proprietatum a suis essentiis*, Suarez vero considerat utrum *in duabus propositionibus aliquid formaliter distinctum edoceatur*. Sententia igitur Suarezii est hæc : propositio deducta quæ idem formaliter *dicit* ac propositio immediate revelata, quoad se vel materialiter est immediate revelata ; propositio vero deducta quæ aliquid aliud *affirmet* quam quæ in propositione formaliter revelata affirmantur, est virtualiter tantum revelata. Non igitur quæritur utrum *proprietas* deducta realiter a sua *essentia* distinguatur, sed utrum propositio deducta *aliud affirmet* quam propositio revelata.

Itaque P. Marin-Sola optime quidem inculcat, rem virtualiter revelatam non necessario esse realiter distinctam a re formaliter revelata ; similiter tamen ipse Suarez et doctrina communis optime tenent : virtualiter revelatum non contineri formaliter *in re dicta*, sed tantum in radice, i. e. conclusionem deductam non esse æquivalentem vel æquipollentem cum propositione formaliter revelata, sed importare *cognitionem* obiective *distinctam*.

Ita revelata existentia Dei, simul virtualiter revelata

sunt omnia Dei attributa absoluta, ut e. g. liberum arbitrium Dei et quod sit creator omnium et quod habeat providentiam circa res creatas : illa enim omnia ex Dei existentia deduci possunt. Huiusmodi virtualiter revelata dicuntur « formaliter distincta » a formaliter revelata existentia Dei quia quoad rem *dictam* vel cognitionem manifestatam aliud formaliter est existentia Dei et aliud libertas Dei vel creatio mundi vel providentia circa creata, licet quoad *rem ipsam* idem sit existentia, libertas, creatio et providentia Dei. Quæ de triplici divisione revelationis diximus, adhuc per sequentem considerationem magis patebunt.

VI. *Quilibet ex tribus modis revelationis multiplici ac diversa forma invenitur.* Primo diversimode aliquid *explicite* revelari potest, secundum quod res vel cognitio quædam diversimode in se, directe ac propriis terminis significari vel manifestari potest. Id quod fieri potest, vel termino signato (ut cum dico : Deus est fortis) termino metaphorico (ut cum dicitur : Dominus exercituum) — nam significatio propria locutionis metaphoricæ non est figura, sed id quod per figuram significatur[1] — ; vel clare et distincte vel obscure et confuse secundum quod res vel cognitio magis vel minus perfecte exprimitur ; vel disertis ac perspicuis verbis vel plus minusve indirecte et in obliquo. Unde merito Iohannes a S. Thoma notat fidem vel revelationem explicitam habere quandam latitudinem secundum quod aliquid magis vel minus determinate creditur vel revelatur[2]. Id quod non semper ab omnibus observatum est.

Secundo doctrina quædam diversimode *implicite* revelata esse potest. Secundum doctrinam communem theologorum[3] sequentes modi revelationis formalis implicitæ habentur : *a*) Si in fontibus revelationis explicite continetur *definitum*, implicite revelata est definitio vel viceversa. *b*) Si *totum*

1. Cf. S. Thomas, I, q. 1, a. 10, ad 2.
2. *Cursus theol.*, De fide, d. 4, a. 1 (ed. Par., VII, 94).
3. Cf. ex recentioribus e. g. Pesch, Ch., *Prælectiones dogm.*, VIII, De fide, n. 268. Van Noort, *De fontibus revelationis*[3] n. 192 s. ; Tanquerey, *Synopsis theol. dogm. spec.*, I[14], n. 181.

explicite revelatur, implicite revelantur partes essentiales, ut Christus est homo, Christus habet corpus et animam. Hic quidem distinguendum est inter totum metaphysicum, physicum et logicum. Quoad totum metaphysicum nullum est dubium. Quoad totum physicum illæ saltem partes implicite revelatæ censendæ sunt quæ sunt constitutivæ et integrales, sine quibus sc. totum indicatum existere nequit. Nonne sub propositione : Christus est homo, formaliter continentur propositiones : Christus habet animam rationalem... corpus organicum..., cor, caput, sanguinem ? Si fontes aliquid explicite de toto logico affirmant vel negant, certe implicite idem docent de singulis speciebus aut individuis, sub eo evidenter comprehensis. Ita propositione universali absolute revelata, simul implicite revelantur propositiones particulares sub ea contentæ. Si vero propositio universalis est conditionata, ut : omnis hostia rite consecrata continet corpus Christi, propositio particularis non est revelata nisi de conditione impleta absolute constet. Ita non est revelatum, hanc hostiam determinatam continere corpus Christi[1]. *c*) Revelato uno relativo, revelatum est *correlativum*. Ita contradictoria aut immediate contraria necessario simul revelantur hoc sensu : quod si unum ut verum revelatur, alterum falsum esse revelatur, ut, si ex revelatione tres sunt personæ divinæ, implicite revelatur, neque pauciores neque plures esse. Revelato effectu revelatur causa inseparabilis. Et sic de omnibus correlatis. Ita Iohannem esse filium Zebedæi et Zebedæum esse patrem Johannis, utrumque revelatum est si alterutrum revelatum est. *d*) Si fontes explicite continent *ambas præmissas*, implicite continent conclusionem (non formaliter ut conclusionem, sed secundum obiectum vel materiam). V. g. explicite revelatum est : ad omne opus supernaturale gratia requiritur, et : initium fidei est actus supernaturalis ; tunc implicite revelatum est : ad initium fidei gratia requiritur.

VII. Hic tamen notandum est revelationem implicitam non coarctari ad modos modo indicatos. Potest enim aliqua

1. Cf. S. Thomas, II. II, q. 1, a. 3, ad 4.

cognitio vel res tot modis implicite significari et manifestari *quot modis aliqua propositio vel doctrina æquivalenter vel æquipollenter exprimi potest ;* qui modi sunt quasi infiniti. Quot enim modis æquivalentibus in vita communi ideas nostras exprimimus ! Ita et dogmata postmodum definita diversissimo modo in S. Scriptura vel in traditione æquivalenter vel æquipollenter revelantur, immo ipsa S. Scriptura doctrinam quam uno in loco explicite exprimit, aliis in locis multipliciter implicite et æquivalenter refert. Ita S. Scriptura formulam Trinitatis implicite et æquivalenter revelat inquantum in diversis locis Patrem, Filium et Spiritum Sanctum ut unum Deum exhibet ; duplicem naturam Christi docet inquantum ipsi hic et inde actiones proprie humanas et divinas attribuit ; dogma de numero septennario sacramentorum revelat inquantum in diversis locis continet elementa ex quorum collatione et comparatione illa veritas collectiva exurgit ; generaliter formulas dogmaticas per terminos et conceptus æquipollentes edocet, etc. Ita Divinitas Christi modo æquivalenti per huiusmodi terminos vel formulas exprimitur : Christus est Verbum Dei, Filius Dei, Patri consubstantialis, « splendor gloriæ et figura substantiæ » Dei (*Heb.*, 1, 3), « portans omnia verbo virtutis Dei » (l. c.), qui consedet in dextera sedis magnitudinis in cœlis (*Heb.*, 8, 1), vel « qui sedet ad dexteram Patris », « qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ » (*Col.*, 1, 15), « in ipso condita sunt universa... et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant » (*Col.*, 1, 16, 17), « qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo » (*Phil.*, 2, 6), etc. Quinimo diligenter consideranti historiam dogmatum concretam patet, dogmata fidei minus per res definiendas vel formulas universales quam per diversos alios modos loquendi æquivalentes implicite revelata esse[1].

Tertio denique revelatio *virtualis* diversos modos admittit secundum quod sc. aliquid diversimode in suis principiis

1. Possent quidem omnes tales modi revelationis reduci ad modum revelationis definitionis per revelationem rei revelatæ, ita tamen, ut definitio in sensu omnino largissimo accipiatur.

vel causis revelatum est. Alio atque alio modo in revelatione continentur vel ex ea deducuntur : præsupposita fidei, conclusiones theologicæ proprie dictæ, iudicia de factis dogmaticis, beatificatio sanctorum et approbatio ordinum religiosorum[1]. Tamen et conclusiones theologicæ proprie dictæ diversimode virtualiter revelatæ sunt, sc. *secundum omnes modos quibus conclusiones in principiis suis contineri possunt.* Quodsi communiter dicitur, id virtualiter esse revelatum quod continetur in re revelata sicut proprietas in essentia vel effectus in causa, vel vice versa, tantummodo modi quidam præcipui indicantur. Ita alia ratione ex Dei perfectione absoluta libertas Dei deducitur, alia ratione intellectus agens ex natura humana Christi vel realis distinctio accidentium ab essentia ex dogmate transsubstantiationis.

VIII. Hucusque proprie consideravimus modum triplicem quo aliqua veritas determinata revelata esse potest, sc. vel in se ipsa (immediate vel formaliter), sive expresso termino vel conceptu (explicite) sive termino vel conceptu æquivalenti (implicite), vel in suo principio tantum (mediate et virtualiter). Ex dictis tamen simul sequitur *quomodo diversimode revelata se habeant ad invicem.* Supponamus triplicem propositionem diversimode revelatam : *a*) Verbum caro (homo) factum est (explicite revelatum) ; *b*) Verbum hypostatice naturæ humanæ Christi unitum est (implicite revelatum) ; *c*) suppositum realiter distinguitur a natura vel essentia (virtualiter revelatum — quidquid est de veritate huius conclusionis thomistarum).

Si *comparatur* propositio *implicite* revelata *ad explicite* revelatam, implicite revelata est *explicatio*, determinatio, formulatio scientifica propositionis explicite revelatæ. Inde habes quo sensu implicite revelatum dicatur *confuse revelatum.* Sensus nempe est : doctrinam quæ implicite revelata dicitur, in doctrina explicite revelata contineri confuse vel obscure, ita ut explicatione indigeat, ut distincte et actualiter cognoscatur. Ita Suarez optime dicit quod implicite revelatum non cognoscatur, si solum expli-

1. Cf. GROOT, *Summa Apologetica*[3], q. 9, a. 2-6.

cite revelatum cognoscitur. Ita doctrina de unione hypostatica in dicto Iohannis : « Verbum caro factum est » confuse tantum et obscure revelata est nec cognoscitur, si tantum sensus explicitus illius dicti cognoscitur. Inde profectus dogmaticus dicitur explicatio revelatorum inquantum sc. implicite, confuse et obscure revelatum per explicationem explicite, distincte et actualiter cognoscitur. Per doctrinam igitur implicite revelatam res revelata perfectius et distinctius cognoscitur. Ita Eucharistia perfectius et distinctius cognoscitur per doctrinam implicite revelatam præsentiæ veræ, realis et substantialis vel per doctrinam de transsubstantiatione, quam per sola verba explicite revelata : Hoc est corpus meum » ; similiter Christus perfectius cognoscitur per doctrinam unionis hypostaticæ quam per dictum Iohannis : « Verbum caro factum est. » Ita dogmata definita communiter rem vel doctrinam revelatam magis distincte, clare et determinate exprimunt quam ipsa revelatio explicita : et in hoc proprie progressus dogmaticus et explicatio fidei consistit.

Inde simul habes, doctrinam explicite et implicite revelatam esse obiective *identicam* inquantum sc. eadem doctrina tantummodo magis explicatur, distinguitur et determinatur : id quod proprie per terminum æquivalentiæ vel æquipollentiæ significatur. Ita per propositionem explicite et implicite revelatam una eademque res, immo idem formaliter cognitum sub diversa ratione distinctis conceptibus cognoscitur atque distinctis terminis exprimitur[1].

Quodsi comparatur *mediate* vel virtualiter revelatum ad immediate vel formaliter revelatum, propositio mediate revelata non est tantum explicatio vel determinatio propositionis vel doctrinæ immediate revelatæ, sed sequela ipsius vel *conclusio* deducta : inde enim dicitur virtualiter vel in suo principio revelata. Unde propositio virtualiter revelata *aliud formaliter cognitum* importat quam propositio formaliter revelata. Ita propositio virtualiter reve-

1. Dicimus : « distinctis » terminis, quia non habetur proprie implicite revelatum si explicite revelatum tantum aliis terminis synonimis vel tautologicis exprimitur.

lata : « suppositum vel hypostasis realiter distinguitur a natura vel essentia » (sc. in rebus creatis), cognitum formaliter distinctum importat. Alia enim est doctrina quæ vocatur principium, alia quæ ex principio deducitur[1]. Neque sequitur revelationem immediatam et mediatam necessario esse de *re diversa ; potest* quidem esse de re diversa (nam discursus de sua natura potest esse de una re in aliam rem), *non* tamen *necessario* est de re diversa (discursus enim est quidem de uno in aliud, tamen in aliud sive secundum rem sive secundum rationem, sc. in aliam veritatem vel doctrinam). Ita ex revelatione existentiæ Dei libertatem et providentiam Dei circa res creatas deducere possum : et habetur eadem res ; similiter tamen distinctio realis suppositi a natura ex doctrina unionis hypostaticæ et distinctio realis inter substantiam et accidentia ex doctrina transsubstantiationis eucharisticæ deduci potest : et habetur res diversa.

Inde simul comparatio *implicite* revelati *ad virtualiter* revelatum patet. Certe tum doctrina implicite tum virtualiter revelata *novam* quandam *cognitionem* super explicite revelatam addunt, at *diversimode novam.* Doctrina explicite et implicite revelata habent idem formaliter cognitum, tamen sub alia et alia ratione, ut si Christus cognoscitur vel sub ratione filiationis vel sub ratione consubstantialitatis ; si cognoscitur sub ratione incarnationis vel sub ratione unionis hypostaticæ ; si Eucharistia cognoscitur vel sub ratione præsentiæ realis corporis Christi vel sub ratione transsubstantiationis ; si perfectio B. Mariæ V. consideratur vel sub ratione sanctitatis perfectæ vel sub ratione præservationis a peccato originali, etc. Doctrina vero virtualiter tantum revelata dicit aliud formaliter cognitum quam doctrina explicite vel implicite revelata, ut doctrina de reali distinctione accidentium a substantia vel suppositi a natura. Ita explicite et implicite revelatum dicunt

1. « Discurrere proprie est ex uno in cognitionem alterius devenire ». S. Thomas, *De Verit.*, q. 8, a. 15. « Discursiva cognitio attenditur secundum quod ex aliquo prius noto devenitur in cognitionem alterius posterius noti quod prius erat incognitum. » S. Thomas, I, q. 58, a. 3, ad 1.

eundem conceptum obiectivum, licet diversos conceptus formales; virtualiter autem revelatum dicit alium conceptum obiectivum ac formaliter revelatum, sive de duabus rebus distinctis sive de re eadem[1].

ARTICULUS SEPTIMUS

DE MODO QUO DIVERSIMODE REVELATA A NOBIS COGNOSCUNTUR

Distinctio revelatorum quam modo exposuimus, est obiectiva, ex parte revelationis, secundum sc. modum quo aliqua doctrina in ipsa revelatione manifestatur. Ex qua distinctione revelationis simul sequitur modus quo nos, ex parte nostra, diversimode revelata cognoscimus; ita tamen ut distinctio obiectiva revelationis non coincidat cum differentia subjectiva cognitionis nostræ.

I. Ea quæ *formaliter explicite* sunt *revelata* vel sensus explicitus S. Scripturæ et Traditionis, supposita cognitione revelationis illius textus vel dicti, cognoscuntur inquantum *sensus terminorum revelationis cognoscitur vel determinatur*, e. g. quid significet terminus « Verbum » et « caro factum est ». Id quod primo quidem aspectu videtur esse res facillima, tamen non raro vel quasi regu-

1. « Conceptus seu idea est illud a mente et in mente expressum quo intelligimus seu concipimus rem... Conceptus *formalis* est id *in quo* intelligimus, conceptus *obiectivus* est id *quod* intelligimus formaliter... seu ratio obiectiva, quæ mediante conceptu formali immediate obversatur menti. » GREDT, *Elementa philosophiæ*[2], p. 10. Ita hi tres conceptus : Filius Dei, Verbum, consubstantialis Patri, dicunt eundem conceptum obiectivum (quia idem obiectum formale intelligitur), diversos tamen conceptus vel ideas formales (quia idem formaliter cognitum sub diversa ratione formali intelligimus). « Ideæ diversæ illæ sunt quæ *diversis notis* coalescunt » ZIGLIARA, *Summa philos., Logica*, 8, III), i. e. diversas proprietates rei repræsentant, sive quæ vere in re ipsa distinguuntur sive quæ dumtaxat ut *distinctæ* apprehenduntur (ZIGLIARA, l. c., 1, VI.).

lariter magnam et non raro summam præbet difficultatem. Pro argumento habes totam historiam exegeseos, immo dogmatum. Quot expositiones vel sensus statuuntur illius verbi : « Verbum caro factum est » ! Quis adhuc exhausit sensum Verbi Domini : « Ego sum vitis, vos palmites » (*Ioh.*, 15, 5)! Ad rem optime notat Card. *Billot* : « Hic notandum occurrit non esse confundendum id quod expressis verbis in propositione aliqua significatur, cum eo quod prima fronte ex sola lectione vel auditione propositionis percipitur. Potest enim esse quod verborum sensus nonnisi ex studiosissima inquisitione innotescat et ideo multæ sunt veritates explicite revelatæ quæ tales non apparent nisi multis adhibitis argumentis ; iis porro argumentis dico quibus solum ostenditur qualis sit in determinato contextu secundum hermeneuticæ regulas suppositio, potestas et connexio terminorum[1]. » Similiter merito Salmanticenses cognitionem facilem quam nunc de aliquibus textibus S. Scripturæ habemus, explicationi iam in Ecclesia factæ attribuunt[2].

Ratio huius difficultatis habetur tum in generali quadam ambiguitate et obscuritate terminorum locutionis humanæ ex qua etiam in aliorum librorum expositione tanta difficultas et varietas exurgit, tum specialiter in locutione metaphorica S. Scripturæ et maxime in obiectiva difficultate et sublimitate doctrinæ revelatæ.

Ita *S. Basilius* scribit : « Est autem silentii species obscuritas qua utitur Scriptura, intellectu difficile reddens dogmatum sententiam, idque ad legentium utilitatem[3]. » Similiter S. Augustinus in « De doctrina christiana », « cuius sententiam S. Thomas sic refert : « Utiliter est a Deo dispositum ut veritas in S. Scriptura cum aliqua difficultate manifestetur. Est enim hoc utile ad tollendum fastidium : quia ad ea quæ sunt difficilia, maior surgit attentio, quæ tædium tollit ; similiter ex hoc tollitur superbiendi occasio dum homo difficulter sacræ Scripturæ veritatem capere potest ; similiter per hoc veritas fidei ab irrisione infide-

1. *De virtutibus infusis*, I², p. 258.
2. Cf. supra, a. 4, n. 56.
3. *De Spiritu Sancto*, c. 27, M. G., 32, 190.

lium defenditur[1]... » Similiter alio loco : « Hæc autem pauca quæ nobis revelantur, sub similitudinibus et obscuritatibus verborum nobis proponuntur ut ad ea capienda soli studiosi perveniant, alii vero quasi occulta venerentur et increduli lacerare non possint[2]. » Addit Dom. *Bannez* : « Divinarum scripturarum *maiestas* suo iure postulabat ut quamplurimi abditissimi sensus in ipsis reconderentur brevissimisque verbis amplissima comprehenderentur mysteria[3]. »

Optime *Leo XIII*, in Encyclica « Providentissimus Deus » : « Eorum enim (sc. librorum sacrorum) verbis, auctore Spiritu Sancto, res multæ subiiciuntur quæ humanæ vim aciemque rationis longissime vincunt, divina sc. mysteria et quæ cum illis continentur alia multa ; idque nonnunquam ampliore quadam et reconditiore sententia quam exprimere litera et hermeneuticæ leges indicare videantur... Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viæ duce, nemo ingredi possit : Deo quidem sic providente (quæ vulgo est opinio SS. Patrum) ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent ; intelligerentque præcipue Scripturas Deum tradidisse Ecclesiæ qua sc. duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur[4] ».

Formaliter explicite revelata igitur a nobis cognosci possunt, vel *immediate*, auditis sc. vel propositis terminis revelationis ut nunc sensum plurimorum textuum S. Scripturæ cognoscimus, vel *mediate*, inquirendo sc. et determinando sensum alicuius textus per argumenta varia, etiam scientifica, ut fit in exegesi vel in theologia dogmatica. Ita secundum Concilium Tridentinum[5] Dominus per verba : « Hoc est corpus meum » « disertis ac perspicuis verbis

1. *Quodlib.* VII, a. 14. Opuscula, ed. M. De Maria, II, 429.
2. *Contra gent.*, l. 4, c. 1 ; cf. *In Bœth. de Tim.*, q. 2, a. 4 ; *Summa theol.*, II. II, q. 1, a. 9, ad 1 ; III, q. 42, a. 3 ; in *Matth.* ad 13, 34 (ed. Taurin, 1893, p. 195).
3. In II. II, q. 1, a. 10.
4. Ed. HERDER, IV, 121 s. ; cf. supra, cap. 3.
5. Sess. 13, c. 1, D. 874.

testatus est », i. e. formaliter explicite, « se suum ipsius corpus illis (discipulis) præbere » : quibus tamen et quantis argumentis laboriosis ab exegetis et dogmaticis catholicis contra Protestantes ille sensus demonstratur[1] !

II. *Implicite revelata cognosci possunt per determinationem sensus æquivalentis vel æquipollentis*, quæ determinatio adhuc maiorem laborem requirit quam determinatio sensus expliciti, atque semper notionem, saltem aliqualem, sensus expliciti præsupponit.

Sicut tamen diversimode aliquid implicite revelatum esse potest, ita implicite revelatum *diversimode* quoque cognosci potest. Tamen omnes modi generaliter ad duos reduci possunt, sc. ad *analyticum* et *syntheticum*. Via analytica propositio particularis in propositione universali, pars in toto, negatio tanquam oppositum affirmationis et viceversa, correlativum in relatione cognoscitur. Via synthetica diversæ doctrinæ revelatæ in unum colliguntur, ut e. g. doctrina revelata de divinitate Patris, Filii et Spiritus Sancti in dogmate de SS. Trinitate. E contra habes exemplum viæ analyticæ in Concilio Arausicano quod verbum Apostoli : « Gratia salvi facti estis per fidem et hoc non ex vobis : Dei enim donum est » (*Eph.*, 2, 8), in duas partes distinguit, sc. quod sicut augmentum ita etiam initium fidei non naturaliter sed per gratiæ donum nobis insit » (Can. 5, D. 178). Similiter Concilium Vaticanum infallibilitatem Ecclesiæ docentis (*Mt.* 28, 20 ; *Ioh.*, 14, 26 ; 16, 12. 13), ita distinguit quod doctrina revelata Ecclesiæ sit « tanquam divinum depositum tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda[2] ».

Cum vero sensus implicitus sit doctrina æquivalens vel æquipollens sensui explicito, cognitio sensus impliciti non solum cognitionem sensus expliciti eiusque determinationem aliqualem sed etiam cognitionem doctrinæ æquivalentis supponit et *comparationem utriusque ut æquivalentia utriusque affirmari possit.* Ita e. g. consubstantialitas

1. Immerito igitur formaliter et explicite revelatum cum eo identificatur quod immediate tanquam revelatum cognoscimus.
2. Sess. 3, c. 4, D. 1800 ; cf. sess. 4, c. 4, D. 1836.

Verbi implicite in « Verbo » vel « Filio divino » continetur, sc. ut affirmatio æquivalens. Ad cognoscendum tamen quod Verbum sit consubstantiale Patri, requiritur primo cognitio Verbi, vel Filii, secundo notitia termini consubstantialitatis, tertio cognitio æquivalentiæ horum duorum, sc. Verbi vel Filli Dei et consubstantialitatis.

Implicite igitur revelata per conceptus æquivalentes conceptui explicite revelato cognoscuntur. Id quod cognitione vel immediata vel mediata fieri potest : *immediate*, si, proposito conceptu formaliter revelato (e. g. Christus est *Filius* Dei) et conceptu æquivalenti (Christus est *consubstantialis Patri*), æquivalentia immediate cognoscitur ; *mediate*, si æquivalentia tantummodo per deductionem, per syllogismum cognoscitur, ut in exemplo adducto æquivalentia filiationis divinæ et consubstantialitatis cum Patre a Patribus et theologis per deductionem laboriosam demonstratur. Iam a priori et magis ex historia constat, implicite revelata communiter nonnisi mediate, per laboriosam et communiter scientificam inquisitionem et deductionem a nobis cognosci, licet, facta inquisitione et demonstratione, æquivalentia quandoque et aliquibus immediate pateat, ut e. g. æquivalentia inter « Filium Dei » et « consubstantialem Patri ».

III. *Virtualiter revelata cognoscuntur, inquantum cognoscitur id quod in formaliter revelato (sive explicito sive implicito) tanquam in principio vel in causa manifestatur vel continetur.* Ad huiusmodi cognitionem requiritur : *a*) cognitio sensus formaliter revelati, *b*) cognitio connexionis alicuius doctrinæ cum doctrina formaliter revelata in qua sc. tanquam in principio continetur. Quæ quidem connexio absolute loquendo quandoque immediate cognosci potest (saltem post cognitionem per deductionem acquisitam), regulariter tamen non nisi *per deductionem sive discursum* cognoscitur. Virtualiter igitur revelata a nobis mediate cognoscuntur ex revelatione : sive obiective tantum inquantum in revelatione tantum principium manifestatur *in* quo cognosci possunt ; sive etiam subiective in quantum proprie per discursum *ex* principio revelato cognoscuntur.

IV. Diversimode igitur revelata a nobis cognosci possunt cognitione sive immediata sive mediata, non exceptis explicite revelatis, ideoque per discursum. Id quod theologos non parum torquebat et adhuc torquet : videtur enim exinde negari distinctio revelatorum exposita ac simul definibilitas implicite revelatorum periclitari. Attamen tota hæc difficultas ex confusione distinctionis *obiectivæ* revelationis cum differentia *subjectiva* cognitionis nostræ oritur. Distinctio obiectiva habetur secundum modum quo aliqua doctrina *in ipsa revelatione manifestatur* ; differentia cognitionis mediatæ et immediatæ habetur *ex parte cognitionis nostræ*. Iamvero tum distinctio revelationis tum definibilitas alicuius doctrinæ proprie et exclusive a facto et modo revelationis dependet.

V. Theologi posttridentini distinguunt inter *discursum* vel syllogismum *improprium* (explicativum) et *proprium* (illativum) : quæ distinctio, si recte intelligatur, rem optime explicat. Syllogismus enim sub duplici respectu considerari potest. Primo modo pure formaliter, sc. ut est forma logica ad aliquam conclusionem deducendam ; secundo modo materialiter, sc. quantum ad cognitionem acquirendam vel deducendam. Si syllogismus tantum formaliter consideretur, eodem modo, secundum easdem leges logicas, in cognoscendis explicite, implicite et virtualiter revelatis syllogismo utimur ; si vero syllogismus consideretur materialiter, quantum ad cognitionem deductam, aliter syllogismo utimur in cognoscendo formaliter et virtualiter revelato. In cognoscendo sc. formaliter revelato syllogismo utimur ad determinandum sensum revelationis per conceptus æquivalentes ; in cognoscendo vero virtualiter revelato ad cognoscendas consequentias revelationis formalis. Inde etiam syllogismus in determinando formaliter revelato syllogismus explicativus vocatur, syllogismus vero in deducenda doctrina virtualiter revelata syllogismus illativus. Sensus igitur distinctionis non est quod in syllogismo improprio vel explicativo minus vere syllogismo utamur, sed quod in syllogismo improprio tantummodo doctrina iam in se revelata exponitur, aliis conceptibus

exprimitur et cognoscitur, in syllogismo vero proprio sequela doctrinæ revelatæ deducitur[1].

VI. *P. Marin-Sola* doctrinam de discursu proprio vel improprio impugnat[2].

Primo ipse merito negat, ad constituendum discursum proprium requiri transitum de una re ad rem aliam realiter distinctam. Secundo energice defendit, dogmata plurima per discursum proprie dictum, vere metaphysicum, a theologis esse deducta : id quod libentissime concedimus, immo affirmamus. Tertio discursum proprium et improprium sic distinguit : syllogismus *improprius* habetur si transitus fit ad nomine tantum distincta vel si agitur de sola explicatione (nominali) vel de sola expositione significationis terminorum, ita quod nullus conceptus novus interveniat ; syllogismus *proprius* habetur si saltem fit transitus ab idea ad ideam distinctam.

Distinctio proposita ut talis sine dubio est legitima. Tamen distinctionem historicam inter syllogismum proprium et improprium non attingit. Syllogismus enim improprius non ideo dicitur explicativus ac si tantum *significationem* terminorum revelationis aliis verbis *exponat*, sed simul inquantum doctrinam explicite revelatam conceptibus distinctis explicat. Distinctio igitur P. Marin-Sola non coincidit cum distinctione historica, sed est subdistinctio syllogismi improprii vel explicativi, secundum quod sc. doctrina explicite revelata determinatur : vel conceptibus ipsius revelationis vel aliis conceptibus æquivalentibus.

Alio in loco Marin-Sola distinguit inter syllogismum proprium in quo *medium* deductionis est nova et distincta realitas, et syllogismum (proprium) cuius medium est tantum conceptus distinctus[3]. Attamen etiam in syllogismo improprio vel explicativo conceptus de alia re tanquam medium intervenire potest, ut patet in demons-

1. Salmanticenses, *De fide*, disp. 1, dub. 4, n. 122 (cf. supra, a. 4, n. 56) ; Suarez, *De fide*, disp. 3, s. 11, n. 6 ; Pesch, *Prælect.*, VIII, n. 263.

2. *Ciencia tomista*, 1911, n. 10, p. 49-53 et passim., præsertim n. 54. 55. 62.

3. *Ciencia tomista*, 1915, n. 31, p. 23 ss.

trationibus exegeticis. Neque necesse est conclusionem esse de re realiter distincta si medium deductionis est res distincta.

Distinctio denique inter discursum per viam inclusionis (si fit transitus ad rem virtualiter tantum distinctam) et per viam connexionis (si fit transitus ad realitatem realiter distinctam) coincidit cum distinctione inter discursum improprium et proprium, si tamen inclusum et connexum referantur non ad rem, sed ad doctrinam revelatam ut sc. una vice explicetur et determinetur doctrina formaliter revelata (inclusum in *doctrina* revelata), altera vice deducatur doctrina quæ in revelatione tantum ut in principio continetur (connexum cum *doctrina* revelata)[1].

Ita distinctio syllogismi improprii et proprii omnino consona est distinctioni revelationis formalis et virtualis : utraque sc. est obiectiva, ex parte doctrinæ revelatæ et cognitæ. Hic tamen notandum magni momenti occurrit.

VII. Quæ diximus, uti patet, formaliter sunt intelligenda, i. e. valent de cognitione explicite, implicite vel virtualiter revelatorum inquantum cognoscuntur *ut* explicite, implicite vel virtualiter revelata, non vero si sub alia ratione cognoscuntur. Iamvero hic tria notanda sunt.

Primo : una eademque doctrina revelata esse potest tum explicite tum implicite tum virtualiter, sc. in diversis locis S. Scripturæ, vel in S. Scriptura et in traditione. Ita propositio : « In Christo erat passio tristitiæ », *Mt.* 26, 38 : « Tristis est anima mea » revelata est explicite, *Ioh.*, 1, 14 : « Verbum caro factum est » implicite vel virtualiter. Ideo una eademque doctrina ex uno textu per modum explicite revelati, ex alio textu per modum implicite vel virtualiter revelati cognosci potest : vel doctrina quæ in uno textu ut formaliter revelata cognoscitur, ex alio textu ut virtialiter vel implicite revelata deducitur.

Secundo : Una eademque doctrina implicite revelata ex eadem revelatione explicite revelata a nobis cognosci potest vel per modum implicite vel per modum virtualiter revelati. Habes e. g. propositionem formaliter revelatam : Deus homo

1. Cf. supra, a. 6, n. 5.

factus est. In hac propositione implicite continetur quod Christus habuit corpus et animam rationalem : nam terminus « homo » secundum significationem communem utrumque significat, saltem æquivalenter. Possum ergo per solam analysim vel saltem per syllogismum explicativum, ex ipsa revelatione formali, per modum cognitionis sensus impliciti, cognoscere quod Christus habuit corpus et animam rationalem, et inde refutare Apollinarismum. Possum tamen eandem cognitionem etiam per modum virtualiter revelati deducere, sc. ita : Revelatum est Deum factum esse hominem ; atqui ex cognitione mea philosophica hominis scio, hominem constare ex corpore et anima rationali : ergo Christus habuit animam rationalem. Ita refuto Apollinarismum per modum virtualiter revelati. Porro nihil obstat quin aliquam determinatam doctrinam ex quocumque textu revelato, qui habet connexionem, mediantibus pluribus conclusionibus theologicis cognoscam, ut multoties in theologia accidit.

Tertio : In historia dogmatum quamplurimæ doctrinæ formaliter, implicite, immo etiam explicite revelatæ, a theologis non directe per modum explicite vel implicite revelati neque per solam explicationem textus in quo explicite vel implicite continentur, sed per modum virtualiter revelati deductæ fuerunt. Præsertim hæretici quasi communiter, relictis textibus in quibus doctrina ab ipsis impugnata explicite vel implicite continebatur, ex aliis textibus, sive ad rem pertinentibus sive impertinentibus, suas hæreses deduxerunt ; inde etiam theologos catholicos cogerunt ad deducendam doctrinam ex illis vel aliis textibus. Similiter tamen SS. Patres doctrinas vel explicite revelatas regulariter *simul* ex aliis veritatibus revelatis, sive in S. Scriptura sive in traditione contentis, proprie deducunt. Ita S. Athanasius contra Arianos consubstantialitatem et divinitatem Verbi ostendit, tum ex textibus S. Scripturæ explicitis, tum per modum deductionis ex eo quod Verbum sit genitum[1], tum ex doctrina traditionis quod per Christum sumus deificati[2]. S. Cyrillus Alexandrinus deducit unionem hypos-

1. Oratio I contra Arianos, c. 1-37.
2. *De Synodis*, c. 51 ; Oratio I, c. Arianos, c. 39 ; in c. 38 idem probat ex adoratione Christi.

taticam ex dogmate redemptionis per Christum[1]. Concilium Alexandrinum (a. 362) doctrinam Apollinaris duplici ex ratione damnat, primo quia homo non potest esse absque spiritu humano, secundo quia Verbum in Christo non solum salutem corporis sed etiam animæ operatum est, ideoque etiam animam assumpsit[2]. Eodem modo etiam Papa Damasus in capitulo « Miramur » arguit : « Imperfectam humanitatem in hominis filio mentiuntur. Quod si utique imperfectus homo susceptus est, imperfectum Dei munus est, imperfecta nostra salus, quia non est totus homo salvatus. Nos autem qui integros atque perfectos salvatos nos scimus, secundum catholicæ fidei professionem, perfectum Deum perfectum suscepisse hominem profitemur[3]. » Ita et S. Thomas quasi regulariter doctrinas formaliter revelatas per modum virtualiter revelati ex uno vel alio formaliter revelato deducit.

VIII. Maxime igitur attendendum est ad differentiam inter modum quo aliqua doctrina *obiective* est revelata (explicite, implicite, virtualiter), et inter modum quo aliqua doctrina *ex parte nostra* subiective cognoscitur : quantum enim ad quæstionem de definibilitate alicuius doctrinæ tantum modus revelationis importat : id quod in sequentibus articulis, de definitione dogmatica et de definibilitate conclusionum magis apparebit.

ARTICULUS OCTAVUS

DE DEFINITIONE DOGMATICA[4]

Uti ex definitione dogmatis patet, dogma tantum per propositionem definitivam ex parte Ecclesiæ constituitur ; unde explicatio revelatorum in ordine ad dogma

1. In Ioh., 1, 9 ; circa alias conclusiones « dogmaticas » S. Cyrilli vide Tixeront, *Hist. des Dogmes*, III², 70.
2. Tomus ad Antiochenos, 7.
3. Migne, P. L., 13, 352.
4. Cf. quæ supra a. 2, n. 3 et a. 4, n. 65 diximus.

constituendum tantum per iudicium definitivum Ecclesiæ completur. Attamen totus processus explicationis fidei iam ante definitionem ultimam est opus Ecclesiæ. Explicatio enim fit per theologos tanquam per organa ac ministros Ecclesiæ, qui ut tales a Spiritu Sancto illuminantur, id quod præcipue in SS. Patribus et Doctoribus Ecclesiæ apparet; porro Ecclesia totum processum explicationis invigilat, dirigit, promovet, sive directe sive indirecte; præsertim Ecclesia diversis iudiciis intermediis, præcipue damnando errores contra fidei doctrinam, explicationem definitivam præparat et per hoc in explicationem influit; denique Ecclesia fidem in revelationem conservat atque ita efficacissime toti explicationi revelatorum dominatur. Ita totus processus explicationis revelatorum, etiam ante definitionem dogmaticam, quantum tendit ad constitutionem dogmatis, est opus Ecclesiæ, præsertim docentis. Attamen complementum formale et definitivum habetur in iudicio infallibili Ecclesiæ, proponentis explicationem revelationis tanquam dogma credendum. Quæritur igitur quomodo definitio dogmatica ad explicationem iam datam se habeat. Id quod sequentibus propositionibus determinatur.

I. Ecclesia (sive Romanus Pontifex sive Concilium generale) in definitione dogmatica *iudicium novum et distinctum* fert circa revelata explicanda inquantum sc. aliquam doctrinam tanquam legitimam explicationem revelationis declarat eamque omnibus fidelibus ut credendam proponit. Id quod vel historice ex historia Ecclesiæ et dogmatum constat.

II. Ecclesia huiusmodi iudicium non fert, *neque ex inspiratione* (sicut auctores inspirati S. Scripturæ) *neque per novam revelationem*[1] sed *secundum cognitionem propriam, humanam*, sive studio proprio *acquisitam* (id quod communiter supponendum est) sive supernaturaliter *infusam*.

1. Concil. Vatic., sess. 4, c. 4, D. 1836; cf. supra, a. 2, n. 3.

III. Unde Ecclesia in sententia ferenda iudicat *per media et secundum conditionem cognitionis humanæ*. Inde enim explicatur quod Ecclesia nonnisi successive quasdam explicationes proponat, quod dogmata communiter tanquam fructus maturæ explicationis SS. Patrum et theologorum appareant, quod dogmata definita conditionem et spiritum theologiæ sui temporis redoleant.

IV. Ecclesia in sententia definitiva ferenda *utitur labore, scientia, demonstratione et explicatione ex parte SS. Patrum et theologorum*, sc. tanquam mediis cognitionis, ut iterum ex historia constat. In huiusmodi tamen usu doctrinæ theologicæ Ecclesia omnino *independenter, secundum iudicium proprium et ex auctoritate propria* iudicat. Unde decretum « Lamentabili » merito damnat propositionem (6) Modernistarum : « In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia ut docenti Ecclesia *nihil supersit nisi* communes discentis opinationes *sancire*[1] ». Ita Ecclesia quandoque quidem *approbat* explicationem datam per theologos, attamen inquantum illam tanquam legitimam explicationem cognoscit atque declarat ; non raro tamen Ecclesia in definitione *novam explicationem* proponit vel doctrinam theologorum saltem formulis melioribus et exactioribus definit atque exprimit[2] ; denique definitio communiter fit ad decidendum utrum aliqua doctrina a theologis proposita sit vera, vel quorum theologorum doctrina sit vera vel quomodo doctrina Patrum sit interpretanda.

V. Ecclesia, licet in cognoscendis revelatis per media et secundum conditionem cognitionis humanæ procedat, *in sententia definitiva ferenda* per assistentiam Spiritus Sancti est *infallibilis*, non ut explicationem tantum relative veriorem sed ut explicationem simpliciter veram proponat. Vi assistentiæ divinæ Ecclesia in sententia ferenda (simul tamen iam in præparatione definitionis) : negative ab errore præservatur, positive illuminatur ut revelata

1. D. 2006.
2. Cf. infra, a. 11 : de formulis dogmaticis.

recte cognoscat atque explicet, ut recte iudicet de charactere revelato alicuius doctrinæ vel utrum aliqua explicatio sit legitima. Licet Ecclesia sententiam definiendam mediis et modo humana cognoscat, *ratio infallibilitatis* stat exclusive *in promissa assistentia Spiritus Sancti*, non vero in rationibus iudicii efformati[1].

VI. Denique *iudicium infallibile* vel infallibilitas Ecclesiæ in definitione dogmatica *non* fertur in veritatem *deductionis* theologicæ vel cognitionis propriæ, sed *immediate in veritatem* ipsius doctrinæ propositæ, vel exactius in hoc quod *doctrina proposita sit revelata* : ad hoc enim Ecclesiæ infallibilitas vel assistentia Spiritus Sancti promissa est ut depositum fidei fideliter custodiret et infallibiliter declararet vel exponeret.

Inde Ecclesiæ magisterium conclusiones theologorum quidem approbat atque ad credendum proponit, non tamen prout sunt conclusiones vel in quantum a theologis, immo vel a Patribus Concilii vel a Romano Pontifice, per modum deductionis cognoscuntur, sed prout obiective, ex parte rei et doctrinæ, sunt expositiones doctrinæ revelatæ proindeque ipsæ revelatæ. Hoc sensu *Iohannes a S. Thoma* docet : « Ecclesia in definiendo... *transit* a discursu et disputatione qua inquirit an hoc sit contentum in revelatione Dei, *ad testificationem immediatam fidei*, quia sic visum est Spiritui Sancto, non quia discussum est[2]. »

Ita doctrina de Immaculata Conceptione B. M. V. quæ certe a theologis per modum deductionis cognita fuit, tanquam doctrina « a Deo revelata atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credenda » definitur[3] ; similiter doctrina de infallibilitate Romani Pontificis tanquam « divinitus revelatum dogma[4] ». Quandoque vel in ipsa definitione dogmatica una pars definitionis tanquam sequela alterius partis definitur. Ita Concilium Vaticanum primo definit : Romanum Pontificem cum ex cathedra

1. Unde argumenta quæ a Conciliis pro definitione adducuntur, non sunt de fide, nisi et hoc definiatur.
2. In I. P., q. 1, d. 2, a. 4, n. 6 ; cf. supra, a. 4, n. 55.
3. D. 1641.
4. D. 1839.

loquitur, esse infallibilem ; deinde addit : « *ideoque* eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse[1]. » Idem habes in Iuramento contra errores Modernistarum in quo ad credendum proponitur : « Deum... per ea quæ facta sunt... certo cognosci *adeoque* demonstrari etiam posse ». Utraque pars definitionis, ut saltem in definitione Vaticana patet[2], tanquam doctrina revelata definitur, prima pars simpliciter, altera pars, quantum quidem ad modum cognitionis nostræ, ut sequela proponitur, quantum vero ad doctrinam assertam similiter tanquam doctrina revelata.

Ecclesia igitur in definitionibus dogmaticis, quantum ad modum cognoscendi modo proprie humano, mediantibus inquisitionibus et deductionibus procedit, quantum ad doctrinam definiendam tamen tantum doctrinam revelatam definit, licet declaratam atque expositam, atque per assistentiam Spiritus Sancti infallibiliter iudicat. Ita veritas revelata definitionum atque infallibilitas Ecclesiæ cum factis historicis historiæ dogmatum facile componitur ; similiter solvitur quæstio de obiecto definitionum dogmaticarum, in specie de definibilitate conclusionum theologicarum.

ARTICULUS NONUS

DE DEFINIBILITATE CONCLUSIONUM THEOLOGICARUM

I. **Status quæstionis**. — Conclusio theologica dicitur propositio vel doctrina per discursum ex revelatione deducta. Vocatur « conclusio » inquantum per discursum cognoscitur ; vocatur « theologica » inquantum ex revelatione deducitur. Conclusio igitur theologica supponit

1. L. c.
2. Quantum ad propositionem Iuramenti contra errores Modernistarum quidam tenent, alteram partem (« adeoque demonstrari posse ») « indirecte, tamquam necessariam sequelam », definiri. Cf. E. Hugon, O. P., *De Deo uno et trino*, p. 36.

veritatem revelatam, ex qua tamen tantum mediante proprio discursu cognoscitur. Inde, ut vidimus, multi theologi conclusiones theologicas simpliciter ut virtualiter revelatas considerant : ex quo proprie difficultas huius quæstionis oritur, ut supra a. 4, n. 48-62 vidimus. Quæritur igitur, utrum huiusmodi conclusiones *definiri* possint *tanquam dogmata fide divina tenenda.*

In qua quæstione solvenda tamen primo supponendum est Ecclesiam certe esse *infallibilem* etiam circa virtualiter revelata vel circa conclusiones theologicas, quia secus non posset satisfacere muneri depositum fidei fideliter custodiendi et infallibiliter declarandi. Huiusmodi infallibilitas, uti iam vidimus, non est quidem dogma definitum, attamen doctrina catholica atque certa[1]. Neque iudicium infallibile Ecclesiæ circa ea quæ sunt connexa cum revelatis, confundendum est cum definitione dogmatica veritatis revelatæ, qua sc. aliqua doctrina tanquam divinitus revelata ad credendum proponitur.

Similiter secundo constat omnia *formaliter revelata* esse certe *definibilia* ut dogmata, non tantum explicite sed et *implicite* revelata. Id enim patet ex notione dogmatis quod sc. sit veritas revelata et ab Ecclesia ad credendum proposita ; edocetur per praxim continuam Ecclesiæ quæ non tantum explicite sed et implicite revelata definit ; confirmatur per doctrinam communem theologorum (a. 4) ; ac denique sequitur ex ipsa notione implicite revelati. Implicite enim revelatum est *in se* revelatum, licet per conceptum æquivalentem tantum. Iamvero revelatio, definitio et fides non terminantur ad conceptus (formales) vel ad terminos sed ad *cognitionem vel doctrinam* de rebus : non enim formamus conceptus nisi ut per eos de rebus cognitionem habeamus[1].

Difficultas igitur duplex est. Prima proprie est circa veritates vel *doctrinas virtualiter tantum revelatas* : in qua tamen quæstione solutio difficilis redditur propter confusionem et variam acceptionem revelationis virtualis vel

1. Cf. libros dogmaticos et apologeticos, e. g. Groot, *Summa Apologetica*, p. 309-315 ; Pesch. *Prælect. dogm.*, I, prop. 48; A. Straub, *De Ecclesia Christi*, thes. 25.

mediatæ, ut supra exposuimus. Altera difficultas est circa *conclusiones theologicas ut tales*, inquantum sc. *doctrina* ex revelatione per syllogismum *deducta* videtur non posse constituere obiectum assensus fidei, quippe quæ alicui doctrinæ assentit proprie et exclusive propter auctoritatem Dei revelantis. Solutio huius quæstionis implicatur per confusionem revelationis virtualis cum conclusione theologica, uti apud plures theologos vidimus (a. 4, n. 48-62).

II. Solutio quæstionis tamen proprie ex illis sequitur quæ una ex parte de distinctione obiectiva inter formaliter et virtualiter revelata (a. 6), altera ex parte de modo cognitionis nostræ circa diversimode revelata (a. 7) diximus. Inde enim et verus conceptus revelationis virtualis determinatur et confusio revelationis virtualis cum conclusionibus theologicis tollitur. Etenim distinguendum est inter conclusiones theologicas *quoad se*, i. e. doctrinas virtualiter tantum revelatas, et conclusiones theologicas *quoad nos* tantum, i. e. doctrinas quæ obiective vel ex parte revelationis sunt formaliter (explicite vel implicite) revelatæ, ex parte tamen nostra vel quoad nostrum modum cognoscendi ex revelatione per discursum cognoscuntur. Itaque conclusio theologica *quoad se* dicitur doctrina quæ obiective, ex parte ipsius revelationis est virtualiter tantum revelata, i. e. revelatum est tantum principium ex quo illa doctrina per discursum cognosci possit ; conclusio theologica quoad *nos* vocatur doctrina quæ et inquantum a nobis ex aliquo revelato per discursum cognoscitur. Conclusio igitur *quoad nos tantum* est doctrina quæ obiective, ex parte revelationis, est formaliter revelata, sive expresse sive æquivalenter, quæ tamen ex parte nostra per deductionem ex revelatione est cognita.

Distinctio inter conclusiones quoad se et quoad nos (tantum) coincidit cum distinctione inter conclusiones proprias et improprias. Conclusio enim *propria* dicitur illa doctrina quæ in revelatione obiective tantum ut in principio vel in causa continetur, adeoque proprie est sequela vel consequentia doctrinæ revelatæ : inde enim proprie vel simpliciter « conclusio » vocatur. Conclusio

impropria dicitur illa doctrina quæ obiective est tantum expositio, præcisa expressio vel determinatio ipsius doctrinæ revelatæ, quæ tamen subiective, ex parte nostra, per deductionem ex revelatis cognoscitur : vocatur conclusio « impropria », non quia deest vera argumentatio, sed quia ex parte obiecti vel ex parte doctrinæ cognitæ, non habetur sequela vel consequentia revelationis, sed ipsa doctrina revelata, magis exposita vel determinata.

Itaque promiscue vel indiscriminatim utimur nomine conclusionis propriæ et conclusionis quoad se, et similiter nomine conclusionis impropriæ vel quoad nos tantum.

Ad evitandam tamen omnem ambiguitatem et confusionem terminorum, notanda est diversa terminologia multorum Thomistarum.

Uti enim iam supra notavimus, conclusiones dupliciter « theologicæ » dicuntur : *a*) in quantum sunt *obiectum theologiæ*, cuius sc. est *ipsa revelata per modum conclusionis* cognoscere ; *b*) inquantum sunt proprie conclusiones *ex revelatis* deductæ.

Primo modo considerandi Capreolus et post ipsum communiter Thomistæ veteres nomine conclusionis « theologicæ » utuntur, et propter huiusmodi considerationem conclusiones « *proprie* theologicas » vocant illas quæ sunt circa doctrinas formaliter revelatas, quas sc. explicant vel determinant vel probant ; secundo modo considerandi nomine « conclusionis » theologicæ utuntur recentiores, et propterea « conclusiones theologicas proprias » vocant illas quæ sunt circa consequentias revelatorum : quem modum considerandi et nos sequimur.

Inde ad quæstionem positam per duplicem propositionem respondemus.

III. **Propositio I. Conclusiones theologicæ quoad se, i. e. doctrinæ virtualiter tantum revelatæ, tanquam dogma definiri nequeunt**[2]. — Probationem post supra dicta bre-

1. S. Thomas, II. II, q. 1, a. 2, ad 2. *De Veritate*, q. 14, a. 8, ad 5.

2. Conclusio est controversa. Cf. a. 4, n. 48-51.

viter sic resumere possumus. *Primo :* dogma dicit doctrinam revelatam et tanquam talem ab Ecclesia ad credendum propositam ; iamvero tantum formaliter revelata (sive explicite sive implicite) *proprie* sunt revelata, virtualiter vero revelata tantum per analogiam revelata dicuntur, inquantum sc. revelatum est principium ex quo deducuntur[1].

Secundo : ea quæ fide divina credenda sunt, propter auctoritatem Dei revelantis credenda sunt, non vero simul propter aliam rationem formalem ; virtualiter vero revelata non possunt teneri propter solam auctoritatem Dei revelantis, sed tenentur simul intuitu cognitionis propriæ qua ea quæ in revelatione tanquam in principio manifestantur, per discursum deducuntur. *Terlio :* Romano Pontifici non attribuitur munus ut virtualiter revelata vel doctrinas ex revelatione deductas tanquam dogmata definiat, sed ut doctrinam revelatam « fideliter custodiat et infallibiliter declaret », ut « depositum fidei sancte custodiat et fideliter exponat », i. e. ut formaliter revelata infallibiliter definiat. Neque *quarto* probari potest aliquam doctrinam virtualiter tantum revelatam, de facto ab Ecclesia definitam fuisse tanquam dogma[2].

Quidam quidem definitionem Immaculatæ Conceptionis B. M. V. adducunt. Attamen ista doctrina secundum iudicium theologorum continetur implicite in plenitudine gratiæ B. M. V. et certe definita est tanquam « a Deo revelata »[3]. Alii anathematismata Cyrilli Alexandrini adducunt : quæ tamen facile ut explicationes obiectivæ facti Incarnationis ostenduntur. *P. Marin-Sola* decem et octo adducit exempla definitionis conclusionum theologicarum, affirmando sc. illa dogmata tantum in aliis veritatibus esse revelata atque per syllogismum proprium et quidem metaphysicum esse deducta[4]. Attamen omnia dogmata adducta, ex parte obiecti et doctrinæ, non sunt nisi for-

1. Cf. supra, a. 1, n. 3, lit. b.
2. Hypothesis Suarezii et Lugonis, ac si sc. definitio Ecclesiæ revelationis defectum suppleret, iam supra sufficienter diiudicata est : a. 4, n. 52 s.
3. D. 1641.
4. *Ciencia tomista,* n. 54, 55, 62.

mulationes, explicationes vel interpretationes æquivalentes alicuius veritatis formaliter revelatæ : id quod in particulari ostendere hic non possumus quia longum est. Libentissime vero concedimus, illa dogmata a theologis per discursum cognita fuisse, immo quandoque ut virtualiter revelata ex revelatione deducta fuisse, ut e. g. immunitatem B. M. V. a peccatis ex maternitate divina ; tamen hic modus cognoscendi ex parte theologorum non impedit quin doctrina deducta sit ex parte obiecti et revelationis formaliter revelata. Unde illa dogmata sunt quidem in aliis veritatibus revelata, tamen non virtualiter tantum sed implicite ; similiter non cognoscuntur per syllogismum proprium, sed improprium, sc. quantum ad doctrinam cognitam, prout in a. 8 explicavimus.

Quodsi denique quidam theologi doctrinam postmodum definitam tanquam conclusionem deductam declarant, ut Bannez doctrinam de infallibilitate Romani Pontificis : vel modum revelationis illius doctrinæ nondum sufficienter cognitum habebant vel simpliciter modum cognitionis theologicæ indicant. Optime *Tanquerey* notat : « Aliquando contingit ut veritas quæ primum tanquam virtualiter revelata habita fuerat, postea, re melius perpensa, ceu formaliter implicite revelata videatur[1]. »

Quinto : cum conclusio nostra sit controversa, videamus argumenta contraria, ex quorum sc. solutione conclusio ipsa ac argumenta mox proposita adhuc magis patebunt. Dividimus argumenta in duas series quarum prima refert argumenta rationis theologicæ, altera potius ex auctoritate.

Prima series. Obiectio I^a.

Omnes doctrinæ revelatæ sunt definibiles ut dogmata. Atqui conclusiones omnes sunt revelatæ.

Ergo conclusiones theologicæ, sive impropriæ sive propriæ, sunt definibiles.

Resp. Ad maiorem : definibiles sunt doctrinæ revelatæ, dist. : in se vel formaliter revelatæ, conc., in alio vel virtualiter revelatæ, nego. Et contradistinguo minorem : conclusiones propriæ sunt revelatæ in se vel formaliter,

1. Synopsis theol. dogm. spec. I^14, n. 193.

nego ; in principio tantum vel virtualiter, concedo. Inde negatur consequens et consequentia.

Distinctio patet ex a. 6. Neque valet illatio : Doctrinæ formaliter revelatæ sunt definibiles ; ergo etiam doctrinæ virtualiter revelatæ.

Obiectio altera : Revelato principio, simul revelatæ sunt consequentiæ principii, saltem metaphysice necessariæ.

Resp. Consequentiæ revelatæ sunt sensu analogo, conc. ; sensu univoco, vel eadem ratione ac principium, nego.

Explic. — Obiectio secunda intendit convellere distinctionem inter formaliter et virtualiter revelata. Attamen tota vis argumenti stat in identitate termini : revelatum. Certe enim consequentiæ revelatorum aliquo modo revelatæ dici possunt ac debent. Tamen non eodem modo, sed diverso : alia enim ratione principium explicite revelatum dicitur « revelatum », alia ratione conclusio inde deducta. Principium quod in se revelatum supponitur, dicitur proprie « revelatum », conclusio vero deducta tantum analogice « revelata » dicitur : quæ analogia per hoc significatur quod consequentia dicitur « virtualiter revelata ». Unde, ad evitandam omnem æquivocationis speciem, multi recentiores, distinguunt simpliciter inter « revelata » et « connexa cum revelatis » : per quam terminologiam obiectio præsens a limine excluditur.

*Obiectio III*ª. Inquantum aliquid est revelatum, intantum est definibile ; adeoque etiam virtualiter revelatum.

Resp. : Aliqua doctrina est definibilis, *quia* est revelata ; non vero, *inquantum* est revelata, i. e. quocumque modo sit revelata.

Expl. — Obiectio vult probare quod etiam virtualiter revelata, ut talia, sint definibilia. Attamen peccat per fallaciam « quid pro quo ». Etenim ad quæstionem, *quid* sit definibile, respondetur per principium : id quod est revelatum. Iamvero obiectio huiusmodi principium gratis ita extendit ut asserat : definibile est quod *quocumque modo* est revelatum.

Neque valet illatio : aliqua doctrina est definibilis *quia* est revelata, ergo est definibilis *quocumque* modo sit reve-

lata, i. e. sive formaliter sive virtualiter. Est enim transitus a simpliciter ad secundum quid.

*Obiectio IV*ª. Conclusiones impropriæ secundum sententiam communem theologorum sunt definibiles.

Atqui conclusiones impropriæ similiter ac conclusiones propriæ per deductionem ex revelatis cognoscuntur.

Ergo etiam conclusiones propriæ sunt definibiles.

Resp. Transmissa propositione maiori, distinguitur minor. Utraque conclusio similiter cognoscitur per syllogismum, quantum ad nostrum modum cognoscendi, quantum ad formam logicam nostræ cognitionis, transeat ; quantum ad rem vel doctrinam cognitam, nego.

Explic. Obiectio vult auferre distinctionem inter conclusionem propriam et impropriam ; peccat tamen, inquantum confundit formalem modum nostrum cognoscendi cum distinctione materiali et obiectiva inter conclusionem propriam et impropriam. Etenim, ut supra a. 6 et 7. exposuimus, distinguendum est : *a*) inter diversimodam revelationem alicuius doctrinæ et inter modum cognoscendi eam, *b*) inter formam logicam cognitionis et rem cognitam. Modus cognoscendi ex parte nostra, i. e. cognitio per formam logicam deductionis, non impedit quin aliqua doctrina sit in se revelata adeoque definibilis ; definibilitas autem impeditur per hoc quod doctrina ex parte revelationis est virtualiter tantum revelata, adeoque syllogismus deductivus est circa aliam materiam ac syllogismus explicativus (cf. a. 7, n. 6).

Inde conclusio impropria non est definibilis, *ut* est conclusio ; conclusio vero propria, tum ut est conclusio, tum ratione materiæ vel revelationis.

*Obiectio V*ª. Conclusio theologica aut est de eadem entitate ac principium revelatum e quo deducitur, aut est de entitate realiter distincta.

Atqui, *a*) si conclusio est de eadem entitate ac principium revelatum, conclusio est identica cum principio revelato, adeoque definibilis ; *b*) si conclusio est de entitate realiter distincta, non est vera, i. e. certa, conclusio, adeoque extra quæstionem. Ergo omnes conclusiones (metaphysice) certæ sunt definibiles.

Resp. Concessa propositione maiori, minor distinguitur per partes. *a*) Conclusio quæ est de eadem entitate ac principium revelatum, est identica cum principio revelato, dist. : eo sensu quod sit de eadem *entitate*, concedo ; eo sensu quod sit *doctrina* identica, nego.

Inde distinguenda est altera pars assertionis.

Conclusio identica cum principio revelato est definibilis, dist. : eo quod sit tantum de eadem realitate, nego ; eo quod sit identica doctrina, concedo.

b) Altera pars propositionis negatur.

Simul inde negatur consequens et consequentia.

Expl. Obiectio intendit probare quod omnes conclusiones (et illæ solæ) quæ sunt de eadem identitate ac principium revelatum, sint definibiles. Peccat autem argumentum per æquivocationem termini « identitatis ». Duæ enim propositiones dicuntur identicæ inquantum exhibent eandem *doctrinam* vel veritatem obiectivam ; obiectio autem vocat propositiones identicas illas quæ sunt de eodem *obiecto materiali :* id quod est contra communem terminologiam. Ita hae tres propositiones : Deus existit ; Deus creavit mundum ; Deus habet liberum arbitrium, sunt quidem de eadem entitate ; quis autem vocat illas propositiones identicas ?

Applicando distinctionem ad nostram quæstionem, dicendum est : *doctrinæ* (obiective) identicæ cum principio revelatæ sunt quidem definibiles, i. e. si habetur eadem doctrina obiectiva, licet per diversos conceptus formales exprimatur, ut si Filius Dei dicitur Verbum et consubstantialis ; quod vero conclusio sit de eodem obiecto materiali ac principium revelatum, non sufficit ad definibilitatem conclusionis. Etenim Deus, manifestans unam veritatem de aliqua re, non manifestat alias veritates circa eandem rem, nisi forsitan in principio : ita, revelata existentia Dei, non est revelata libertas Dei circa alia a se.

Denique negavimus assertum : non potest deduci conclusio metaphysice certa de realitate realiter distincta, distincta sc. a realitate de qua est principium. Tale enim assertum est contra facta. Ita theologi ex doctrina trans-

substantiationis deducunt realem distinctionem inter substantiam et accidentia in corporibus, ex doctrina unionis hypostaticæ deducunt realem distinctionem inter naturam et suppositum in rebus creatis, et similiter multa alia : et habetur certe conclusio de realitate realiter distincta. Conclusio enim ex natura sua potest esse de alia re ac principium, cum syllogismus fiat per comparationem duorum cum uno tertio.

Obiectio igitur dupliciter deficit : *a*) supponit quod ad definibilitatem alicuius conclusionis sufficiat quod conclusio sit de eodem obiecto materiali ac principium revelatum — id quod præcise est probandum ; *b*) negat immerito possibilitatem conclusionis metaphysice certæ de realitate distincta, distincta sc. a realitate de qua est doctrina revelata.

Secunda series obiectionum procedit ex auctoritate.

*Obiectio VI*ª. Concilium Vaticanum non definivit, tantum formaliter revelata esse fide divina tenenda.

Resp. Inde sequitur quod doctrina circa definibilitatem conclusionum propriarum, sive affirmans sive negans, non sit de fide definita ; non vero sequitur, concilium definibilitatem consequentiarum docuisse ; immo contrarium legitime ex verbis concilii deduci potest.

Expl. Conc. Vatic. docet, fide divina et catholica credenda esse revelata ab Ecclesia ad credendum proposita. Iamvero termini definitionum accipiendi sunt in sensu proprio ac formali, non autem in sensu improprio vel analogo tantum. Inde ex definitione Vaticana : primo sequitur quod formaliter revelata sint definibilia ; secundo concludi nequit, virtualiter tantum revelata esse definibilia ; tertio deduci potest, exclusive formaliter revelata esse definibilia. Id quod ex alia doctrina concilii confirmatur cum sc. docet, Ecclesiam in suis definitionibus doctrinam fidei revelatam « fideliter custodire et infallibiliter declarare » (D. 1800) vel « sancte custodire et fideliter exponere » (D. 1836) : id quod tantum ad conclusiones improprias pertinet.

*Obiectio VII*ª. S. Thomas et scholastici alii sæc. XIII docent, conclusiones theologicas post definitionem Eccle-

siæ ad fidem pertinere, licet indirecte et secundario, sc. ut ex quibus negatis, sequitur corruptio articuli : secundum igitur sententiam horum scholasticorum omnes conclusiones necessariæ sunt definibiles.

Resp. Simpliciter tenendum est, conclusiones, ab Ecclesia tamquam dogmata propositas, ad fidem pertinere ; tamen inde non sequitur, omnes conclusiones, etiam proprias, esse definibiles.

Expl. Certe omnes scholastici docent, dogmata ab Ecclesia definita esse fide divina tenenda ; tamen inde non sequitur, virtualiter tantum revelata tanquam dogmata definiri posse. Etenim *a*) probari nequit, aliquam doctrinam virtualiter tantum revelatam ab Ecclesia ut dogma definitam fuisse (cf. supra, p. 196) ; *b*) scholastici sæc. XIII de conclusionibus impropriis vel quoad nos tantum loquuntur, ut supra, p. 131-146 fuse ostendimus.

*Obiectio VIII*ª. Distinctio inter implicite et virtualiter revelata cum consequenti doctrina de definibilitate conclusionum est *innovatio* a Suarezio proposita, novam terminologiam in theologiam induxit atque confusionem doctrinæ secum traxit.

Resp. Distinctio inter implicite et virtualiter revelata fuit doctrina *nova* (quoad rem et quoad terminologiam), inquantum doctrinam et terminologiam præexistentem exactius determinavit, non vero innovatio contraria sententiæ veterum ; *confusio* orta est, quia nova distinctio ac terminologia non statim ab initio neque perfecte explicata neque consequenter applicata fuit, ac insuper quia differentia terminologiæ non ab omnibus observata est ; secundum se vero nova distinctio non fuit causa confusionis, sed e contra nata est ad confusionem vitandam — id quod sufficienter exposuisse putamus (cf. p. 110 ss).

*Obiectio IX*ª. Maior pars theologorum simpliciter conclusiones ut definibiles tenet.

Resp. Negatur assertum, saltem eo sensu ac si maior pars theologorum explicite ac proprie definibilitatem conclusionum quoad se vel doctrinæ virtualiter tantum revelatæ doceat. Etenim, ut supra p. 85 ss. sufficienter exposuisse videmur, in medio ævo et usque ad sæc. XVI theologi,

vel docent definibilitatem conclusionis quoad nos, vel indistincte sive indeterminate de conclusionibus loquuntur ; postea, proposita distinctione inter implicite et virtualiter revelata, multi quidem doctrinam indeterminatam veterum retinent, pauciores tamen expresse definibilitatem doctrinæ in principio tantum revelatæ defendunt. Denique ex doctrina indeterminata argumentum solidum confici nequit.

*Obiectio X*ª. Saltem nova est distinctio inter dogmata, fide divina tenenda, et inter iudicia infallibilia Ecclesiæ circa connexa cum revelatis, fide ecclesiastica tenenda.

Resp. Distinctio inter fidem divinam et ecclesiasticam fuit nova sicut multæ aliæ distinctiones et doctrinæ scholasticorum, tamen ut legitimus fructus determinationis præcisæ circa naturam dogmatis : inde optime distinguit inter revelationem Dei et infallibilitatem Ecclesiæ, multas difficultates theoreticas et practicas circa decreta Romanorum Pontificum et conciliorum solvit, dogmatibus proprium honorem reservat ac simul iudiciis infallibilibus Ecclesiæ debitum assensum præstandum docet.

Itaque argumenta contraria non tam infirmant quam confirmant doctrinam, conclusiones proprie dictas non esse definibiles. Simul ex dictis patet doctrina de conclusionibus impropriis.

Propositio II. Conclusiones theologicæ quoad nos tantum, quoad doctrinam in eis assertam, immo quoad modum et formulas quibus doctrina exprimitur, ut dogmata definiri possunt : non tamen prout reduplicative per syllogismum cognoscuntur, sed inquantum secundum iudicium Ecclesiæ implicite in ambitu et comprehensione revelationis formalis continentur. — Hæc propositio constat *a*) ex factis historicis, *b*) ex consensu theologorum, *c*) ex ratione. *a*) Ex factis quidem : nam ex historia dogmatum luculenter constat plures doctrinas quæ a theologis per modum deductionis cognitæ fuerunt, ab Ecclesia tanquam dogmata definita fuisse, et quidem secundum formulas quibus a theologis propositæ fuerunt : ita incipiendo a definitione consubstantialitatis usque ad definitiones Vaticanas.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

b) Propositio constat *ex doctrina theologorum* supra exposita[1], quam tamen hic breviter resumere liceat. Scholastici maiores sæc. XIII primo conclusiones *articulorum* considerant, i. e. considerant veritates revelatas particulares tanquam determinationes et consequentias veritatum principalium quæ in symbolo apostolico enuntiantur. Ita apud ipsos non est quæstio de virtualiter tantum revelatis, sed de formaliter revelatis, ut e. g. de Eucharistia. Secundo scholastici sæc. XIII considerant definitiones dogmaticas Ecclesiæ tanquam explicationes formaliter revelatorum, quæ tamen explicationes a theologis per deductionem cognoscuntur ac statuuntur (conclusiones quoad nos). In concreto scholastici maiores regulariter doctrinam theologicam tanquam proprie revelatam considerant.

Scholastici sæc. XIV et XV, imo usque ad concilium Tridentinum quasi communiter tenent doctrinam : Veritas catholica (i. e. credenda) est veritas habita per divinam revelationem, explicite in propria verborum forma vel implicite in bona et necessaria consequentia (Gerson). Tamen et illi loquuntur proprie de conclusionibus quoad nos tantum, i. e. de implicite revelato vel de explicatione revelationis.

Theologi posttridentini primo communiter tenent duplicem thesim : *a*) conclusiones, ut conclusiones, non sunt de fide neque definibiles ; *b*) doctrinæ formaliter revelatæ, sive explicite sive implicite, sunt definibiles, licet a nobis per deductionem cognoscantur. Deinde theologi huius periodi, corrigentes vel potius determinantes formulam receptam, distinguunt, et quidem dupliciter. Primo distinguunt inter formaliter vel immediate et virtualiter vel mediate *revelata* (Caietanus, Canus, Suarez et post illos alii) ; secundo distinguunt *conclusiones* deductas : et quidem vario modo. Distinguunt enim inter conclusiones deductas : *a*) per syllogismum improprium et proprium (Salmanticenses, Suarez) ; *b*) per syllogismum explicativum aut illativum (Iohannes a S. Thoma, Gotti) ; *c*) per deductionem ratione significationis revelatorum aut vi connexionis naturalis (Billuart). Secundum hanc dis-

1. A. 4, n. 48-62.

tinctionem auctores citati et cum illis alii tenent : *a*) definibiles sunt doctrinæ formaliter revelatæ, licet implicite vel confuse, deductæ per syllogismum improprium vel explicativum vel ratione significationis terminorum revelationis ; *b*) virtualiter tantum revelata non sunt obiectum fidei divinæ adeoque neque doctrinæ deductæ per syllogismum proprium vel illativum vel vi connexionis naturalis.

Quam quidem doctrinam scholasticorum, fructum pretiosissimum multiplicis laboris, scholastici moderni, per formulam et distinctionem conclusionum quoad se et quoad nos tantum tuentur. Etenim conclusiones quoad se identificantur cum virtualiter tantum revelatis et cum deductionibus per syllogismum proprium vel illativum vel vi connexionis naturalis ; conclusiones vero quoad nos tantum identificantur cum formaliter revelatis et cum deductionibus per syllogismum improprium vel explicativum vel vi significationis terminorum revelationis. Formula et distinctio conclusionum quoad se et quoad nos tamen doctrinam scholasticorum priorum in unum colligit, eam brevius et exactius exprimit ac denique facilius intelligitur : unde et ipsam nostram fecimus. Idem valet de conclusionibus proprie et improprie dictis.

Neque vim habet instantia quæ opponit : « distinctio est recens et proprie scholasticorum sæculi XVIII et sequentium. » Talis enim instantia valeret si ageretur de doctrina *contraria* sententiæ veterum, minime autem valet si agitur de exactiori determinatione et distinctione doctrinæ traditæ : secus enim omnis explicatio revelatorum in processu dogmatico tanquam vana declararetur atque omnes formulæ et doctrinæ magis distinctæ removendæ essent, ut vel « unio hypostatica » vel « transsubstantiatio », utpote quæ antea non extabant. Iamvero distinctio proposita de definibilitate conclusionum theologicarum non opponitur doctrinæ veterum, sed eam tantummodo rectius determinat et distinguit.

c) Ex ratione theologica vero propositio constat quia definibilitas alicuius doctrinæ nullo modo ex eo afficitur quod illa doctrina ex parte nostra vel a theologis ex revelatione per discursum cognoscitur, dummodo obiective, ex parte sua vel ex parte revelationis, sit formaliter revelata,

sive explicite sive implicite vel æquivalenter. Unde conclusiones quidem ut conclusiones non sunt definibiles, sed tamen quoad doctrinam deductam, dummodo illa sit æquivalens doctrinæ formaliter revelatæ. Ita denique quæstio facile solvitur per distinctionem inter modum revelationis divinæ et cognitionis nostræ circa revelata.

IV. Ex dictis simul patet, nos in hac re non posse consentire doctrinæ *P. Marin-Sola*. Etenim tenet omnes conclusiones theologicas esse definibiles quæ ex revelatis per modum inclusionis deducuntur, si sc. res de qua est conclusio, est eadem cum re de qua est revelatio formalis. Attamen distinguendum est inter inclusum ex parte rei et ex parte revelationis. Id quod in ipsa *revelatione* includitur, i. e. ibi manifestatur, licet confuse, indistincte, termino æquivalenti tantum, implicite, certe est revelatum atque definiri potest, etsi a nobis per modum conclusionis cognoscatur : tunc enim vere, ut ait P. Marin-Sola, Ecclesia non facit ex virtualiter revelato formaliter revelatum, sed tantum medium cognitionis nostræ aufert et simpliciter quid sit revelatum, iudicat. Id vero quod tantum in *re* revelata includitur vel cum ea identificatur, non proprie est revelatum, nisi sc. in principio vel causa. Ita revelata unitate Dei non est revelata Trinitas personarum, licet habeatur rei identitas. Similiter revelata unitate Dei, non est revelatum liberum Dei arbitrium, licet libertas Dei ex notione Dei deduci possit et quoad rem sit idem cum ea. Identitas enim realis obiecti duarum doctrinarum vel cognitionum non efficit, neque ut una cognitione habita habeatur alia, neque ut manifestata vel revelata una cognitione, alia sit manifestata vel revelata. Tota vero quæstio de definibilitate alicuius doctrinæ ex eo dependet an illa doctrina sit revelata, a Deo manifestata.

Denique sententia P. Marin-Sola ad *inconvenientia* ducit. Sequeretur enim omnes conclusiones theologicas de Deo esse definibiles. Idem quoad alia mysteria fidei locum haberet cum denique tandem omnis doctrina theologica de aliquo mysterio eandem realitatem exprimat ac mysterium revelatum. Ipse P. Marin-Sola concedit et asserit totam Summam theologicam S. Thomæ esse definibilem,

sc. quoad « omnes conclusiones quæ ex revelatione cum certitudine absoluta (i. e. metaphysica) deducuntur[1] », ut e. g. distinctio realis inter essentiam et existentiam in rebus creatis[2]. Ita denique tandem tota metaphysica, imo omnis philosophia nec non mathematica esset definibilis, ut veritas a Deo revelata !

Unde iudicamus, simpliciter tenendam esse doctrinam scholasticorum sæculi XVII et XVIII supra expositam, sive directe negent virtualiter revelata esse definibilia vel de fide (ut communiter fit in schola Societatis Jesu) sive conclusiones distinguant in conclusiones de implicite aut de virtualiter revelatis (ut communiter in schola thomistica), sive inter syllogismum explicativum et deductivum distinguant (ut in utraque schola).

V. In fine quædam notanda adiicere liceat ut consideratio nostra sit completa.

Primo : Quandoque dubium esse potest utrum aliqua doctrina ab Ecclesia tanquam dogma revelatum proponatur an utrum Ecclesia aliud quodquam iudicium, etiam infallibile, circa illam tulerit. Unde distinguendum est inter quæstionem iuris (utrum Ecclesia conclusiones theologicas ut dogmata definire possit) et inter quæstionem facti (utrum aliqua doctrina tanquam dogma fuerit definita).

Secundo notandum est : iudicium, utrum aliqua doctrina sit conclusio theologica quoad se an tantum quoad nos (ita quod ut dogma definiri potuerit), non pertinet ad historicum, ut talem, sed ad exegetam et proprie ad theologum dogmaticum et ultimo et propriissime ad magisterium ipsius Ecclesiæ. Unde historici a huiusmodi iudiciis abstineant. Cum enim in consideratione historica dogmata definita ut doctrinæ per longum studium theologorum deductæ appareant, historici facile in omnibus dogmatibus « conclusiones » vident. Id quod apud historicos acatholicos quasi est regula. Auctores catholici forsitan minus dogmata definita quam saltem doctrinas SS. Patrum et theologorum universaliter tanquam « conclusiones

1. *Ciencia tomista*, 1920, p. 301.
2. L. c., nota.

theologicas » considerant, in quo tamen non raro non minus errant. Imo vel ipsi theologi dogmatici non raro nimis facile doctrinas plures tanquam conclusiones quoad se admittunt. Etsi enim non sit concedendum, Deum omnia revelasse quæ ipse de re revelata noverit, tamen valde difficile determinari potest quid denique formaliter per terminos revelationis exprimatur, sicut e contrario difficile est diiudicare utrum aliqua doctrina sit tantum formulatio æquivalens doctrinæ revelatæ, tantum expositio, declaratio et interpretatio depositi fidei, an sit vere et proprie conclusio quoad se vel virtualiter tantum revelata. Unde in hac re denique iudicio Ecclesiæ standum est et Ecclesia ad hoc proprie doctrinam aliquam tanquam dogma definit ut omne dubium auferatur de charactere eius revelato.

Tertio ex nostra thesi solvitur *quæstio de homogeneitate* doctrinæ revelatæ vel dogmaticæ et doctrinæ theologicæ. Ecquidem theologi scholastici communiter conclusiones theologicas tanquam obiectum proprium theologiæ considerant : inde enim vel nomen conclusionis theologicæ ortum habuit. In hac tamen sententia inter conclusiones theologicas quoad se et quoad nos distinguendum est.

Certe enim sententia scholasticorum non ita intelligenda est ac si theologia unice vel principaliter circa conclusiones theologicas quoad se vel circa virtualiter tantum revelata versetur : obiectum enim primarium et principale theologiæ sunt ipsa revelata ac proprie dogmata : id quod ex libris vel ex doctrina ipsa theologorum manifeste patet. Tamen scientia theologica huiusmodi revelata vel dogmata proprie non considerat ut sunt credenda propter auctoritatem Dei revelantis — sub hoc respectu sunt obiectum fidei theologicæ, — sed scientia theologica revelata vel dogmata suscipit ut probanda et deducenda, ut probanda sc. vel ex auctoritate, i. e. per textus S. Scripturæ, per doctrinam SS. Patrum et theologorum, etc., vel ex ratione, i. e. per deductionem ex aliis revelatis, dogmatibus vel quibuscumque doctrinis theologicis (conclusiones theologicæ quoad nos). Unde obiectum primarium et principale theologiæ sunt conclusiones theologicæ quoad nos, i. e. ipsa revelata vel dogmata ut ex parte nostra ex aliis veritatibus revelatis deducta vel probata. Secundario deinde et ex conse-

quenti theologia ex revelatis ea quoque deducit quæ in revelatione virtualiter tantum continentur (conclusiones quoad se)[1].

Ita conclusiones theologicæ sunt quidem obiectum *proprium* theologiæ, inquantum theologia doctrinam suam probat vel deducit ; tamen obiectum primarium et principale sunt conclusiones theologicæ quoad nos tantum : et sic doctrina theologica et doctrina fidei sunt homogeneæ, i. e. identicæ quoad se[2].

Quarto. Cum dogmata definita, ex parte theologorum, immo ex parte Ecclesiæ ipsius, quantum ad media et modum cognoscendi, communiter per discursum ex revelatione cognoscantur, historico omnino liberum est, immo ius et officium incumbit, inquirendi processum huiusmodi deductionis secundum omnes suas causas, conditiones et leges. Unde quæstio de definibilitate conclusionum theologicarum magis theologos quam historicos torquet.

Quinto. Attamen *doctrina* de evolutione dogmatum et per consequens doctrina de natura et officio historiæ dogmatum, secundum diversam sententiam de definibilitate conclusionum theologicarum non parum diversificatur. In sententia enim illorum qui tenent conclusiones vel virtualiter revelata esse definibilia ut de fide vel ut dogmata, *evolutio dogmatum* fit per propositionem definitivam tam ipsorum revelatorum, quam *per definitionem consequentiarum* ex revelatione ; in sententia vero illorum qui tenent tantummodo formaliter vel immediate revelata esse per modum dogmatis definibilia, evolutio dogmatum

1. Ita intelligenda est doctrina S. Thomæ, quod sc. theologia sit argumentativa (I, q. 1, a. 8). Docet enim : « Hæc doctrina non argumentatur ad sua principia probanda quæ sunt articuli fidei, sed ex eis procedit *ad aliquid ostendendum*, sicut Apostolus, primæ ad *Cor.* 15, ex resurrectione Christi argumentatur *ad resurrectionem communem probandam* » (corp. art.). « Ex articulis fidei hæc doctrina ad alia argumentatur » (ad 1), « ad manifestandum aliqua alia quæ traduntur in hac doctrina » (ad 2). Inde S. Thomas in q. 1 nomine « sacræ doctrinæ » tum veritatem revelatam tum doctrinam theologicam significat. Ita denique S. Thomas doctrinam catholicam ex aliis veritatibus probare vel deducere conatur.

2. Quantum ad diversimodam expressionem vide a. 11 : de formulis dogmaticis.

fit exclusive per propositionem et explicationem formaliter revelatorum. Differentia, uti patet, non est parva, præsertim si adiungatur theoria Suarezii et Lugonis quod definitio Ecclesiæ vim locutionis divinæ habeat et revelationem ipsam compleat et consummet. Prima sententia videtur facilior et magis apta ad plures difficultates solvendas, attamen altera verior est, magis principiis theologicis convenit ac denique sola explicat quomodo definitiones Ecclesiæ tanquam revelata ac ut dogmata fide divina credenda proponantur : inde denique sola obiectiones protestantium et modernistarum contra fidem catholicam refutat. Audeo adiungere, etiam facta historiæ dogmatum inde melius explicari. Unde vehementer optandum et conandum est ut in hac quæstione denique tandem claritas et veritas inter theologos habeatur.

Denique de effectu progressus dogmatici agendum est.

ARTICULUS DECIMUS

DE TERMINO VEL EFFECTU PROGRESSUS DOGMATICI

Quintuplex terminus vel effectus progressus dogmatici distingui potest, sc. formalis, obiectivus, subiectivus, socialis et religiosus.

I. Terminus *formalis* quo sc. progressus dogmaticus constituitur, est ipsa *explicatio revelatorum* vel revelatio explicata, ut expositum est.

II. Terminus *objectivus*, veluti fructus immediatus et proprius, est constitutio dogmatis vel sunt ipsa *dogmata* definita. Ad hunc enim effectum totus processus explicationis revelatorum tendit, sicut vita arboris ad fructum producendum. Unde in processu dogmatico explicationes theologorum sunt quasi flores, dogmata vero definita sicut fructus maturi.

Ita totus processus in explicatione revelatorum non tan-

tum ad explicationem doctrinalem tendit, neque explicatio est perfecta vel completa, antequam doctrina per iudicium Ecclesiæ tanquam dogma credendum proponatur ; pervenit vero evolutio in explicando quocumque revelato ad terminum vel culmen suum cum explicatio quædam doctrinalis ab Ecclesia ad credendum proponitur.

Tamen etiam definitio Ecclesiæ *non* significat terminum *absolutum* in explicatione alicuius revelati. Habet quidem characterem absolutum eo sensu, ut id quod ab Ecclesia definitur, sit absolute verum, quod sit irreformabiliter definitum et quod ut veritas divina sit credendum. Tamen sub alio respectu etiam definitio Ecclesiæ est aliquid intermedium. Et quidem dupliciter. Primo, nulla definitio, saltem ex hucusque factis, totum sensum revelationis de re aliqua revelata exponit vel exhaurit ; unde non excludit ulteriorem explicationem sicut nec excludit formulationem per alios conceptus vel terminos. Secundo ipsæ definitiones dogmaticæ sunt doctrinæ quæ iterum ex sua parte explicatione indigent et de facto explicantur. Sicut nempe sensus revelationis tantum successive explicatus fuit, ita quoque sensus definitionum dogmaticarum. Quidquid igitur supra de explicatione successiva revelatorum diximus, proportionato modo etiam de explicatione definitionum dogmaticarum valet. *Dogmata sunt ipsa iterum initium, caput et origo novæ explicationis.*

Ita prima propositio dogmatica, facta per symbolum Apostolorum, fuit origo et occasio quasi totius evolutionis dogmaticæ in Ecclesia græca et caput definitionum veterum Conciliorum. Definitio consubstantialitatis Verbi fuit ratio explicationis doctrinæ dogmaticæ de SS. Trinitate eiusque explicatio maximum laborem SS. Patrum requirebat et denique fuit caput definitionis divinitatis Spiritus Sancti in Concilio Constantinopolitano. Similiter definitio Concilii Ephesini de unione hypostatica initium fuit et origo explicationis Incarnationis Christi, immo quasi nervus et centrum ulterioris evolutionis dogmaticæ in Ecclesia græca. Similiter quoad alia dogmata definita. Quoad dogmata recentius definita explicationem ex definitione causatam tantummodo nondum advertimus vel cognoscimus. Sicut enim revelata cognitionem nostram excedunt ita etiam defini-

tiones dogmaticæ ; unde eorum sensus et ratio omnino eodem modo successive a nobis cognoscitur sicut revelatorum. Immo quandoque erit disputatio vel de sensu immediato alicuius definitionis, sicut de sensu alicuius textus revelati, ut e. g. de «simul» in definitione Concilii Lateran. IV (D., 428) vel de aliquibus definitionibus concilii Tridentini ; certe denique non raro quæritur, utrum quædam doctrinæ determinatæ sub definitione vel damnatione alicuius canonis cadant, ut libri theologorum ostendunt. Ita etiam Ecclesia, sicut determinat sensum revelationis, sensum quoque definitionis dogmaticæ definire potest, sicut Pius X in Iuramento contra errores Modernistarum interpretatus est definitionem concilii Vaticani de cognoscibilitate Dei per terminum demonstrabilitatis existentiæ Dei. Cognitio enim certa causæ ex effectu a nobis haberi non potest nisi per demonstrationem. Inde Pius X proponendo tanquam doctrinam fidei demonstrabilitatem Dei, tantummodo sensum implicitum definitionis Concilii Vaticani proposuit[1].

Insuper dogmata definita non tantum materia vel subiectum sunt explicationis ulterioris sed simul *vis quædam agens* ad explicandam fidem. Quodlibet enim dogma definitum est quasi lumen quoddam in quo et alia revelata melius cognoscuntur, sive propter analogiam rerum inter se sive propter connexionem quandam formalem. Ita definitio consubstantialitatis fuit lumen in investiganda Trinitate, definitio unionis hypostaticæ fuit lumen ad definiendam doctrinam de duabus naturis, de duplici voluntate et operatione Christi, doctrina S. Augustini de gratia fuit initium totius doctrinæ scholasticæ de gratia, definitio de transsubstantiatione origo profundissimæ doctrinæ de Eucharistia, definitio Immaculatæ Conceptionis B. M. V. ratio doctrinæ magis scientificæ de Matre Dei, definitiones Tridentinæ et Vaticanæ novam periodum theologiæ initiarunt, etc.

1. Cf. Garrigou-Lagrange, *La démonstrabilité de l'existence de Dieu selon le serment antimoderniste*, in *Revue pratique d'Apol.*, 1911, p. 481-497 ; Schultes, *Was beschwören wir*, etc., p. 14 ss.

III. Terminus *subiectivus*, i. e. in mentibus fidelium, est fides explicita et sub hoc respectu progressus dogmaticus est *progressus a fide implicita ad fidem explicitam.*

Constitutio dogmatis est quidem terminus obiectivus in processu explicationis revelatorum. Tamen dogma non constituitur ultimo propter seipsum ut sc. dogma habeatur, sed finis in dogmate definiendo est *fides* in revelata. Revelata enim ex natura sua ad fidem ordinantur : ideo enim veritas revelatur ut credatur. Ipsa quoque anima christiana quærit, non speculationes et doctrinas scientificas theologorum, immo ne quidem definitiones theoreticas dogmatum, sed proprie obiectum credendum, i. e. fide amplectendum : idque tum propter reverentiam erga Deum cuius secreta revelata anima fidelis penitus fide amplectere cupit ; tum propter indigentiam subiecti credentis cuius sc. fides quærit se actu extendere ad totum suum obiectum, sicut scientia totum suum obiectum complectere conatur (et quidem quanto perfectius potest) ; tum propter rationes extrinsecas, sc. propter negationem vel corruptionem doctrinæ revelatæ ex parte hæreticorum vel etiam catholicorum errantium ; tum denique, quia fides ex natura sua certitudinem quantum possibilem quærit. Licet plurimi nova dogmata abhorreant (quia sc. in dogmate tantum obligationem impositam credendi considerant), res ipsa tamen, animus pius, affectus credulitatis et necessitas vitæ continuo ad definitionem dogmaticam impellunt. Ita dogma proprie est *fructus* evolutionis dogmaticæ qui sc. « quasi ultimum exspectatur et cum quadam suavitate percipitur[1]. »

Sicut igitur per explicationem revelatorum revelata obiective magis explicantur, ita subiective fides fidelium magis explicatur, determinatur ; sicut profectus dogmaticus formaliter est profectus ab implicito ad explicitum, ita subiective, in mentibus fidelium, est profectus a fide implicita ad fidem explicitam ; sicut terminus obiectivus explicationis revelatorum est propositio et definitio magis magisque explicita et determinata revelatorum, ita termi-

1. S. Thomas, I, II. q. 11, a. 1.

nus subiectivus est fides in dies magis explicita atque distincta.

Distinctio inter fidem explicitam et implicitam iam supra in relatione doctrinæ scholasticorum sufficienter exposita est[1] : tantummodo ad illam componendam cum hucusque dictis, simul tamen ad rite intelligendam et applicandam ad historiam dogmatum, quædam notanda sunt.

Fides explicita se habet ad fidem implicitam *eodem proportionato modo* sicut explicite revelata ad implicite revelata. Fides sc. dicitur explicita qua aliquid explicite creditur, implicita qua aliquid implicite creditur. Explicite vero creditur quod in se ipso creditur, vel ut dicit S. Thomas[2], « quando eis actu cogitatis adhæremus » ; implicite creditur quod in alio explicite credito creditur, vel ut dicit S. Thomas, « quando adhæremus quibusdam in quibus sicut in principiis universalibus ista (implicite credita) continentur ».

Diximus tamen quod fides dicitur explicita et implicita eodem « *proportionato modo* » sicut revelatio explicita et implicita. Revelatio enim dicitur implicita in quantum aliquid in alio explicite revelato implicite *revelatur* vel *manifestatur* ; dicitur vero fides implicita inquantum unum in alio implicite *creditur*. Alio vero modo unum in alio revelatur vel manifestatur et alio modo unum in alio creditur, secundum sc. aliam et aliam conditionem revelationis et fidei. Unde modus fidei implicitæ *ex natura fidei* determinanda est sicut modus revelationis implicitæ ex natura et conditione revelationis.

Potest autem aliquid *implicite credi quadrupliciter* (implicatio fidei). *Primo ex parte rei creditæ* inquantum sc. unum creditum *in re* explicite *credita* continetur. Ita S. Thomas docet quod in fide explicita in Deum et in eius providentiam omnes fideles omni tempore implicite credebant omnia revelata prout sc. « in esse divino includuntur omnia quæ credimus in Dei æternaliter existere in quibus nostra beatitudo consistit ; in fide autem providentiæ includuntur

1. A. 4, n. 30-36 ; cf. n. 1-29.
2. *De Verit.*, q. 14, a. 11.

omnia quæ temporaliter a Deo dispensantur ad salutem hominum quæ sunt via in beatitudinem[1]. »

Secundo potest aliquid credi implicite *in obiecto formali* fidei (sive « quod » sive « quo »). Quicunque enim quodcunque revelatum propter auctoritatem Dei revelantis credit, in auctoritate Dei revelantis implicite omnia credit quæ Deus, prima veritas, revelavit, et in quantum sunt a Deo revelata.

Tertio aliquid potest credi implicite inquantum continetur in *regula* fidei, sive proxima, sc. in auctoritate Ecclesiæ revelationem proponentis, sive remota, sc. in S. Scriptura, in traditione vel etiam in Symbolo fidei. Quicunque enim « inhæret Ecclesiæ doctrinæ tanquam infallibili regulæ, omnibus assentit quæ Ecclesia docet », sc. implicite[2]; similiter qui credit S. Scripturæ tanquam Verbo Dei, omnia credit quæ in S. Scriptura continentur; et idem est de traditione divina.

Quarto potest aliquid implicite credi ex parte *modi revelationis* inquantum in aliquo explicite credito continetur *ut implicite revelatum*, ut supra exposuimus. Quicunque enim credit aliquid revelatum, simul implicite credit explicationem, determinationem et formulationem ipsius revelati et crediti, fides enim fertur in veritatem revelatam, non vero exclusive in terminos vel in actualem formulationem revelationis.

Secundum diversum modum implicationis fidei habetur quoque *quadruplex progressus a fide implicita in fidem explicitam. Primo* explicatur fides generalis *in ipsum Deum* eiusque providentiam, ut est res credita principalis, inquantum sc. plura de Deo eiusque operibus actu creduntur et Deus eiusque opera salutaria magis determinate vel particulariter cognoscuntur atque creduntur. *Secundo* explicatur fides generalis *in Deum revelantem* inquantum plura a Deo revelata actu et in se creduntur; *tertio* explicatur fides *generalis in regulam fidei* proximam et remotam, i. e. in doctrinam Ecclesiæ, S. Scripturam, traditionem vel etiam in Symbolum fidei, inquantum sc. plures veritates

1. II. II. q. I, a. 7.
2. S. Thomas, II. II, q. 5, a. 3.

vel doctrinæ Ecclesiæ, S. Scripturæ, traditionis et Symboli actu et in se creduntur ; *quarto* fides iam explicita in quædam *revelata particularia* magis determinatur et explicatur per ulteriores determinationes et explicationes. Et in hoc ultimo præcipue sensu explicatio fidei est proprius finis et fructus evolutionis dogmatum.

Explicatio enim fidei habetur tum per revelationem tum per evolutionem dogmaticam, tamen alio et alio modo. Per revelationem habetur inquantum *per novas revelationes* a Deo factas vel plura et nova de Deo revelantur vel revelationes antea factæ magis determinantur, ut e. g. redemptio per Messiam, vel explicatio revelationis iam factæ datur, ut quandoque in Prophetis vel sicut Dominus et Apostoli revelationem V. T. per novam revelationem explicaverunt. In evolutione vero dogmatica non habetur nova revelatio, sed explicatio fidei fit exclusive per explicitam propositionem implicite propositi et per explicationem sensus implicite revelati. Scholastici medii ævi explicationem fidei in sensu latissimo considerant, sive fiat per novas revelationes sive per solam explicationem implicite revelati ; eodem modo considerant implicationem fidei, sive sc. fides sit implicata in identitate rei creditæ sive in obiecto vel motivo formali fidei sive in regula fidei sive in ipsa revelatione. Veteres enim scholastici implicationem et explicationem fidei ita large accipiunt, ad explicandam identitatem fidei in Veteri et Novo Testamento, quærentes « utrum sit eadem fides modernorum et antiquorum[1] ». « utrum articuli fidei creverint[2] », i. e. utrum articuli symboli apostolici successive revelati fuerint : in quæstione vero evolutionis dogmatum non tantum quæritur utrum habeatur eadem fides ut habitus, sed utrum eadem revelatio credatur.

IV. Terminus *socialis* evolutionis dogmatum, secundum quod dogma fidem Ecclesiæ ut societatis determinat, est *fides catholica* inquantum sc. per propositionem et definitionem Ecclesiæ explicatio fidei omnibus fidelibus ad cre-

1. *De Verit.*, q. 14, a. 12.
2. II. II, q. 1, a. 7.

dendum proponitur : « Fide (enim) divina et catholica ea omnia credenda sunt quæ in Verbo Dei... continentur et ab Ecclesia... tanquam divinitus revelata credenda proponuntur[1] ».

V. Ultimus terminus vel potius effectus progressus dogmatici est *bonum religionis et salutis hominum*. Nam explicatio revelatorum intrinsece et per se ordinatur ad *fidem* augendam, promovendam, determinandam et confirmandam, primario in ipsis fidelibus, secundario simul in nondum credentibus ; deinde ordinatur ad *actionem* ut sc. fideles actiones suas dirigant ac vitam instituant secundum fidem explicitam quæ ipsos insuper per motiva uberiora ac exercitium virtutum excitat ; simul *cultus Dei* promovetur, tum immediate per fidem magis explicitam, tum mediate per directionem et excitationem quam explicatio fidei secum fert ; denique ipsa *salus* hominum promovetur et augetur in quantum media salutis facilius et perfectius cognoscuntur, largius applicantur (e. g. per decretum Pii X de conditionibus communionis quotidianæ), normæ et conditiones perfectionis christianæ magis patent, anima christiana magnitudine beneficiorum atque institutorum divinorum, præsertim vero perfectiori cognitione Dei et salutis æternæ, magis ad beatitudinem æternam excitatur ac denique in pace ac gaudio firmata exultat. Ita denique per explicationem fidei quam maxime promovetur Dei honor et gloria[2].

Doctrina igitur scholastica de explicatione fidei per distinctionem inter explicita et implicita, optima est explicatio doctrinalis progressus dogmatici vel evolutionis dogmatum. Etenim explicat et salvat tum *identitatem, continuitatem vel stabilitatem substantialem fidei* in evolutione vel mutatione, tum *evolutionem, progressum* et *mutationem* in identitate et stabilitate fidei, explicat et salvat tum *conditiones humanas* in opere et in effectu evolutionis, tum *infallibilitatem et auctoritatem* Ecclesiæ. Ex eo enim quod distinguit inter sensum explicitum et implicitum revelationis, expli-

1. Conc. Vat., sess. 3, c. 3, D. 1792 ; cf. supra, p. 000.
2. Cf. infra, a. 15 : De causis progressus dogmatici.

cat quomodo definitiones dogmaticæ sunt identicæ cum ipsa revelatione : et ita habetur identitas fidei vel stabilitas in evolutione ; ex eo quod ostendit successivam explicationem cognitionis et definitionis sensus impliciti, explicat veritatem progressus et evolutionis ; ex eo quod distinguit inter explicationem doctrinalem et autoritativam propositionem, explicat et salvat characterem dogmaticum vel effectum totius processus. Id quod adhuc magis patebit in applicatione doctrinæ ad explicandas proprietates progressus dogmatici.

SECTIO IV

De proprietatibus progressus dogmatici

Considerata essentia progressus dogmatici de eius proprietatibus tractandum est. Sub nomine proprietatum tractabimus :

1° De *formulis dogmaticis* (a. 11) ;

2° De progressu dogmatico *in comparatione ad traditionem* (a. 12) ;

3° De progressu dogmatico *in comparatione ad S. Scripturam* (a. 13) ;

4° De *diversis statibus* in progressu dogmatico (a. 14) ;

5° De *causis* evolutionis dogmatum (a. 15) ; et denique

6° De *analogiis* explicationis revelatorum (a. 16).

Ita principaliores quæstiones de qualitatibus, conditionibus, relationibus et legibus progressus dogmatici solventur.

ARTICULUS UNDECIMUS

DE FORMULIS DOGMATICIS

Plurima dogmata, præcipue sollemniter definita, præter simplicem propositionem et expositionem revelationis aliquam novam formulationem revelationis exhibent : ita divinitas Christi per formulam consubstantialitatis, incarnatio per formulam unionis hypostaticæ, præsentia eucharistica per conversionem substantialem definitur. Uti patet, huiusmodi formulatio super simplicem propositionem revelationis aliquid addit et in historico progressu dogmatico communiter punctum et centrum difficultatis constituit. Inde etiam speciali explicatione indiget,

præsertim ut obiectionibus Modernistarum, veterum et modernorum Protestantium satisfiat.

I. « Formula » significat vocem vel terminum determinatum, formulatio expressionem vel definitionem rei per terminum determinatum, « formulæ dogmaticæ » vel « formulatio dogmatica » significant expressionem, determinationem vel definitionem doctrinæ revelatæ (vel rei de qua est revelatio) per speciales terminos atque conceptus. Tamen non quicumque termini sed tantum termini technici et scientifici proprie formulæ vocari consueverunt, ut termini consubstantialitatis, personæ, sacramenti, etc. Ita etiam in scientia mathematica quibusdam formulis utimur quibus doctrinæ mathematicæ modo brevi, complexivo et cum perfectione scientifica exprimuntur.

Huiusmodi formulæ dogmaticæ secundum doctrinam expositam facile *explicantur*. Cum enim omnis progressus dogmaticus in quadam expositione, declaratione et explicatione revelatorum consistat, nihil interest utrum huiusmodi expositio vel determinatio per terminos et conceptus communes vel per terminos et conceptus scientificos fiat. *Formulatio dogmatica igitur* ita fiet quod *termini et conceptus quibus S. Scriptura vel traditio ad exprimendas res et doctrinas divinas utitur, in terminos et conceptus scientificos quasi vertuntur vel traducuntur*, « non novum fidei sensum novæ appellationis proprietate signanda[1] ». In qua re supponitur comparatio terminorum et conceptuum communium cum terminis et conceptibus scientificis et iudicium de eorum æquivalentia, ex quo novus modus prædicationis sequitur.

Ita formula consubstantialitatis præsupponit comparationem termini Filii Dei, Verbi et identitatis Patris et Filii cum termino consubstantialitatis, et simul iudicium quod huiusmodi prædicata sint identica vel æquivalentia : ex quo Filius Dei consubstantialis prædicatur.

Ex quo duo maxime notanda sequuntur : primo, formulatio dogmatica præsupponit tum doctrinam determinatam fidei, ex revelatione acceptam, tum notitiam terminorum vel conceptuum quibus doctrina fidei expri-

1. Vincent. Lerin., *Commonit.*, c. 23.

mitur : secundo, veritas et perfectio formulæ dependet tum a perfectione vel veritate doctrinæ fidei præsuppositæ tum a veritate et exactitudine termini adhibiti, vel etiam ab exactitudine notitiæ huius termini, tum denique a veritate iudicii de identitate vel æquivalentia utriusque termini vel conceptus. Certe formulatio dogmatica processum maxime complicatum dicit, ita quod quilibet error, immo defectus minimus in concipienda doctrina revelata et tradita, quælibet confusio circa terminum scientificum, quilibet defectus in iudicio ferendo, quasi necessario erroneam formulationem secum ferat, sive quod vera formulatio respuatur sive quod falsa formulatio acceptetur ; id quod eo magis patet si altitudo rerum revelatarum et communis obscuritas atque imperfectio conceptuum et terminorum nostrorum consideretur.

Inde et iam sufficienter explicatur quod controversiæ græcæ quasi omnes circa formulationes dogmaticas versentur, ut de consubstantialitate, de unione hypostatica, de una vel duabus naturis. Unde quam maxime formulatio dogmatica necessario per iudicium definitivum Ecclesiæ terminanda est : per quod vel falsæ formulationes reprobantur vel bonæ approbantur vel directe formulatio melior proponitur, uti in quasi omnibus definitionibus factum est.

Ita secundum doctrinam catholicam formulæ dogmaticæ difficultatem propriam vix præbent, et communiter sub ratione expositionis et determinationis doctrinæ revelatæ considerantur, ut a. S. Vincentio Lerinensi, a Scholasticis et a Concilio Vaticano. Eo magis formulæ dogmaticæ ab acatholicis impugnantur, sc. a Modernistis, Protestantibus et historicis rationalisticis, licet sub diversa ratione.

II. *Modernistæ possibilitatem* formularum dogmaticarum negant. Etenim secundum doctrinam agnosticismi conceptus scientifici nonnisi symbola sunt, vel rerum vel sensus religiosi, immo schemata quædam subiectiva et media formalia ad exprimendas et communicandas proprias impressiones. Formulationes igitur dogmaticæ facta religiosa neque explicant neque determinant. Uti patet, huiusmodi doctrina cum doctrina agnosticismi cadit. E

contra iam Concilium Vaticanum definierat : « ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quæsierit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur[1] ». Quæ « intelligentia » quandam cognitionem veritatum revelatarum secundum conceptus humanos importat, proindeque etiam formulationem : « secundum quod enim aliquid a nobis intellectu cognosci potest, sic a nobis potest nominari[2] ». Explicationem possibilitatis huius cognitionis habes apud theologos in tractatu de analogia nominum et de nominibus divinis[3], sicut et Concilium Vaticanum expresse « analogiam » inter res creatas et mysteria tanquam fontem intelligentiæ superioris indicat.

III. *Protestantes* veteres vel etiam moderni conservatores sicut etiam Iansenistæ et non pauci ex catholicis formulationes dogmaticas tanquam *inutiles* et religioni *extraneas* reiiciunt. Contra quos tamen dicendum est formulas dogmaticas correspondere inclinationi naturali hominis, esse moraliter necessarias et magnæ utilitatis pro religione.

Primo formulæ dogmaticæ *correspondent naturali inclinationi* intellectus humani. Sicut enim homo in qualibet scientia, in arte, immo in disciplinis practicis terminos technicos, præcisos et exactos sibi creat, maioris claritatis et facilioris usus causa, ita etiam in negotio fidei idem expetit : gratia enim naturam non tollit sed perficit. Inde iam ab initio christianismi, immo iam apud Apostolos, terminologiam quamdam reperimus quæ mox communiter fit recepta ; inde in tota historia Ecclesiæ tendentia spontanea et impulsiva ad formulandas veritates revelatas sese manifestat : quæ quidem tendentia secundum diversa

1. Sess. 3, c. 4, D. 1796.
2. S. Thomas, *S. Theol.*, I, q. 14, a. 1.
3. Cf. *Summa theol.*, I, q. 4, et 13 cum *Commentatoribus* ; Hugon, *Réponses théologiques* (Paris, 1908) : Les concepts dogmatiques, p. 131 ff. ; *Cursus phil. thomist.*, t. IV, p. 136 ss. ; t. V, p. 19 ss., 50 ss., 411 ss. ; t. VI, p. 79 ss. ; Garrigou-Lagrange, *Le sens commun, la philosophie de l'être et les formules dogmatiques* (Paris, 1909), et *Revue Thomiste*, 1908, p. 164 ss., 259 ss. ; A. Gardeil, *Rev. Thomiste*, 1904, p. 48 ss.

tempora et nationes diversas variatur. Inclinatio naturalis ad formulas in rebus fidei eo magis excitabatur quod revelatio sub forma metaphorarum et imaginum, et quidem linguæ, nationis et culturæ alienæ, esset tradita : omnino enim naturale erat ut quælibet natio vel cultura doctrinam fidei sibi mediantibus conceptibus propriis, et quidem optimis quibus gaudebat, exprimere conaretur[1]. Certe non parvæ levitatis est asserere formulas dogmaticas esse tantum ludibria theologorum[2].

Secundo formulæ dogmaticæ *necessariæ* sunt *ad refellendas hæreses ac fidem efficaciter inculcandam*. Hæreses enim communiter ex formulis erroneis originem ducunt vel in ipsis proprie consistunt : unde ad hæresim efficaciter refellendam necessarium est ut formula erronea damnetur ac formula vera ei opponatur. Ita doctrina ariana per formulam consubstantialitatis refutata est, errores circa modum incarnationis per formulam unionis hypostaticæ et errores circa vim ac rationem primatus Romani Pontificis per formulas Concilii Vaticani efficaciter superati sunt. Errores enim quicumque per solam negativam damnationem erroris vel per solam oppositionem terminorum ipsius revelationis non sufficienter reprimuntur, sed tantum per determinationem exactam doctrinæ oppositæ, i. e. per formulas dogmaticas quæ doctrinam revelatam omnino clare, distincte et determinate fidelibus proponunt. Inde in Conciliis hæreses quidem refutantur, sed simul novæ formulæ dogmaticæ definiuntur. Ita « ad inveniendum nova nomina antiquam fidem significantia coegit necessitas disputandi cum hæreticis[3] ». Deinde formulæ dogmaticæ iam ante hæresum existentiam necessariæ sunt, sc. ad evitandum vel saltem ad diminuendum

1. Modernistæ sicut alia facta ita etiam naturalem hanc inclinationem perverse interpretati sunt, quasi esset exclusive inclinatio vitalis ad propriam experientiam religiosam elaborandam et aliis communicandam, cum tamen sit inclinatio naturalis, a Deo homini indita, ad melius capiendam revelationem a Deo datam. Cf. *Syllabum Pii X*, prop. 22.

2. Optime Reinhold, *Prælect. Theol. fund.*, II, p. 30 ss.

3. S. Thomas, *Summa theol.*, I, q. 29, a. 3, ad 1. ; cf. I, q. 36, a. 2, ad 2 ; II. II, q. 1, a. 10 ad 1.

periculum hæresis. Defectus enim ipse formulationis, per conceptus præcisos et determinatos, immo scientificos, periculum fidei inducit cum interpretationibus erroneis campum aperiat, dum e contra formulæ exactæ huiusmodi periculum saltem diminuant. Cum igitur melius sit errorem evitare quam exortum damnare, Ecclesia, ut custos fidelis depositi fidei, omne studium adhibet, ut doctrinam fidei, in revelatione sub metaphoris et tropis sæpe propositam, magis clare et perspicue proponat ac ita errores præveniat[1]. Proinde mirum esse non potest, adversarios veræ fidei quam maxime formulas dogmaticas impugnare. Denique dignitas ipsius revelationis vel potius honor Dei revelantis omnino exigit ut doctrina a Deo revelata in forma perfectiori qua possit, hominibus exhiberetur. Sicut enim Deus nobis intellectum studio nostro perficiendum dedit, ita revelationem ut fideliter exponendam : id quod maxime per formulas dogmaticas fit.

Inde tertio, formulæ dogmaticæ sunt *utilissimæ* tum propter terminologiam fixam et determinatam tum propter maiorem facilitatem in determinanda et defendenda doctrina fidei tum denique propter instructionem populi christiani. Ita profectus dogmaticus præcipue et maxima ex parte per formulationes dogmaticas perficitur, immo formulæ dogmaticæ non immerito vis ac robur dogmatum vocantur[2]. Simul ex historia constat formulas novas fuisse initium et causam novi progressus et ulterioris explicationis fidei. Ita e. g. formula consubstantialitatis conditio fuit et ratio distinctionis divinarum personarum secundum originem et relationes[3]. Non igitur sine ratione formulæ dogmaticæ ab hæreticis quidem fuerunt impugnatæ, ab Ecclesia vero summo honore habitæ. De formulis dogmaticis præcipue valet illud dictum Vincentii Lerinensis : « Fas est ut prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur..., accipiant evidentiam, lucem, distinctionem[4]. » S. Thomas vero, respondendo ad obiectionem quod nomen vel formula personæ

1. Cf. Reinhold, *l. c.* ; Scheeben, *Dogm.*, I, 299.
2. Scheeben, *Dogm.*, I, p. 259 ss.
3. Athanasius, *De Synodis*, 40.
4. *Commonit.*, c. 23 (al. 30).

in S. Scriptura non reperiatur, optime et generaliter docet : « Licet nomen personæ in Scriptura Veteris et Novi Testamenti non inveniatur dictum de Deo ; tamen id quod nomen significat, multipliciter in Sacra Scriptura invenitur assertum de Deo... Si autem oporteret de Deo dici solum illa secundum vocem quæ Sacra Scriptura de Deo tradit, sequeretur quod nunquam in alia lingua possit aliquis loqui de Deo nisi in illa in qua primo tradita est Scriptura V. vel N. Testamenti. Ad inveniendum autem nova nomina, antiquam fidem de Deo significantia, coegit necessitas disputandi cum hæreticis. Nec hæc novitas vitanda est, cum non sit profana, utpote a Scripturarum sensu non discordans[1]. »

IV. *Tertia* difficultas contra formulas dogmaticas est *historicorum*. Obiiciunt enim, per formulationem secundum terminos vel conceptus scientificos, doctrinam evangelicam cum doctrina alicuius temporis *confundi* et in tertium quoddam corpus *coalescere*. Ita Modernistæ, duce Loisy *(Evangile et Eglise)*, præsertim tamen Harnack. Formula Harnackii dicit : dogma ortum est ex doctrina græcorum coniuncta cum Evangelio..., i. e. conceptus quibus mediantibus antiqui doctrinam evangelicam exprimere vel formulare conati sunt, cum ipsa conflati atque ad dignitatem dogmatis evecti sunt[2].

Huic affirmationi, quantum post prædicta adhuc opus est, tria opponimus. *Primo* falsum est *omnia* dogmata,

1. *Summa theol.*, I, q. 29, a. 3, ad 1, ab obiectionem quod secundum *Is.*, 1, 22, non est vino miscenda aqua, ita respondet : « Illi qui utuntur philosophicis documentis in S. Scriptura, redigendo in obsequium fidei, non miscent aquam vino, sed convertunt aquam in vinum » (*In Bœth., de Trinit.*, q. 2, a. 3, ad 5).

2. « Das Dogma ist in seiner Konzeption und in seinem Ausbau ein Werk des griechsischen Geistes auf dem Boden des Evangeliums..., d. h. die begrifflichen Mittel, durch welche man sich in der alten Zeit das Evangelium verständlich zu machen gesucht hat, sind mit dem Inhalt desselben verschmolzen und zum Dogma erhoben worden. » « Die kirchlichen Dogmen sind die begrifflich formulierten und für eine wissenschaftlich-apologetische Behandlung ausgeprägten christlichen Glaubenslehren. » *Dogmengesch.*, I[4], 321.

præcipue principalia et primaria, habere formulationem scientificam. Etenim symbolum Apostolicum doctrinam fidei per conceptus omnino communes exhibet ; idemque dicendum est de doctrina traditionis primi temporis. Unde immerito Harnack affirmat formulationem scientificam ad essentiam dogmatis pertinere[1]. Certe symbola atque alia documenta fidei temporis antiqui doctrinam fidei per terminos atque conceptus apud antiquos usitatos exprimunt, non tamen proprie per terminos scientificos illius periodi, id quod tantummodo succedentibus temporibus factum est. *Secundo* Harnack immerito *expressionem* atque determinationem doctrinæ christianæ secundum terminos atque conceptus scientificos *conflationem* quandam doctrinæ christianæ et philosophiæ græcæ vocat. Potest enim optime doctrina quædam diversis terminis vel conceptibus exprimi quin ex parte obiecti aliquid novi affirmetur. Harnack quidem opponit, non posse distingui inter doctrinam et formam eius *(Form und Inhalt)*[2] : id tamen experientiæ quotidianæ contradicit et unice in doctrina Kantiana de formis cognitionis aprioristicis et vacuis fundamentum quoddam, licet falsum, habet. Quodsi Harnack ulterius insistit, definitiones dogmaticas non tantum novam formam importare, concedimus ; dicunt enim simul explicationem quandam revelationis, uti dictum est, tamen explicationem obiectivam atque veram. Unde dogmata vetera quæ formulationem quandam exhibent, redolent quidem « spiritum græcum » inquantum secundum illos conceptus et terminos exprimuntur qui antiquis præsto erant, non vero quasi doctrinas græcas exhibeant. E contra est factum historicum, dogmata christiana de Deo Trino et Incarnato directe adversari polytheismo antiquorum atque quasi omnes controversias dogmaticas temporis antiqui ex philosophia græca ortas esse. *Tertio* denique Harnack omnino gratuito et contra omnem veritatem supponit doctrinam ipsam dogmatum antiquorum, non excepto symbolo Apostolico, in Evangelio non contineri, neque existentiam Dei creatoris neque

1. *L. c.*, p. 3, 4.
2. *L. c.*, I[4], p. 12 s.

divinitatem Christi neque Trinitatem personarum divinarum : id quod præsertim notent illi catholici qui minus caute sententiæ Harnackii subscribunt.

V. Quæ mox dicta sunt, valent etiam de systemate *syncretismi* cuius assertores tenent, doctrinas christianas haustas vel acceptas esse ex variis religionibus præexistentibus, ut ex polytheismo græco, ex buddhismo, etc., licet secundum spiritum novum modificatas. Argumenta enim quæ pro hac sententia afferuntur, communiter ex similitudine quarundam formularum doctrinæ, cultus vel vitæ religiosæ procedunt, consideratione differentiæ essentialis doctrinæ penitus neglecta. Nihil tamen obstat quominus doctrina et vita christiana quibusdam formis utatur quæ apud paganos vel iudaeis in consuetudine erant, dummodo omne periculum idololatriæ et superstitionis excluderetur.

Formulæ igitur dogmaticæ neque sunt pura symbola sensus religiosi vel transfigurationes factorum religiosorum, uti volunt Modernistæ, neque artificia arbitraria vel inutilia theologorum neque conglutinationes doctrinæ Christi cum scientia philosophica vel cum doctrinis religiosis antiquitatis, sed perfectæ quædam expositiones, declarationes et explicationes revelatorum. Unde formulationes gloria quædam periodi merito censentur, definitiones veterum Conciliorum temporis antiqui, formulæ conciliorum medii ævi theologiæ scholasticæ, formulationes perfectissimæ temporis recentioris theologiæ modernæ. Maxima tamen et præcipua laus magisterio Ecclesiæ debetur quod formulas falsas proscripsit, veris viam paravit ac denique formulas iam extantes ultimo corexit atque perfecit[1].

VI. Ex dictis tria *corollaria* sequuntur, primum quan-

1. Quæ diximus, de formulis dogmaticis ab Ecclesia iudicio definitivo sancitis dicta sunt. Servata tamen proportione idem valet de formulis a theologis exaratis atque plus minusve ab Ecclesia approbatis. Unde non sine iniuria vel saltem levitate, et communiter ex suppositis falsis doctrinis, quidam theologi formulas scholasticorum derident, vilipendunt atque derelinquunt.

tum ad valorem formularum dogmaticarum, alterum quantum ad officium historiæ dogmatum circa illas, tertium quoad officium theologiæ dogmaticæ. Cum formulæ dogmaticæ sint expositiones et explicationes revelatorum, ab Ecclesia infallibili iudicio sancitæ, sunt simpliciter *veræ* atque *immutabiles*. Unde concilium Vaticanum doctrinam Guentheri damnavit quæ tenet, formulas ab Ecclesia sancitas esse tantum aptiores vel magis correspondentes conditioni scientiæ alicuius temporis adeoque tantum relative, non vero absolute veræ. « Hinc sacrorum dogmatum is sensus perpetuo est retinendus quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiæ specie et nomine recedendum[1] », et fieri non potest, « ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia[2]. »

Quibus tamen non excluditur, veritates revelatas decursu temporis semper *novis formulis* exprimi posse, non quidem sibi contradicentibus sed eandem doctrinam secundum eundem sensum *diversimode* exprimentibus : immo in hoc præcipue profectus dogmaticus consistit quod una eademque veritas revelata successu temporis sub diverso respectu magis determinetur, efficacius defendatur, plenius explicetur et sic perfectius formuletur. Cum enim formulatio dogmatica communiter fiat per terminos abstractos, quælibet formula rem revelatam tantummodo sub determinato quodam respectu exprimit nec totam veritatem revelatam exhaurit. Ita consubstantialitas non exprimit, saltem explicite, totam habitudinem Filii ad Patrem, nec unio hypostatica totam veritatem Incarnationis. Unde tum successive tum etiam simul diversæ formulæ dogmaticæ circa eandem veritatem habentur. Ita concilium Vaticanum primatum Romani Pontificis pluribus formulis determinat, sc. quod Romanus Pontifex sit princeps et caput visibile Ecclesiæ, quod habeat primatum iurisdictionis, plenam et supremam potestatem, totam plenitudinem supremæ potestatis, potestatem ordinariam et

1. Sess. 3, c. 4, D. 1800.
2. *L. c.*, can. 3.

immediatam, etc. Multo magis in processu explicationis et in ipsa traditione diversas formulas reperimus, ut in cap. seq. ostenditur.

Tamen notandum est formulas dogmaticas esse infallibiliter veras ac immutabiles *secundum sensum ab Ecclesia definitum*. Iamvero termini scientifici, sive secundum se considerati sive ut applicati ad res revelatas exprimendas, diversis temporibus et a diversis hominibus in diverso sensu accipiuntur, uti circa terminos οὐσια, ὑπόστασις, φύσις, ἀγέννητος, ἀγέννητος, etc. accidit. Inde in processu formulationis eadem doctrina a diversis formulis diversis exprimi potuit, usquedum per Ecclesiam formula definitiva sanciretur : ita Concilium quoddam particulare Antiochenum terminum ὁμοούσιος reiiecerat qui postea a concilio Nicæno fuit definitus[1] ; similiter circa alias doctrinas[2]. Præsertim mox una, mox alia formula proposita atque accepta fuit a singulis doctoribus[3]. Immerito igitur historici rationalistici inde doctrinæ mutationem inferunt.

Denique non prætereundus est *diversus modus significandi* eiusdem termini *in lingua græca et latina*. Ita latini simpliciter Spiritum Sanctum a Patre *Filioque* procedere docent, græci vero dicunt Spiritum Sanctum procedere a Patre *per* Filium, quia vox græca ex ἐκπορεύεσθαι non tantum originem, sed originem primarium consignificat. Unde græci dicunt Spiritum S. procedere a Patre qui est principium sine principio, et procedere a Patre per Filium qui est principium a principio ; latini vero simpliciter dicunt, Spiritum S. procedere a Filio, quippe, quia Filius est principium Spiritus Sancti[4].

VII. Secundo ex dictis *officium historiæ dogmatum* determinatur cuius sc. erit, facta et causas in processu formulationis dogmatum investigare et exponere. Erit enim

1. Vide Tixeront, *Histoire des dogmes*, I[5], 432, II, 34.

2. Cf. e. g. can. 22, Conc. Araus. (D. 195) et prop. 27. Baii (D. 1027).

3. Cf. E. Dublanchy, in *Dictionnaire de théol. catholique*, v. « Dogme », col. 1602-1606 ; Pinard, in *Dict. apol.*, v. « Dogme », col. 1149-1151.

4. Cf. I. Slipyi, die Trinitätslehre des... Photios (1921), p. 24 s.

statuendum : quænam formulæ dogmaticæ decursu temporum exaratæ sint ; quænam doctrinæ revelatæ (traditionis vel Sacræ Scripturæ) formulis expressæ sint ; quænam fuerint causæ et conditiones huius formulationis ; undenam termini vel conceptus formales accepti sunt ; quænam modificationes termini et conceptus intervenerint ; quænam iudicia et controversiæ formulationem definitivam præcesserint ; quo modo post definitionem formula quædam exposita fuerit ; qualem influxum formula semel definita vel reiecta in ulteriorem progressum habuerit ; etc. Difficultas talis inquisitionis neminem latet, minime certe expertos in arte. Tamen investigatio formulationis successivæ veritatum revelatarum officium *proprium* historici *catholici* esse videtur : hac enim via maxime ostendet, processum dogmaticum non importare mutationem, corruptionem, defigurationem vel transfigurationem doctrinæ originalis sed tantum explicationem vel determinationem per formulas æquivalentes. Tantum notandum est, iudicium de æquivalentia formularum cum doctrina præsupposita proprie ad theologiam dogmaticam et ultimo ad magisterium infallibile Ecclesiæ pertinere : sufficit ergo historico ostendere *historiam* formularum, modo mox exposito.

VIII. Tertio notitia historica diversimodæ formulationis doctrinæ christianæ in diversis periodis et apud singulos doctores, theologos vel scholas, *theologiæ dogmaticæ*, præcipue nostri temporis, *grave officium* imponit. Historia enim dogmatum mirabilem quandam multiplicitatem ac diversitatem formulationum doctrinæ christianæ ostendit, quæ a theologis prioribus minus fuit cognita vel saltem considerata. Unde officium proprium theologiæ modernæ erit : ostendere æquivalentiam formularum singularum, ostendere continuitatem et identitatem doctrinæ in mutatione formularum, ostendere præsertim æquivalentiam formularum definitarum cum formulis successivis traditionis. Fructus huiusmodi tractationis erit maximus : argumentatio theologica vim ac efficaciam omnino maiorem habebit ; dogmata sub diverso respectu considerabuntur ; multæ doctrinæ, sive Patrum sive doctorum et scholarum, primo aspectu discrepantes, tanquam omnino

consonantes manifestabuntur vel saltem facilius conciliabuntur ; doctrinæ diversæ scholarum speciem diversimodæ, non vero oppositæ, formulationis doctrinæ fidei induent ac inde via ad controversias plurimas componendas parabitur.

Audeo breviter asserere : consideratio assidua ac subtilis diversimodæ formulationis est clavis pro investigatione fructuosa doctrinæ S. Scripturæ, Conciliorum, SS. Patrum ac theologorum[1].

ARTICULUS DUODECIMUS

DE PROGRESSU DOGMATICO IN COMPARATIONE AD TRADITIONEM

I. Hucusque generaliter de explicatione *revelatorum* tractavimus, quorum summa nomine depositi fidei significatur[2]. Depositum tamen fidei in duobus locis formaliter et materialiter distinctis continetur, in Sacra Scriptura et in traditione divina. Ut igitur proprietatem explicationis revelatorum magis determinemus, eam specialiter in comparatione ad S. Scripturam et traditionem considerabimus, et quidem primo in comparatione ad traditionem, quippe quæ secundum originem prior est S. Scriptura.

II. Sub nomine traditionis[3], *hic* intelligimus *doctrinas*

1. Quam maxime doctrina S. Thomæ exacte determinari ac intelligi nequit nisi habita consideratione diversimodæ formulationis doctrinæ ante S. Thomam, apud illum ipsum, et in scholis posterioribus. Quot controversiæ cessarent, si termini et formulæ S. Thomæ ab omnibus rite intelligerentur nec sensus posterioris formulæ ipsis supponeretur !

2. *I Tim.*, 6, 20 ; *II*, 1, 14 ; Vatic., sess. 3, c. 4, D. 1800 ; sess. 4, c. 4, D. 1836 ; cf. Vinc. Lerin., *Commonit.*, c. 22.

3. De notione traditionis, præter tractatus in libris theologiæ apologeticæ vel dogmaticæ et in lexicis, videsis : Schrader C., *De theologico testium fonte deque edito fidei testimonio seu traditione ;* Franzelin, *De traditione* ; Card. Billot, *De s. immutabilitate traditionis contra novam hæresim evolutionismi*[2], Romæ, 1907 ;

revelatas, oretenus a Christo Domino et Apostolis Ecclesiæ traditas.

Vox traditionis multiplici sensu accipitur. Generaliter significat, quidquid a prioribus accipitur, traditur : ita de consuetudinibus, bonis, doctrinis traditis loquimur. Doctrinæ traditæ distinguuntur in naturaliter cognitas (traditio philosophica) et per revelationem acceptas (traditio divina). Quantum ad doctrinas revelatas iterum distinguendum est inter *communicationem* oralem revelationis (traditio activa) et *doctrinas* ipsas oraliter traditas (traditio passiva). Traditio igitur passiva divina, complete sumpta, comprehendit totam summam veritatum fidei, a Christo Domino et Apostolis Ecclesiæ oretenus traditarum. Ab hac distinguitur traditio *constitutiva* quæ tantum illas veritates comprehendit quæ *extra* S. Scripturam oretenus sunt traditæ vel communicatæ. Pro historia dogmatum tamen primarie et principaliter non tantum traditio constitutiva, sed traditio (passiva) completa et totalis consideranda venit[1]. In ipsa denique traditione passiva vel summa veritatum oretenus traditarum distinguendum est inter constitutionem ipsam huius traditionis et transmissionem vel conservationem ulteriorem in tempore sequenti. Potest enim summa veritatum revelatarum considerari, tum prout primo est communicata Ecclesiæ, tum prout postea temporibus succedentibus in Ecclesia est conservata vel extat. Theologia recentior pro magna parte sub nomine traditionis intelligit doctrinam traditam, *prout* sub *magisterio infallibili Ecclesiæ in Ecclesia extat*, vel, ut Franzelin, « doctrinam fidei universam quatenus sub assistentia Spiritus Sancti in consensu custodum depositi fidei... continua successione conservatur atque in professione et vita totius Ecclesiæ sese exerit[2]. » Pro nostra

Bainvel, J. V., *De magisterio vivo et traditione*, Paris, 1905 ; De San, *De traditione et scriptura*, 1903 ; Van Noort G., *De fontibus revelationis*[3], 1920, c. 2 ; Winkler, M., *Der Traditionsbegriff bis Tertullian*, Munchen, 1897 ; Hugueny, E., *La tradition*, in *Revue des sc. ph. et th.*, 1912, p. 710-731 ; Adhémar d'Alès, *La tradition chrétienne dans l'histoire*, *Etudes*, 1907, p. 388-392.

1. Cf. Kleutgen, *Theologie der Vorzeit*, V[2], 405.
2. *De divina traditione et Scriptura*, th. 1-4 ; th. 11, p. 90.

tamen consideratione magis expediens erit ut distinguamus inter traditionem primitus constitutam et eius transmissionem in tempore sequenti[1]. Inde sub nomine traditionis hic simpliciter doctrinas oretenus Ecclesiæ communicatas intelligimus.

III. A S. Scriptura traditio dupliciter distinguitur : primo *formaliter* : inquantum S. Scriptura verbum Dei in forma Scripturæ a Deo divinitus inspiratæ continet, traditio vero oretenus communicata et primitus in cordibus et mentibus fidelium consignata fuit ; secundo *materialiter*, sc. quantum ad doctrinas quas continent : in traditione enim divina continentur omnes veritates fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentes, totum depositum fidei[2], non tamen omnia facta particularia, quæ tantum ad manifestationem credibilium sunt revelata vel in S. Scriptura continentur ; S. Scriptura vero secundum fidem catholicam non continet omnes veritates per se revelatas vel ad depositum fidei pertinentes, exhibet tamen multa in ordine ad depositum fidei credibilia, utpote omnia facta historica, quæ in Scriptura inspirata narrantur[3].

IV. Christus Dominus doctrinam suam oretenus communicavit, quæ doctrina ab ipso tradita fundamentum traditionis constituit (= traditio divina). Apostoli huiusmodi doctrinam Christi primo Ecclesiæ transmiserunt, adiunctis revelationibus quas adhuc de novo acceperunt (= traditio divino-apostolica). Post mortem igitur ultimi Apostoli certa quædam summa veritatum revelatarum in Ecclesia extabat, quæ sive universæ Ecclesiæ sive parti ipsius oretenus erat communicata : quam nomine traditionis significamus.

V. Circa huiusmodi traditionem, quantum ad historiam

1. Ita Concil. Trid., distinguit inter « traditiones ipsas tanquam oretenus a Christo vel a Spiritu S. *dictatas* et continua successione in Ecclesia catholica *conservatas*. » Sess. 4, D. 783.

2. Cf. J. Berthier, *De locis theologicis*, p. 29-36 ; San, *De trad.*, p. 101 ss. ; 123 ss.

3. Cf. supra, a. 2, n. 3, lit. c.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

dogmatum pertinet, sequentes notandi sunt errores. *Protestantes* veteres negant, in traditione contineri doctrinas quæ non simul in S. Scriptura fuerint consignatæ (negant traditionem constitutivam, admittentes tantum traditionem explicativam vel inhæsivam)[1], simul tamen affirmant, traditionem primariam in transmissione fuisse immutatam atque corruptam. *Rationalistæ* negant, in traditione contineri veritates divinitus revelatas, quæ hæresis est fundamentum historiæ dogmatum et historiæ comparativæ religionum Rationalistarum et Modernistarum. Inter catholicos *Guenther* sententiam propugnaverat, traditionem Ecclesiæ constitui per interpretationem factorum Christi ex parte Apostolorum, ita quod Apostoli non tantum ea enuntiarint quæ viderant vel audierant, sed magna ex parte tantum doceant quomodo facta historica Christi intellexerint vel interpretati fuerint. *Modernistæ* denique cunctos huiusmodi errores confundentes tenent, doctrinam primitus a Christo traditam fuisse imaginem quandam sensus religiosi Christi, in ulteriori transmissione defiguratam et transfiguratam, secundum sc. conditionem scientiæ singulorum temporum et necessitates conscientiæ et sensus religiosi. Determinabimus igitur primo de *constitutione* ipsa traditionis divinæ, secundo de *transmissione* traditionis iam constitutæ.

VI. *Modernistæ* directe *possibilitatem traditionis doctrinalis constituendæ* impugnant. « Enimvero modernistæ sic traditionem intelligunt ut sit originalis experientiæ quædam cum aliis communicatio per prædicationem ope formulæ intellectivæ. Cui formulæ intellectivæ, præter vim, ut aiunt, repræsentativam, suggestivam quandam adscribunt virtutem, tum in eo qui credit, ad sensum religiosum forte torpentem excitandum instaurandamque experientiam aliquando habitam, tum in eis qui nondum credunt, ad sensum religiosum primo gignendum et experientiam producendam[2]. » Unde *Loisy* tenet, in Evangeliis

1. Optimam expositionem status quæstionis videsis apud Van Noort, *De fontibus revelationis*[3], p. 94-97.
2. Encyclic. *Pascendi*, D. 2083.

(quæ ipsi traditionem repræsentant) ex verbis Christi nil remansisse nisi resonantiam quandam debilem atque confusam, remansisse impressionem quandam generalem et quædam effata principalia, secundum tamen modum quo ab auditoribus intellecta atque gustata essent, ac denique motum illum religiosum cuius Christus fuit auctor[1]. Ita secundum Modernistas nulla existeret traditio divina, verbis et doctrinis ipsius Christi constituta.

Attamen impossibilitas traditionis doctrinalis omnino gratuito asseritur. Certe a priori nihil obstat quin doctrinæ ab aliis propositæ ab auditoribus conserventur ; unde in historia quamplurimæ traditiones doctrinales extant. Neque obiici potest id fieri non posse quoad doctrinas religiosas : e contra quæcumque religio historica traditiones suas doctrinales exhibet atque in ipsis principaliter fundatur. Tota denique ratio Modernistarum in doctrina supposita consistit, religionem esse tantum motum quendam cæcum sensus religiosi.

VII. Similiter opinio *Guentheri* merito a Conc. Vaticano reiecta est, quasi sc. apostoli a Christo Domino tantum ideas quasdam *principales* acceperint, quas deinde, sicut et facta Christi, suo modo interpretati fuerint. Nam : « quod audivimus et vidimus, annutiamus vobis », docet Apostolus (*I Joh.*, 1, 3). Denique reiicienda est opinio quorundam doctorum catholicorum qui magisterium Christi principaliter in actione et exemplo collocant atque exinde originem traditionis explicare volunt. Certe Evangelia contrarium insinuant. Si Christus Apostolos de rebus minimis diligentissime instruxit, cur de Sacramentis, de Primatu aliisque rebus minus instruxisse supponitur ?

Hoc unum contra hos omnes non tam concedendum quam affirmandum est, Christum Apostolos non exclusive per modum doctrinæ *abstractæ* docuisse, sed præcipue per metaphoras, per similitudines, per exemplum et modo practico : talibus enim mediis homines edocentur[2]. Notandum quoque est, Evangelia præsertim ea narrare quæ Christus

1. *Evangile et Eglise*, p. 9.
2. Cf. H. Pinard, in *Dict. Apol.*, v. « Dogme », col. 1153-1157.

in vita sua *passibili* fecit et docuit, cum Apostoli nondum omnia portare valerent.

VIII. Remotis igitur præiudiciis, constitutio traditionis divinæ et apostolicæ facile intelligitur. Cum enim Christus Dominus in cœlum ascenderet, doctrinam salutis oraliter apostolis communicaverat, quam doctrinam postea Apostoli (simul cum novis revelationibus quas adhuc acceperunt) iterum oraliter Ecclesiæ tradiderunt. Itaque per istam prædicationem traditio divina in Ecclesia est constituta, secundum mandatum Domini : « *Docete* omnes gentes... *docentes* eos servare omnia quæcumque mandavi vobis[1] ». Quodsi hæc traditio oralis postea (saltem ex parte) etiam per modum Scripturæ inspiratæ Ecclesiæ communicata est, traditio ipsa oralis inde non immutata fuit.

Hoc sensu Concilium Tridentinum tenet Evangelium, « quod, promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, *proprio ore* primum promulgavit ; deinde per suos Apostolos... omni creaturæ *prædicari* iussit », et veneratur « traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel *ore tenus* a Christo vel a Spiritu Sancto *dictatas*[2] » ; similiter concilium Vaticanum identificat depositum fidei et « traditam per Apostolos revelationem[3] ».

IX. Similiter *conservatio* et ulterior *transmissio* traditionis constitutæ possibilis est, et quidem integra et immutata. *Protestantes* tanquam medium unicum huiusmodi transmissionis *S. Scripturam* assignant. Atque certe S. Scriptura præcipuum locum in transmittenda ac conservanda traditione divina tenet, tum ut *scriptura*, ex natura sua stabilis ac facilis aditu, tum præcipue ut scriptura divinitus *inspirata* quæ ut verbum Dei certitudinem absolutam præbet. Unde S. Scriptura etiam a catholicis tanquam medium præcipuum traditionis conservandæ admittitur. Attamen S. Scriptura non est medium unicum

1. *Mt.*, 28, 19. 20.
2. Sess. 4, D. 783.
3. Sess. 4, c. 4, D. 1836.

vel absolute sufficiens, nec materialiter nec formaliter : non materialiter, quia non continet totum depositum fidei, i. e. non omnem veritatem revelatam ; non formaliter, quia S. Scriptura ipsa iterum conservatione ac transmissione, et præcipue interpretatione indiget. Doctrina enim quædam proprie et formaliter non nisi per mentem humanam inter homines conservari ac transmitti potest ac scriptura tantummodo ut signum vel expressio mentalitatis vel ut adiumentum extrinsecum intervenit. Itaque Scriptura sacra est quidem documentum clarissimum traditionis divinæ et medium efficacissimum conservationis et transmissionis eiusdem, sed insuper medium vel organum vivum, humanum præexigit.

Modernistæ tanquam huiusmodi organum *conscientiam* religiosam *collectivam* adducunt. Verumtamen doctrina Modernistarum extra quæstionem est, cum nullam doctrinam *divinitus* revelatam, nisi forte in sensu pantheistico, admittant ; deinde rem non explicat, cum conscientia collectiva sit fructus vel effectus, non vero medium vel organum traditionis transmittendæ ideoque alia media præsupponat ; deinque Modernistæ omnibus viribus non tam conservationem quam defigurationem ac transfigurationem proclamant.

Ratio absolute certa conservationis et transmissionis fidelis et integræ est *infallibile magisterium* Ecclesiæ in custodiendo fidei deposito, per assistentiam Spiritus Sancti, Ecclesiæ, et principaliter capiti Ecclesiæ, Romano Pontifici, promissam. Doctrinam de huiusmodi magisterio, sive ordinario sive solemni, hic tanquam notam supponimus. Unum tantum considerandum suscipimus. Sicut sc. infallibilitas in definiendis dogmatibus media humana non excludit, ita infallibilitas in traditione divina conservanda et transmittenda non excludit quin depositum fidei per media humana, modo humano et secundum conditionem humanam transmittatur.

X. *Media* humana ad doctrinam divinitus traditam conservandam ac ulterius transmittendam ad *triplex genus* reduci possunt[1]. Doctrina enim conservari et transmitti

1. Cf. Van Noort, *De fontibus revelationis*[3], n. 158-175.

potest : vel per ulteriorem transmissionem *oralem* et doctrinalem vel per transmissionem *practicam* vel per monumenta *scripta*. Quodlibet ex his tribus generibus iterum varios modos admittit. Ita transmissio oralis fit per prædicationem, per instructionem religiosam, per definitiones magisterii Ecclesiæ, per expositionem doctrinalem, per inductionem et exhortationem ad vitam christianam, secundum doctrinam traditam agendam ; transmissio practica fit per ipsam vitam christianam, institutam secundum exempla veterum et ad normam doctrinæ traditæ, per cultum, tanquam exercitium et confessionem doctrinæ fidei, per sacramentorum administrationem secundum præscripta tradita fidei ; transmissio traditionis oretenus acceptæ per monumenta scripta habetur in symbolis et definitionibus dogmaticis scriptis, in actis Conciliorum, Summorum Pontificum et Episcoporum, in libris liturgicis, in actis martyrum, in scriptis SS. Patrum et theologorum, in variis documentis et monumentis historiæ ecclesiasticæ, etc.

Huiusmodi mediis traditionis divinæ transmittendæ etiam *Scriptura* Sacra adnumeranda est. Licet enim ut *inspirata* habeat vim ac rationem a traditione independentem, sc. ut verbum Dei ipsius, qui est auctor principalis S. Scripturæ, tamen *ratione* materiæ vel *doctrinæ* quam exhibet, doctrinam traditionis refert atque continet, saltem ex parte, atque ad huiusmodi doctrinam, primitus oretenus communicatam, ulterius transmittendam, divinitus ordinatur. Unde, quantum ad res fidei et morum, S. Scriptura proprie rationem medii ad traditionem divinam transmittendam habet. Denique inspiratio divina non excludit quin doctrina s. Scripturæ ex traditione divina sit hausta : id quod e contra per ipsam s. Scripturam quam maxime insinuatur.

Quæ media varia et multiplicia non se excludunt ad invicem, sed e contra mutuo connectuntur atque ad invicem se adiuvant. Ita una eademque doctrina, immo totum depositum fidei, tum oretenus tum per praxim tum per scripturam conservari et transmitti potest. Doctrinæ enim quæ proprie fidei vel speculativæ dicuntur, licet ex natura sua proxime per prædicationem, doctrinam ac definitionem

transmittantur, sive oretenus sive in scriptis, tamen simul ex natura sua ad praxim sunt deducendæ. Ita doctrina fidei de Deo uno et trino, de divinitate Christi, de constitutione Ecclesiæ exigebat mutationem vitæ ethnicæ vel iudaicæ in vitam christianam, professionem fidei christianæ, non tantum verbis sed et factis, usque ad martyrium, adorationem Christi, cultum christianum, susceptionem sacramentorum, obedientiam erga præpositos Ecclesiæ, quibus omnibus doctrina fidei manifeste transmittebatur, certe non minus efficaciter quam per doctrinam proprie dictam. Res vero morum adhuc magis per praxim observantur ac intimantur, licet ista praxis iterum doctrinam supponat vel includat, cum fideles ac Ecclesia vitam suam secundum doctrinam traditam ac revelatam dirigant ac instituant.

Itaque constitutio, conservatio et transmissio traditionis divinæ, abstractione facta ab infallibilitate Ecclesiæ, iam per media humana, secundum conditionem humanam et modo historico, sufficienter explicari potest.

XI. Iisdem ex rationibus iam secundum conditiones humanas et secundum modum historicum considerandi *mutatio vel corruptio* traditionis *excluditur*[1]. Nam primo traditio non potuisset simul corrumpi in transmissione orali, scripta et practica. Secundo doctrinæ traditæ ut divinitus revelatæ adeoque ut de necessitate salutis credendæ tenebantur, ita ut quælibet mutatio tanquam nefaria excluderetur — inde illæ pugnæ acerrimæ circa quæstiones fidei. Tertio doctrinæ quæ directe vel indirecte modum vivendi determinant, mutari non possunt sine magna controversia et resistentia multorum. Denique mutatio non simul in tota communitate christiana fieri potuit ; si vero in aliqua parte tantum, altera pars statim reclamasset — sicut et de facto accidit quandocumque quæcumque doctrina per hæreticos negata vel corrupta fuit.

Itaque corruptio traditionis a priori non est admittenda, sed potius excluditur et certe strictissime est probanda.

1. Cf. San, *De trad.*, p. 18 ss.

Iamvero novimus historiam transmissionis traditionis, novimus historiam controversiarum, etiam minimarum, novimus quæstiones causatas per hæreses, per doctrinas theologorum, per praxim ecclesiasticam : quæ historia nobis quidem ostendit in Ecclesia successivam propositionem et explicationem simul ac diversimodam formulationem doctrinæ traditæ, non vero immutationem vel corruptionem ; corruptionem vero historia ostendit in diversis hæresibus ab Ecclesia reiiectis et damnatis. Protestantes quidem omnibus viribus mutationes factas ostendere conantur, attamen inter se quam maxime discrepant : id quod est signum fictionis historicæ ; modernistæ vero « defigurationes ac transfigurationes » potius supponunt vel saltem ex falsis præsuppositis deducunt.

XII. Adversarii ad hypothesim *immutationum « insensibilium »* confugiunt. Attamen hæc hypothesis omni fundamento historico caret, immo in luce plena historiæ dogmatum, hæresum, disputationum et controversiarum theologicarum prorsus ridicula apparet. Historici quidem acatholici plures mutationes doctrinæ fidei probare conantur, quæ tamen non fuerunt mutationes et certe non insensibiles, sed e contra maxime sensibiles, ut historia dogmatum ostendit. Mutatio enim doctrinæ fidei, ex propria natura et conditione, uti iam ostendimus, « insensibilis » esse nequit, sed e contra necessario cum magnis controversiis coniuncta est.

Ita corpus humanum vel sanitas corporis potest quidem *aliqualiter* immutari quin homines mutationem talem statim animadverterint ; tamen corpus vel sanitas non potest insensibiliter *proprie* mutari, ita sc. ut corpus desinat esse vivum vel sanitas pereat : morbus enim gravis et multo magis mors hominis certe non sunt mutationes « insensibiles ». Similiter circa doctrinam traditam quædam mutationes accidere possunt quin mutatio statim animadvertatur ; cum vero huiusmodi mutatio in corruptionem doctrinæ traditæ vergere inceperit, necessario percipitur. Inde variæ hæreses ab initio parum considerabantur ; cum vero ad negationem doctrinæ traditæ processissent, factæ sunt manifestæ et impugnatæ.

Denique mutationes doctrinæ quas adversarii, sive Protestantes sive Rationalistæ sive Modernistæ, fingunt accidisse, sunt tam fundamentales et substantiales (ut de Trinitate personarum divinarum, de divinitate Christi, de constitutione hierarchica Ecclesiæ, de primatu Romani Pontificis, etc.), ut ex natura sua insensibiliter accidere non potuerint.

E contra mutationes doctrinæ traditæ et revelatæ quæ in hæresi gnostica, ariana, nestoriana, monophysitica, protestantica, modernistica intervenerunt, fuerunt maxime « sensibiles », ut iterum historia Ecclesiæ et dogmatum testatur.

Mutatio igitur vel corruptio, defiguratio vel transfiguratio traditionis, sive sensibilis sive insensibilis, tum per naturam traditionis tum per documenta historica excluditur. Licet certitudo absoluta transmissionis et conservationis integræ et immutatæ tantum per infallibilitatem Ecclesiæ divinitus promissam habeatur, nihilominus simul ut factum historicum constat, inquantum Ecclesia traditiones ex parte sua per media humana et proportionata conservat atque transmittit[1]. Inde conservatio et transmissio traditionis propriissime factum historicum constituit cuius modus, causæ et conditiones determinari possunt

1. Quantum ad conservationem traditionis per assistentiam Spiritus Sancti optime Canus notat : « Ridiculum est credere apostolicas traditiones non eadem fide ac diligentia posse in cordibus fidelium asservari ac si in papyro scriberentur. Nam nec scriptura Spiritus Dei vivi facilius quam attramenti deletur, et sunt plerique traditiones quas more et usu facillime videas retineri. Quod si Christi providentia Ecclesiæ Christi deest, tum vero nec traditiones asservatas ego defendo nec certam Scripturæ auctoritatem : utraque enim iuxta res sine Dei procuratione non constat » (*De locis theologicis*, l. 3, c. 7). Similiter Van Noort optime animadvertit : « Conservatio traditionis immerito proponitur ut res perquam ardua ; siquidem traditio non est concipienda ut longa indigestaque congeries propositionum memoria retinendarum, sed potius ut summa fidei vitæque christianæ quæ quotidiana professione, usu liturgico et disciplinari, ipsisque moribus christianis maxima parte continetur, et pro locorum ac temporum necessitatibus diversimode exprimitur atque in dies magis declaratur. » *De fontibus revelationis*[3], p. 106.

ac debent : id quod quatuor conclusionibus præstare conabimur.

XIII. **Conclusio I. Transmissio veritatum traditarum non necessario neque exclusive mediantibus illis formulis fit quibus veritates primitus traditæ fuerunt, sed necessitate quadam morali veritates primitus traditæ in alias atque alias formulas quodammodo vertuntur, iuxta conditionem et necessitatem singulorum temporum ;** ita eadem quidem veritas semper transmittitur, diversimode tamen formulata.

Iam *Apostoli* verbum Evangelii non tantum in linguam græcam, sed simul in conceptus et formulas græcas verterunt : sufficit ad hoc comparare aliqua capitula sermonum Domini cum epistulis S. Pauli. Evangelia e. g. Christum sub forma Messiæ, Filii hominis, vitis, pastoris, etc., repræsentant, Paulus sub forma Domini, salvatoris et capitis ; evangelia incarnationem describunt sub forma missionis et adventus Filii Dei in mundum, Paulus sub forma apparitionis Dei (*Tit.*, 3, 4).

Immo si comparamus epistolas Pauli, Petri, Iohannis et Jacobi ad invicem, easdem doctrinas iterum sub diversis formis reperimus. Ita per Apostolos doctrina evangelica integra quidem, sed sub formis novis tradita et prædicata est, adaptata quodammodo ad capacitatem et necessitatem græcorum, traducta ex stylo divino Christi in stylum humanum, ex forma semitica in formam græco-latinam.

Quæ prima communicatio et transmissio doctrinæ evangelicæ Christi *typus* fuit et exemplar ulterioris transmissionis doctrinæ traditæ : sicut enim Apostoli evangelium in formis correspondentibus necessitati paganorum annuntiaverunt, ita Ecclesia in decursu temporum doctrinam traditam et ab Apostolis acceptam sub novis formis proposuit, secundum quod necessitas vitæ, inclinatio hominum, dignitas verbi Dei et perfectio cognitionis id secum ferebat[1].

Sicut enim conditio intellectualis et religiosa græcorum

1. Habetur quidem differentia in hoc quod Apostoli erant inspirati, ecclesia vero tantum infallibilitate pollet.

et latinorum alia fuit a conditione Iudæorum quibus Dominus locutus est, ita et postea diversis temporibus alia atque alia fuit conditio populorum christianorum. Unde et in tempore sequenti doctrina christiana non simpliciter vel quasi mechanico modo ulterius tradi potuit, sed in tota historia Ecclesiæ continuus quidam processus dogmaticus reperitur, non tantum quoad hoc quod doctrina magis explicetur, sed etiam quod semper novis formulis formuletur.

Ita doctrinam de primatu Petri S. Ignatius Antiochenus sub hac forma tradit quod Ecclesia Romana præsideat cœtui caritatis[1], S. Irenæus quod ipsa habeat maiorem principalitatem, ita quod ad eam omnem Ecclesiam convenire oporteat[2], id quod S. Cyprianus romano modo ita tradit quod communicare cum Romano Pontifice sit communicare cum Ecclesia Christi, vel quod Romana Ecclesia sit radix et matrix unitatis catholicæ[3]... et sic usque ad formulas concilii Vaticani. Similiter doctrina de incarnatione vel divinitate Christi formis differentibus enuntiatur, sub forma sc. apparitionis Dei, assumptionis, mixtionis, unionis... usque ad formulam de unione hypostatica.

Optime *A. Möhler* rem exponit[4]. « Postquam verbum divinum, ait, in fidem hominum transierat, necessario in sorte hominum communicavit : sicut per intellectum humanum suscipiebatur, ita per illum conservabatur et transmittebatur. Quam legem iam Evangelistæ sequuntur... Multo magis Apostoli : nam exortis variis quæstionibus responsio dari non poterat absque iudiciis, conclusionibus et formulis propriæ rationis. Ita necessario analysis et synthesis verbi Dei secuta est, connexus et principia singularum doctrinarum detecta sunt. Inde mens humana verbum Dei clarius et distinctius cognovit — quia quidquid intellectui ab extra præsentatur, ut perfectius capiatur, in mente ipsa quodammodo reproduci

1. Ep. ad Rom., Inscrip.
2. *Adversus Hær.*, III, 3, 2.
3. *Ep.* 48, 3.
4. *Symbolik*, § 40.

opus est ; — simul tamen ideæ divinæ repetitis vicibus per mentem humanam recogitatæ, alias formas induunt, manente substantia idearum. Quantumvis enim Apostoli a Spiritu Sancto illuminati et inspirati ponantur, transmissio tamen revelationis absque cooperatione intellectuali proprie humana fieri vix potuit. Sicut igitur in opere salutis acquirendæ gratia et voluntas humana cooperantur, et actiones salutares sunt simul divinæ et humanæ, ita et in opere evangelii transmittendi.

Neque post mortem Apostolorum aliter fieri potuit. Cum Ecclesia fidei doctrinam traditam contra hæreticorum errores tuetur et explicat, necessario formulas Apostolorum in alias mutat quæ sc. maxime aptæ sint ad errorem contrarium detegendum et simul refutandum. Sicut Apostoli in controversiis non poterant uti formulis quibus Salvator ipse doctrinam divinam prædicaverat, eo minus Ecclesia. Quodsi doctrina evangelica per systema theologicum determinatum cum terminologia propria impugnatur, errores vix clare, distincte et efficaciter reprobari possunt quin error cum sua formula propria tangatur et thesis illam formam inducat qua damnatio antitheseos omnibus appareat, ut præcipue in formula concilii Nicæni videri potest. Ita traditio primitiva sæculis subsequentibus sæpe aliis sub formis transmittitur, quia hominibus fuit commissa qui secundum conditionem hominum et exigentias circumstantiarum eam transmittunt. » Ita ille.

XIV. **Conclusio II. Non omnes veritates revelatæ omni tempore explicite (et minus adhuc, clare et distincte) in traditione extant, sed quædam explicite, aliæ vero implicite.** — Sicut enim diximus, transmissio doctrinæ traditæ non fit modo mechanico, sed modo spirituali, in fide et doctrina Ecclesiæ, et ita quoad formam in qua doctrina exprimitur, secundum conditionem et necessitatem temporum. Unde quasi necessario quolibet tempore quædam doctrinæ magis explicite, aliæ minus explicite proponuntur. Simul secundum diversitatem formularum quibus doctrina transmittitur, eo ipso quædam determinatæ ideæ revelationis magis determinate docentur, ut

si gratuitas salutis magis premitur, minus urgetur necessitas cooperationis hominis.

Neque *opus* est totam doctrinam ab Apostolis traditam omni tempore terminis claris et distinctis, totum sensum revelationis determinate exprimentibus, in Ecclesia vel in depositio fidei extare, cum sufficiat, si ibi implicite contineatur. Neque videtur ratio utilitatis et convenientiæ. Immo denique sine ingenti miraculo fieri non posset. Unde depositum fidei vel traditio ex sapienti Dei consilio veritates revelatas partim explicite partim implicite continet et exhibet.

Quænam tamen veritates in traditione explicite contineri oporteat, ex duplici regula determinari potest : primo illæ veritates explicite contineri oportet quarum *fides explicita necessaria* est, vel propter necessitatem salutis vel propter necessitates vitæ christianæ (sive per se sive per accidens) vel propter necessitatem puritatis fidei conservandæ, ut si hæresis fidem corrumpens exurgit, vel ex quacumque simili necessitate ; secundo omnes *illæ vel tot et tales veritates explicite in traditione vel depositio fidei extare debent in quibus omnes aliæ veritates revelatæ implicite contineantur :* de qua re in conclusione sequenti.

Ita iam Apostoli non omnes veritates æqualiter explicite tradiderunt, sed quasdam implicite. In epistulis Apostolorum habetur quoque sufficiens indicium de natura veritatum quas principaliter inculcaverunt. Omnino enim erat naturale quod Apostoli paganis conversis magis inculcarent unitatem Dei quam e. g. dignitatem vel cultum B. M. V. E contra S. Petrus Iudæis qui in Christum crediderunt, doctrinam fidei multo magis determinate et explicite exponere potuit quam S. Paulus Corinthiis : inde etiam perfectio traditionis syriacæ (Ephræm) explicatur. Idem temporibus sequentibus accidit.

XV. **Conclusio III. Omnis doctrina quæ implicite tantum in traditione continetur, supponit in traditione doctrinam aliquam determinatam ac explicitam in qua implicite contineatur.** — Hæc conclusio est correlativa ad præcedentem ac maximi momenti. Multis quidem sufficit dicere quod dogmata in traditione sive explicite sive im-

plicite extent, consequentiam tamen huius dicti minime considerant. Iamvero ex notione impliciti sequitur, quod implicitum supponat explicitum in quo sc. implicite contineatur. Unde, ut aliqua doctrina *revera* implicite in traditione extet, absolute requiritur ut in ipsa traditione extet aliqua *doctrina explicita* in qua illa doctrina alia revera implicite contineatur. Modus implicationis potest esse multiplex, tamen doctrina de qua est quæstio, revera secundum aliquem modum implicite in aliqua doctrina explicita traditionis contineri oportet. Secus enim lusus verborum habetur nec doctrina de qua est quæstio, revera implicite in traditione extat.

Et hæc est via media inter duplicem errorem. Quidam enim, peccantes per excessum, prætendunt, quamlibet doctrinam revelatam semper explicite in traditione extare debere ; alii vero, et plures, peccantes per defectum, ex opposito in traditione tantummodo quasdam ideas generales ponunt, in quibus dogmata postmodum definita non *proprie* implicite contineantur, sed ex quibus evolutione varia ac multiplici consequantur. Atque ita adducunt quidem quasdam similitudines vel analogias, ut de semine, de grano, vel similes, attamen doctrinam certam theologiæ, præsertim scholasticorum relinquunt, immo negant. Concedimus quidem : non raro difficile est theologo vel historico, determinare in concreto quibus doctrinis vel formulis dogmata postmodum definita antea in traditione continebantur et quomodo in illis continebantur : sed huiusmodi difficultas est ex parte nostræ cognitionis : propter hoc enim præcise opus est definitione authentica Ecclesiæ et infallibili magisterio eiusdem. Communiter tamen huiusmodi difficultates vel ex falso vel saltem deficienti intellectu dogmatis et traditionis vel ex deficienti conceptu implicationis oriuntur.

Nota est e. g. celeberrima controversia circa doctrinam S. Thomæ de Immaculata Conceptione B. M. V. Vix affirmari potest, S. Thomam illam expressis verbis docuisse, idemque valet de aliis scholasticis sui temporis ; ex alia parte vix aliquis audebit dicere, illud privilegium Matris Dei a sancto Doctore eiusque coaevis ita negatum vel ignoratum fuisse ut nec implicite assereretur. De facto

S. Thomas assignat principia in quibus illa prærogativa Reginæ cœlorum implicite continetur. Argumentatur enim expresse ex principio, quod « sub Christo qui salvari non indiguit, tanquam universalis omnium salvator, maxima fuit B. Virginis puritas[1] » (sc. a peccato) ; item : « de Sancta Virgine Maria propter honorem Christi nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem[2] », et iterum : « Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem ut esset propinquissima auctori gratiæ[3] » ; item : « Beata Virgo dicitur fuisse plena gratia... quia habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut sc. esset mater unigeniti eius[4]. » In his omnibus vero principiis Immaculata Conceptio B. M. V. implicite asseritur, quia B. M. V. tantum ut immaculate concepta maximam habet sanctitatem quæ sub Christo est possibilis, ita tamen quod per Christum fuerit salvata ; tantum ut immaculate concepta Christo fuit propinquissima, plena gratia et nulla est in illa quæstio de peccatis. Ita generaliter affirmari potest : si quis documenta traditionis bene noverit, quoad omnia dogmata reperiet doctrinam vel formulam, licet diversam secundum differentiam temporum, in qua saltem implicite contineantur, neque necessarium est ad definibilitatem conclusionum theologicarum proprie dictarum recurrere.

XVI. Ob difficultates varias, præsertim historicas, non pauci ad hypothesim confugiunt, quod plura dogmata postmodum definita non proprie in aliqua *doctrina* implicite contineantur, sed *in vita ac actione fidelium*. In qua sententia verum et falsum miscetur. Unde sit :

Conclusio IV. Doctrinæ revelatæ et dogmata definita nec primario nec principaliter in vita et actione fidelium implicite extabant. — Sane super statuimus, quod doctrina divina oretenus Ecclesiæ communicata ulterius

1. *Summa theol.*, III, q. 27, a. 2, ad 2.
2. *L. c.*, a. 4.
3. *L. c.*, a. 5, ad 1.
4. *L. c.*, q. 7, a. 10, ad 1.

transmitti potest per transmissionem tum oralem tum scriptam tum practicam. Sed simul duo observavimus, sc. primo quod hi modi diversi non se excludant, sed se adiuvent ad invicem, et secundo, quod transmissio per praxim simul aliquam doctrinam supponat atque includat. Unde simpliciter quidem admittendum est, in praxi fidelium et Ecclesiæ quasdam doctrinas traditionis implicite contineri atque edoceri ; similiter tamen negandum est, doctrinas traditionis in praxi et vita *primario* ac *principaliter* contineri.

Etenim vita moralis et ascetica fidelium, actiones liturgicæ et ecclesiasticæ nullo modo vim et valorem *traditionis* habent, nisi inquantum in aliqua *doctrina* tradita *fundantur ;* et ita etiam de facto quæcumque praxis christiana quæ ad traditionem pertinet, cum doctrina quadam coniuncta est, ut quod talis praxis ad salutem necessaria sit, vel saltem quod sit tradita. Deinde hæc traditio non exclusive nec principaliter in vita et actione *fidelium* consistit, sed primario et principaliter in actione Ecclesiæ docentis et hierarchicæ, quæ talem actionem ut necessariam atque traditam docet, ut præcipue quoad sacramenta et regimen ecclesiasticum patet. Unde traditio *primario et principaliter* in *doctrina* habetur.

Tantummodo doctrina ipsa non necessarie modo scientifico vel etiam proprie doctrinali exprimitur, sed *modo* quodam *practico* proponi ac teneri potest, inquantum sc. aliqua praxis vel modus quidam vitæ tanquam legitimus, obligatorius vel etiam ad salutem necessarius ab Ecclesia præcipitur et a fidelibus observatur.

Ita de facto plures doctrinæ revelatæ in traditione Ecclesiæ extabant et adhuc extant, ut e. g. pars traditionis de sacramentis in forma practica in Ecclesia extabat, inquantum determinatus modus administrationis et susceptionis sacramentorum sub traditis conditionibus ad necessitatem salutis pertinere docebatur et tenebatur ; similiter plura ad cultum et ad ordinem ecclesiasticum pertinentia, quæ quippe ex natura sua in actione et vita publica Ecclesiæ apparere oportet.

Ita denique dogmata quædam definita, ut præsertim circa sacramentorum administrationem, *implicite* in praxi

et vita Ecclesiæ antiquitus edocebantur. Nam primo ipse modus practicus doctrinæ quandam rationem implicationis importat : modus enim doctrinalis et præsertim formulatio scientifica dogmatis ad modum practicum propositionis se habet sicut explicitum et implicitum. Secundo in una actione concreta et practica simul plura particularia edoceri possunt, quæ deinde per dogmata posteriora particulatim et explicite determinantur : sive quod actio quæ in concreto est una, in suas partes (essentiales, physicas, potentiales, integrales) dividitur, sive quod actio concrete una, sive physice sive moraliter, sub diversis respectibus formalibus et abstractis consideratur ac determinatur. Ita e. g. dogma primatus Romani Pontificis (i. e. formulæ quibus hoc dogma a concilio Vaticano definitum est) implicite continetur in « consuetudine ecclesiastica et tradita, deferendi quæstiones fidei ad Romanum pontificem » ; similiter dogmata de necessitate et qualitate confessionis sacramentalis implicite continentur in praxi pœnitentiaria Ecclesiæ antiquæ[1].

Si quis tamen doctrinam ipsam traditionis (sicut et S. Scripturæ) recte consideret, mirabitur (ut optime Kleutgen iam notaverat) quam ampla doctrina proprie dicta in traditione (et in S. Scriptura) reperiatur. Ita merito concilium Tridentinum definitiones suas de necessitate et qualitate confessionis sacramentalis per ipsum Christum Dominum (*Ioh.*, 20, 22) (implicite) enuntiatas atque « a Patribus magno unanimique consensu... commendatas » asserit[2]. Inde denique rarissime dogma quoddam

1. Merito inde E. Dublanchy, in *Dictionnaire de theol. catholique*, verbum : dogme, col. 1644 notat : « Il n'est pas douteux qu'une pratique constante de l'Église, même si elle n'est pas, dès le début, accompagnée de quelque déclaration doctrinale formelle, puisse autoriser à considérer comme explicitement révélée, au moins à quelque degré minimum, la doctrine qu'elle implique nécessairement. Cette conclusion est particulièrement vraie quand, pendant la suite des siècles, cette même pratique se maintient substantiellement identique et que la doctrine à laquelle elle est associée apparaît explicitement attestée, dès que l'exige une occasion impérieuse, telle qu'une attaque faite par quelque hérésie ou un besoin urgent d'expliquer plus complètement ce qu'on avait cru jusque-là. »

2. Sess. 14, c. 5.

exclusive modo pure practico in s. traditione enuntiatur. Inde quædam *corollaria* sequuntur.

XVII. **Corollarium primum.** — Immerito auctores protestantici et modernistæ non raro *devotionem populi* christiani tanquam originem dogmatis inducunt. Concesso enim quod devotio fidelium quandoque fuerit *vis impellens* ad definitionem, ut in dogmate de Immaculata Conceptione B. M. V., tamen primo Ecclesia nullum dogma propter *solam* devotionem fidelium definit, sed quia in verbo Dei scripto vel tradito continetur, et secundo devotio populi ipsa in aliqua doctrina traditionis fundatur eamque supponit, ut devotio erga Immaculatam fidem supponit doctrinam de maternitate divina et de sanctitate perfecta B. M. V. Devotio populi (sicut et quædam argumenta theologorum, ut Scoti in quæstione de Immaculata Conceptione B. Mariæ V.) tantum Ecclesiam excitant ad doctrinam traditionis sedulius investigandam, rite explicandam et explicite proponendam.

XVIII. **Corollarium secundum.** — Similiter minus recte igitur docetur, traditionem necessario *supplendam* esse per vitam et actionem Ecclesiæ. Neque recte asseritur : « Les dogmes ne sont pas justifiables par la science historique seule (!) ni par la dialectique la plus ingénieusement appliquée aux textes », vel « Une tradition doctrinale est humainement inintelligible, si elle ne se complète par une tradition ascétique, et réciproquement[1]. » Id quod multo magis valet, si « traditio » ita per vitam et actionem fidelium « suppleri » intelligatur, ut traditioni primitivæ quædam addantur vel traditio originalis mutata, defigurata vel transfigurata esse supponatur.

XIX. **Corollarium tertium.** — Licet quædam veritates revelatæ præter evolutionem doctrinalem simul evolutionem (obiectivam) in vita et praxi Ecclesiæ habeant, minus tamen bene docetur, *revelationem* saltem *quoad manifestationem per vitam et actionem Ecclesiæ compleri.*

1. M. Blondel, in *Revue du Clergé*, 1904, t. 38, p. 448.

P. Arintero, quidem tenet, evolutionem dogmaticam esse non tantum subiectivam sed simul aliquo modo obiectivam, quatenus nempe eadem veritas obiectiva in vita et conscientia Ecclesiæ magis explicatur et evolvitur. Id quod auctor citatus sic explicat et probat. Revelatio Apostolis facta completa fuit tantum in actu primo, i. e. in sua communicatione, tamen neque fuit neque esse potuit completa in sua manifestatione. Quæ manifestatio revelationis plena et perfecta habetur tantum per conscientiam et vitam Ecclesiæ, cui revelatio præter modum conceptualem et doctrinalem etiam per modum vitalem data fuit. Unde non omnia dogmata « conceptualiter » in deposito fidei scripto continentur, sed quædam tantum in conscientia et vita Ecclesiæ. Quæ dogmata, in vita Ecclesiæ quodammodo latentia, decursu temporis in vita supernaturali Ecclesiæ plenius explicantur et manifestantur ac denique definiuntur. Unde progressus dogmaticus est quodammodo obiectivus, inquantum quædam dogmata antea vel nullo modo vel obscurius extantia per vitam Ecclesiæ manifestantur ac declarantur. Ita auctor[1].

In qua doctrina (sicut iam insinuavimus) distinguendum esse videtur. Certe enim præter explicationem pure doctrinalem (quam auctor progressum subiectivum vocare videtur) aliquis progressus obiectivus doctrinæ revelatæ ponendus est, inquantum sc. quædam veritates revelatæ, præcipue mandata quædam Domini et promissiones, in rerum natura verificantur, in effectum transeunt, sensibiliter apparent, saltem ex parte, ita ut veritas revelata quodammodo ante oculos ponatur, et quidem multo magis explicite et determinate quam per solos terminos revelationis. Ita quam maxime dogma de Ecclesia, de eius magisterio, de primatu Romani Pontificis, de administratione sacramentorum, de vita christiana etc. Certe doctrina revelata per verba : « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam » successu temporum obiective et in vita Ecclesiæ manifestata et explicata est ; similiter parabolæ explicantes naturam Ecclesiæ, et sic de aliis.

1. *Ciencia Thomista*, 1911, n. 9, p. 378-393 : *El progresso dogmatico-objectivo.*

Quo igitur sensu absque omni dubio progressus obiectivus in manifestatione revelationis non tam admittendus quam affirmandus est. Similiter patet, per huiusmodi progressum obiectivum simul progressum subiectivum, i. e. explicationem doctrinalem promoveri : id quod infra, a. 15 exponemus.

Tamen minus recte docetur, per huiusmodi progressum obiectivum, revelationem, licet quoad manifestationem tantum, *compleri*, quasi sc. revelatio inde ita determinetur et explicetur, ut explicationi ipsius obiective aliquid accrescat. Nam ille progressus obiectivus de facto nil in rerum natura ponit quod in ipsa revelatione non sit enuntiatum. Auctor enim immerito supponit, quædam dogmata *tantum* in vita Ecclesiæ primo extare : ut enim iam supra explicavimus, praxis vel vita Ecclesiæ aliqua saltem ratione doctrinam supponit. Deinde Ecclesia aliquam doctrinam definit, non quia in vita Ecclesiæ ut *factum* extat, sed quia est revelata : quodsi enim Ecclesia ad vitam vel ad facta historica recurrit, huiusmodi facta tantum ut *signa* revelationis divinæ adducit, ut e. g. factum submissionis totius Ecclesiæ sub Romano Pontifice. Vita igitur Ecclesiæ, i. e. facta realia et historica, sunt tantummodo media traditionis transmittendæ et signa traditionis existentis, neque admittendus est progressus obiectivus, quasi complens revelationem quoad explicationem, quasi sc. addens dogmata quædam quæ non sint explicatio doctrinalis ipsius revelationis. Inde progressus obiectivus, i. e. ipsa realis evolutio Ecclesiæ, magisterii Ecclesiæ, primatus et vitæ religiosæ sunt tantum conditio quædam et causa progressus vel explicationis doctrinalis, ut infra (a. 15) ostendetur.

XX. **Conclusio.** — Certe traditio non est « cumulus textuum, vocum, rituum », sed tamen *doctrina* quæ vocibus, ritibus, actionibus et vita exprimitur, quam proinde iis mediantibus cognoscimus ; certe doctrina « non existit independenter ab animis in quibus vivit », sed tamen vivit in Ecclesia *ut doctrina tradita et accepta*, ut depositum divinum ; certe fides et dogmata ex traditione

non vi scientiæ historicæ vel dialecticæ theologorum, sed *explicatione successiva*, iudicio atque *propositione Ecclesiæ* oriuntur. Unde merito Lerinensis : « Christi Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena ; sed omni industria hoc unum studet ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat ; si qua iam expressa et enucleata, consolidet, firmet ; si qua iam confirmata et definita, custodiat[1] ».

ARTICULUS DECIMUS TERTIUS

DE PROGRESSU DOGMATICO IN COMPARATIONE AD SACRAM SCRIPTURAM

I. **Diversæ sententiæ.** — S. Scripturam aliqua saltem ratione esse obiectum historiæ dogmatum, apud omnes constat, apud diversos tamen diversimode explicatur. Protestantes veteres conantur primo determinare, quænam doctrinæ in S. Scriptura contineantur, et deinde ex eo doctrinas posteriores iudicare ; Rationalistæ et Modernistæ originem humanam S. Scripturæ ostendere prætendunt ; inter catholicos alii primo doctrinam S. Scripturæ exponunt, tanquam primi documenti literarii fidei christianæ, alii e contra S. Scripturam a consideratione historica excludere volunt, considerantes ipsam tantum ut terminum a quo progressus dogmatici. Denique generaliter loquendo S. Scriptura tanquam verbum Dei inspiratum nullo modo ad progressum historicum dogmatum pertinere videtur. Sint igitur sequentes conclusiones.

II. **Conclusio I. Sacra Scriptura ut [divinitus inspirata non est subiectum progressus dogmatici adeoque neque**

1. *Commonit.*, c. 23 (32). Cf. Hugueny, E., *La tradition*, in *Revue des sciences phil. et theol.*, 1912, p. 710-731.

obiectum historiæ dogmatum, sed historiæ revelationis et inspirationis. — Progressus enim dogmaticus in successiva propositione et explicatione revelatorum *per Ecclesiam* consistit ; iamvero libri S. Scripturæ « Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem[1] » :unde secundum fidem catholicam neque quoad originem neque quoad doctrinam subiectum progressus dogmatici vel obiectum historiæ dogmatum esse possunt. Habetur tamen in S. Scriptura elementum historicum alterius generis, tum ex parte Dei revelantis qui successive et secundum necessitatem et conditionem hominum divinam veritatem revelavit[2] (historia revelationis), tum ex parte auctorum inspiratorum, quippe qui in conscribendis libris sanctis sunt quidem instrumenta Dei, non tamen pure mechanici, sed rationales, ita ut libri sancti sint etiam opus hagiographi (per modum causæ instrumentalis) et auctor humanus per operationem suam rationalem in characterem librorum influat (historia inspirationis)[3]. Uti patet, historia tum revelationis tum inspirationis quandam quidem analogiam ad historiam dogmatum habet, essentialiter tamen omnino alterius generis est, inquantum sc. Deus in revelando et inspirando quodammodo ad conditionem hominum et ad operationem hagiographorum sese accomodat. Unde historia revelationis et inspirationis ad introductionem in S. Scripturam et ad exegesim ipsam pertinet, doctrina vero ipsa de revelatione successiva et inspiratione ad theologiam apologeticam et dogmaticam[4] : uti libri theologorum ostendunt[5].

1. Conc. Vatic., sess. 3, c. 2, D. 1788 ; cf. can. 4.
2. Cf. S. Thomas, II. II, q. 1, a. 7 ; q. 174, a. 6.
3. Leo XIII, Encycl. *Providentissimus Deus ;* S. Thomas, II. II, q. 171-174 ; Schultes Reg., *De inspiratione,* in *Jahrbuch für Philos. und spek. Theol.,* XVI (1902), p. 80 ss. ; Zanecchia, O. P., *Divina inspiratio,* Romæ, 1898 ; Pope Hugo, O. P., *The scholastical view of Biblical Inspiration,* Rom., 1912 ; M. Jacome, O. P., *De natura inspirationis S. Scripturæ.*
4. Cf. Tixeront, *Histoire des Dogmes,* I[5], p. 6.
5. Franzelin, *De traditione et Scriptura ;* Billot, *De inspiratione S. Scripturæ ;* I. V. Bainvel, *De S. Scriptura ;* A. Cellini, *Propædeutica biblica,* vol. II : De Theopneustia, Romæ, 1909 ; S. Protin, *La nature de l'inspiration, Revue Aug.,* 1906, I, 25-50 ;

III. **Conclusio II. S. Scriptura habet relationem ad progressum dogmaticum et hac ratione proprie subiectum historiæ dogmatum fit.** — Huiusmodi relatio est triplex : inquantum sc. *a*) doctrina S. Scripturæ habet relationem ad doctrinam traditionis divinæ ; *b*) inquantum dogma de S. Scriptura habet historiam ; *c*) doctrinæ S. Scripturæ successive explicatæ et ad credendum propositæ fuerunt.

IV. *a*) **Relatio inter doctrinam S. Scripturæ et traditionis in progressu dogmatico.** — Uti iam supra vidimus, S. Scriptura partem doctrinæ traditionis divinæ continet eamque sat amplam ac principalem[1]. Huiusmodi factum præter consignationem doctrinæ revelatæ in Scriptura inspirata indirecte simul progressum dogmaticum infert ac in ulteriorem progressum influit. Et quidem multipliciter.

Primo traditio, saltem ex parte, formam *scripturæ stabilis* et *inspiratæ* induit. Secundo doctrina tradita, iterum saltem ex parte, in Scriptura per *novas formulas* proponitur : Scriptura enim non tantum eum finem habet ut doctrinæ revelatæ quasi mechanico quodam modo conscribantur, sed simul, ut modo quodam perfectiori Ecclesiæ proponantur. Tertio in Scriptura Sacra *formulæ novæ* quæ iam in traditione vigebant, per inspirationem *sanctæ* fuerunt : id quod principaliter ad epistulas Apostolorum pertinet. Quarto denique ipsæ doctrinæ in Scriptura sacra contentæ, modus et formulæ propositionis earum, quam maxime in ulteriorem explicationem et formulationem traditionis *influunt*. Ita Scriptura Sacra non tantum efficacissimum adiutorium est perfectæ transmissionis traditionis, sed simul *typus* quidam et *exemplar divinum progressus dogmatici*, immo, saltem in tempore subsequenti, influxus S. Scripturæ in transmissionem et explicationem et formulationem traditionis, i. e. in progressum dogmaticum, vix sufficienter determinari potest.

P. Dausch, *Die Schrift inspiration*, Freiburg, 1891 ; *Die Inspiration des N. T.*, Münster, 1912 ; L. De San, *De divina traditione et Scriptura*, Bruges, 1903.

1. Cf. S. Thomas, I, q. 1, a. 10, ad 1 ; q. 1, a. 9, ad 2 ; Scheeben, *Dogm.*, I, 141 ss.

V. *b*) **Historia dogmatis S. Scripturæ.** — Circa S. Scripturam habemus dogma, libros determinatos Deo inspirante fuisse conscriptos, ita quod Deus ipse sit auctor principalis simulque testis veritatis eorum. Huiusmodi dogma sicut cætera dogmata suam historiam habet, i. e. successivam propositionem et explicationem in Ecclesia. Licet enim libri sacri iam a principio tanquam divinitus inspirati propositi fuissent, tamen hæc doctrina successu temporum magis explicabatur. In particulari duo distinguenda sunt : dogma de *inspiratione* ipsa, sc. de facto, natura, extensione inspirationis, et dogma de *canone S. Scripturæ*, i. e. de libris qui ut inspirati habeantur. Utraque pars dogmatis suam propriam historiam habet. Inde S. Scriptura iterum, licet indirecte, fit obiectum progressus dogmatici et historiæ dogmatum. Insuper successiva explicatio dogmatis de inspiratione et de canone S. Scripturæ habet intimam et mutuam *connexionem cum reliquo progressu dogmatico.* Nam explicatio dogmatis de inspiratione et de canone S. Scripturæ dependebat et adhuc dependet de statu generali explicationis doctrinæ revelatæ, et specialiter a statu doctrinarum quarundam particularium, ut e. g. de natura influxus divini ; vice versa omnis reliquus profectus dogmaticus per diversam explicationem inspirationis S. Scripturæ determinatur : etenim intellectus inspirationis influxum habet in interpretationem S. Scripturæ et ista intellectum inspirationis determinat.

Hæc omnia manifeste per historiam dogmatum comprobantur. Factum successivæ explicationis dogmatis inspirationis et canonis S. Scripturæ constat. Influxus doctrinæ determinatæ de inspiratione in theologia scholæ Antiochenæ et Alexandrinæ apparet. Progressus generalis dogmaticus in sæc. IV et V, apud scholasticos ante et post concilium Tridentinum, simul intellectum profundiorem inspirationis secum duxit ; simul tamen theologia Patrum et scholasticorum per conceptum inspirationis determinabatur. Hæreses communiter determinatum conceptum inspirationis et canonem specialem S. Scripturæ vel supponunt vel inferunt. Ita iam Gnosticismus. Maxime historia protestantismi et modernismi intime cum doctrina de S. Scrip-

tura connexa est. Controversiæ inter scholas catholicas de intellectu inspirationis in diversitate aliarum doctrinarum fundantur atque iterum alias differentias doctrinales secum trahunt. Denique tota « quæstio biblica » nostri temporis — quæ certe est pars principalis in evolutione dogmatum — essentialiter est quæstio de inspiratione S. Scripturæ, i. e. de dogmate catholico circa S. Scripturam. Ita præcipue diebus nostris mutua connexio inter evolutionem dogmatum et inter dogma de S. Scriptura apparet : negata enim inspiratione vel totaliter cessat historia « dogmatum ».

VI. *c*) **Explicatio successiva doctrinarum S. Scripturæ.** — Cum S. Scriptura sit verbum Dei inspiratum, independenter a traditione terminus a quo progressus dogmatici esse potest, inquantum sc. doctrinæ revelatæ quæ in ea continentur, successu temporum explicantur atque explicite ad credendum proponuntur : sub hoc respectu S. Scriptura quam maxime fit obiectum evolutionis dogmatum, immo historia dogmatum magna ex parte est historia explicationis S. Scripturæ. In particulari primo *sensus* quorundam locorum determinatorum S. Scripturæ sollemniter *definitus* est : ita e. g. *Mt.* 16, 16-18 et *Ioh.*, 21, 15 a Concilio Vaticano, sess. 4, c. 1, 4 (D. 1822-1833), verba institutionis Eucharistiæ a conc. Trid., sess. 13, c. 1 (D. 874), *Ioh.*, 20, 22, 23 ; *Mt.* 18, 18 (quoad potestatem remittendi peccata) in conc. Trid., sess. 14, can. 3, 10 (D. 913, 920), *Lc.* 22, 19 ; *I Cor.*, 11, 24 (quoad institutionem sacerdotii) (Trid., sess. 22-29, can. 2 a. D. 949), varii textus circa iustificationem (Conc. Trid., sess. 6 a.) Inde simul quædam doctrinæ expresse tanquam doctrinæ S. Scripturæ ad credendum propositæ sunt. Similiter plures textus S. Scripturæ per magisterium Ecclesiæ ordinarium plus minusve explicati sunt. Communiter quidem concilia et Romani Pontifices textus S. Scripturæ in argumentum definitionum adducunt quin simul definitionem de sensu illorum textuum ferant, tamen iam inde illa interpretatio magnam auctoritatem habet. Secundo per magisterium Ecclesiæ *generalis* sensus S. Scripturæ fidelibus propositus est, per magisterium tum ordinarium tum sollemne, inquantum

sc. Sacra Scriptura in sensu doctrinæ catholicæ explicatur.

Tertio quædam *lineæ principales et fundamentales* doctrinæ scripturisticæ determinatæ sunt, præcipue contra hæreses: ita contra Iudaizantes et Iudæos sensus typicus et christologicus V. T. proponebatur, contra Gnosticos conformitas Scripturæ cum symbolo Apostolico ostendebatur, per Alexandrinos et Antiochenos quæstio de sensu allegorico et litterali discussa est, per S. Patres et scholasticos corpus et systema doctrinæ ecclesiasticæ ut doctrina S. Scripturæ comprobata est, contra Protestantes doctrina de salute, de sacramentis et de Ecclesia. Indirecte sensus S. Scripturæ determinatus est per decretum concilii Tridentini, Sacram Scripturam in rebus fidei et morum non esse interpretandam contra eum sensum quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia aut etiam contra unanimem consensum Patrum[1], per definitionem Concilii Vaticani de infallibilitate Romani Pontificis, per normas et præscripta de interpretatione S. Scripturæ[2]. Nostris temporibus propter doctrinas Rationalistarum et Modernistarum quæstio de veritate et sensu S. Scripturæ quasi identificatur cum quæstione de origine et veritate dogmatis catholici. Denique habetur tota explicatio *doctrinalis* S. Scripturæ in exegesi et in theologia dogmatica.

VII. Licet igitur S. Scriptura secundum se non sit obiectum historiæ dogmatum, propter suas tamen relationes ad traditionem, ad dogma de S. Scriptura, ad diversas dogmaticas interpretationes S. Scripturæ, quasi in medio progressus dogmatici posita est. Simul inde patet, qua ratione historia dogmatum a S. Scriptura incipere debeat, sc. inquantum nobis, saltem ex parte, formam traditionis primitivæ manifestat, doctrinas iam a principio explicite propositas testificat. Tantummodo cavendum est ab errore protestantium, nullam doctrinam tanquam christianam admittentium nisi quam in S. Scriptura

1. Sess. 4.
2. Leo XIII, *Providentissimus Deus*; Pius X, *In Decreto Lamentabili*, in Encyclica *Pascendi gregis*, et in *Iuramento contra errores Modernistarum*.

repererint, et error plurimorum historicorum et exegetarum, id tantum tanquam sensum S. Scripturæ admittentium, quod ipsi ex ea intellexerint : in hoc enim magna ex parte historia dogmatum existit quod sensus S. Scripturæ successive est explicatus.

Inde etiam argumentum illorum nullius valoris est qui aliquam doctrinam ex eo solo reiiciunt quod fundetur in interpretatione posterioris temporis ; multi enim loci tum V. tum N. T. successu tantum temporis explicite cogniti atque explicati fuerunt : sicut enim ipse progressus dogmaticus, ita et explicatio S. Scripturæ successive facta est.

Historicus igitur dogmatum, a S. Scriptura incipiendo ostendet, quænam doctrinæ postea definitæ et quibus sub formis in S. Scriptura exhibeantur, quænam doctrinæ S. Scripturæ explicatæ fuerint et quomodo, quales fuerint vicissitudines huius explicationis, qualem influxum S. Scriptura in explicationem traditionis (et vice versa) ac denique generaliter in progressum dogmaticum habuerit.

ARTICULUS DECIMUS QUARTUS

DE DIVERSIS STATIBUS PROGRESSUS DOGMATICI

I. **Triplex gradus in progressu dogmatico.** — Communiter in processu dogmatico *triplex gradus* distinguitur, initialis, intermedius et finalis. Differentia et proprietas horum statuum diversimode tamen declaratur. Ita Card. *Billot* sic distinguit : « Primus (gradus) est quem dicere possumus statum *simplicis fidei*. Hunc referunt imprimis epistulæ vel confessiones antiquissimorum episcoporum et martyrum... ». In secundo gradu « simplici fidei adiunguntur *explicationes imperfectæ*. Quod maxime in nonnullis Patribus secundi et tertii sæculi circa dogma Trinitatis videre est... ». Tertius status est « *explicationis præcisæ*, in quo intelligitur illustrius quod ante obscurius credebatur, et posterioritas enucleatum gratulatur quod antea vetustas

non intellectum venerabatur[1]. » *A. Gardeil* distinguit inter intuitionem fidei in generali, fermentationem mentalem et integrationem explicationis theologicæ[2]. *Pinard* inter statum possessionis, discussionis et definitionis distinguit[3]. Alii aliter.

Uti patet, huiusmodi triplex status vel gradus necessario ex natura progressus dogmatici sequitur[4]. Tria tamen notanda censemus. *Primo* : Huiusmodi triplex status non ita intelligendus est quasi in initio nullum determinatum dogma extiterit, ut protestantes moderni ponunt. Nam in prædicatione Apostolorum quædam veritates christianæ statim ab initio explicite ad credendum proponebantur : ita certe doctrina de existentia Dei, de Patre et Filio et Spiritu Sancto, de fide in Christum, de salute in Christo, de vita æterna, de Ecclesia, etc., ab initio ut dogma proposita atque credita fuit. *Secundo :* Simplex fides non

1. *De immutabilitate traditionis,* p. 47-59.

2. « Nous trouverons d'abord l'intuition globale de la Révélation par l'adhésion de la foi de la société chrétienne primitive, puis une fermentation de toutes les énergies humaines de connaissance pour prendre de ce donné une possession plus distincte, plus intégrale ; enfin un mouvement de retour pour confondre l'acquis définitif de l'élaboration avec le critère du donné révélé. » Le *donné révélé,* p. 162 ; cf. explicationem et applicationem doctrinæ, p. 163-184.

3. *Dictionnaire apologétique,* v. « Dogme », col. 1169 ss.

4. Explicationem habes in doctrina de natura cognitionis humanæ. Ad rem S. Thomas : « Intellectus noster de potentia in actum procedit : omne autem quod procedit de potentia in actum, prius pervenit in actum incompletum... quam ad actum perfectum : actus autem perfectus ad quem pervenit intellectus, est scientia completa, per quam distincte et determinate res cognoscuntur : actus autem incompletus est scientia imperfecta, per quam sciuntur res indistincte sub quadam confusione. » Ita res revelatæ primo a nobis cognoscuntur « sub confusione quadam », « sine hoc quod habeatur propria notitia uniuscuiusque eorum quæ continentur in illis » (*Summa theol.*, I, q. 85, a. 3) ; prius cognoscuntur res compositæ quam partes constitutivæ (*l. c.*, a. 8), intellectus « primo apprehendit aliquid de (re) ipsa..., deinde intelligit proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam » (*l. c.*, a. 5), et ultimo capiuntur simpliciter indivisibilia vel simplicia, « quia tale indivisibile habet quandam oppositionem ad rem corporalem » (*l. c,* a. 8).

est absque quadam saltem explicatione. Nam non potest esse fides quin veritas credita aliqua saltem ratione cognoscatur, cum credere sit « cum assensu cogitare »[1] vel assensus ad veritatem propositam ; neque « credere potest aliquis, nisi ei veritas quam credat proponatur[2] ». Unde iam ab initio in Ecclesia, etiam apud fideles, quidam determinatus intellectus quorundam saltem dogmatum extabat, immo, ut epistulæ Apostolorum et primorum Patrum indirecte testantur, non parvus, sed satis amplus ; semper erat quædam fides explicita, neque processus dogmaticus quasi a nihilo, sed a quibusdam dogmatibus determinato quodam sensu propositis et creditis incipiebat[3]. *Tertio :* Triplex ille status iterum diversas phases habet : ita status « simplicis fidei » diversus gradus admittit, status explicationis perfectæ quandam latitudinem habet, præcipue vero status intermedius vastissimum campum aperit. Ita e. g. dogma de divinitate vel consubstantialitate Filii diversum statum habuit tempore Patrum Apostolicorum, deinde apud Apologetas secundi sæculi, alium sub influxu doctrinæ Origenis, post epistulam Dionysii Romani, tempore Arii usque ad definitionem concilii Nicæni. Pro historia dogmatum certe maioris utilitatis et momenti est, huiusmodi status intermedios in concreto et historice determinare[4].

II. **Utrum habeatur progressus dogmaticus continuus.** — Doctrina de triplici statu dogmatum supponit, dogmata successu temporum magis explicata fuisse. Id quod certe hoc sensu constat quod in Ecclesia quovis tempore sit quidam progressus in explicatione revelatorum : etenim etiam quoad tempora minus felicia aliquem saltem progressum ostendere possumus. Attamen affirmari nequit, *cuncta dogmata* quocumque tempore *continuum progressum* habuisse. E contra constat, quædam dogmata in posteriori tempore minus explicite in conscientia et

1. S. Thomas, II. II, q. 2, a .1.
2. S. Thomas, II. II, q. 1, a. 9.
3. Cf. Franzelin, *De traditione*, thesis 23.
4. Cf. Dublanchy, in *Dictionnaire de théol cath.*, verbum : « Dogme », col. 1607-1611.

doctrina Ecclesiæ extitisse quam tempore præcedenti. Ita dogma de primatu Romani Pontificis tempore Leonis M. magis clare et explicite erat cognitum quam tempore schismatis occidentalis, immo usque ad concilium Vaticanum.Cuius facti rationem optime *Scheeben* ita explicat : Licet transmissio traditionis in Ecclesia non fiat solis viribus humanis, sed cum assistentia Spiritus Sancti, tamen fit mediantibus operationibus hominum qui non ita plene Spiritu S. illustrati sunt, sicut erant Apostoli. Inde contingit traditionem divinam non omni tempore perfectione ideali et summa in Ecclesia extare, sive quoad extensionem sive quoad explicationem, sed huiusmodi perfectionem modificari secundum cooperationem Ecclesiæ singulorum temporum. Contraria sententia factis historicis contradicit, neque sequitur e conceptu essentiali traditionis sed potius ab eo excluditur. Ita Scheeben[1]. Idem sequitur ex doctrina supra de traditione exposita. Ita fieri potest ut secundum conditionem intellectualem et moralem alicuius periodi doctrina fidei temporis antecedentis minus sit nota, ut formulationes iam factæ minus explicite sint cognitæ et intellectæ, ut præsertim cognitio et formulatio minus augeatur imo ut cognitio antea iam habita quodammodo lateat. Inde solvitur quæstio de obscuratione traditionis.

III. **De obscuratione traditionis. Prænotamina.** — « Obscuratio » dupliciter intelligi potest : primo modo hoc sensu quod quædam veritates revelatæ prius explicite in Ecclesia extiterint, postmodum vero *minus explicite* vel implicite tantum ; alio modo hoc sensu quod veritates revelatæ aliquo tempore in Ecclesia *minus recte* intelligentur, sensu alieno explicentur, ita quod doctrina in Ecclesia vigens veritati revelatæ sit contraria vel *veritas* revelationis *corrumpatur*.

Corruptio doctrinæ revelatæ iterum dupliciter accipi potest : primo modo ita quod ipsa *fides* Ecclesiæ, *dogmata* ab Ecclesia ad credendum proposita et actualiter credita,

1. *Handbuch der Dogmatik*, I, p. 145 s.

veritati revelatæ sint contraria et per consequens ipsa fides sit falsa et corrupta ; alio modo ita quod *explicatio doctrinalis* sit erronea et veritati revelatæ contraria. Sint igitur conclusiones sequentes.

IV. **Conclusio prima. Quædam veritates revelatæ quandoque explicite in actuali doctrina Ecclesiæ extiterunt, quæ postmodum minus explicite vel implicite tantum cognitæ et admissæ fuerunt.** — Ita primo Apostoli plenam explicitam cognitionem omnium veritatum per se revelatarum habuerunt, in tempore vero subsequenti non omnes veritates revelatæ explicite et plene in Ecclesia erant cognitæ et propositæ, non tantum in sæculis prioribus, sed etiam in posterioribus, immo in præsenti tempore. Secundo historice constat, in aliquibus periodis, e. g. sæculo nono et decimo, non extitisse in Ecclesia æqualiter amplam ac explicitam et actualem cognitionem fidei ac in prioribus sæculis, ut e. g. sæculo quinto et sexto. Tertio historice constat, aliquas doctrinas revelatas prius perfectius fuisse cognitas et admissas quam postea, ut e. g. primatus Romani Pontificis tempore Leonis M. rectius fuit cognitus et admissus quam post schisma occidentale. Quarto denique conclusio sequitur ex iis quæ n. 2 diximus.

Quousque huiusmodi obscuratio sese extendere possit, ex eis quæ de traditione diximus, patet. Quovis enim tempore in traditione tot et tales veritates explicite et ita explicite extare debent, ut tota doctrina revelata in eis implicite contineatur. Ad rem iterum optime *Scheeben* : Primo omnes veritates essentiales et necessariæ explicite et actualiter ab Ecclesia testificari et transmitti oportet, saltem ab Ecclesia docente ; secundo, veritates quæ vel nondum explicite cognitæ vel postmodum obscuratæ fuerint, quæ vel non omnibus membris Ecclesiæ innotuerint vel non ab omnibus admissæ vel etiam a quibusdam negatæ fuerint, neque ab aliis simpliciter ut revelatæ creditæ et propositæ fuerint, saltem implicite in doctrina Ecclesiæ extare debent ; tertio, omnes doctrinas revelatas saltem habitualiter in documentis ecclesiasticis traditionis, i. e. in S. Scriptura ab Ecclesia conservata et tanquam verbum

Dei proposita, et in documentis scriptis traditionis explicite vel implicite extare oportet, ita ut ex illis sive per laborem theologorum sive per iudicium Ecclesiæ extrahi et probari possint. Ita Scheeben[1]. Unde iam ex hac ratione damnata est propositio Pistoriensium de « generali obscuratione » veritatum revelatarum[2]. Denique firmiter tenendum est : si urgeret necessitas, sive fidei conservandæ sive vitæ et salutis christianæ promovendæ, Ecclesia ex promissa sibi assistentia Spiritus S. doctrinam requisitam explicite proponeret.

V. **Conclusio secunda : Non potest accidere in ipsa Ecclesia obscuratio fidei hoc sensu quod fides Ecclesiæ, dogmata ab ipsa definita et ad credendum proposita, veritati revelatæ sint contraria, ita quod veritas fidei corrumpatur.** — Hæc conclusio immediate ex dogmate infallibilitatis Ecclesiæ, sive Ecclesiæ docentis in docendo sive Ecclesiæ credentis in credendo, sequitur. Unde hæretica est non tantum sententia Protestantium, fidem Ecclesiæ esse corruptam, sed etiam sententia Pistoriensium quæ « asserit, postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem et quæ sunt basis fidei et doctrinæ moralis Jesu Christi », sicut etiam ut hæretica a Pio VI damnata est[3]. Unde in dogmatibus sollemniter definitis, in fide actuali Ecclesiæ, in doctrinis quas S. Patres et theologi consensu unanimi tanquam de fide tenent, et in iis quæ Ecclesia magisterio ordinario tanquam doctrinam fidei proponit, obscuratio veritatis revelatæ esse non potest.

Præter tamen dogmata ipsa omni tempore multæ in Ecclesia extant doctrinæ quæ nondum sunt ab Ecclesia approbatæ et circa quas consensus unanimis theologorum et S. Patrum non habetur. Hinc oritur celebris quæstio utrum in huiusmodi doctrina veritates revelatæ quandoque obscurari possint. Ita proprie ponitur quæstio *de erroribus*

1. *L. c.*, p. 146 s.
2. Prop. 1, D. 1501.
3. D. 1501 ; cf. prop. 95. Quesnelei, D. 1445.

in explicatione revelatorum, de qua particulariter agendum est. Qua in re doctrinam Petavii quæ hodie communiter admittitur, sequimur, eam tamen explicando atque determinando.

VI. **Doctrina Petavii.** — *Petavius*[1] primo factum historicum statuit, secundo naturam facti determinat. Factum historicum breviter his verbis enuntiat : « Complures antiquorum illorum quos auctores ac testes appellamus fidei nostræ, de pluribus dogmatibus, præsertim vero de Trinitate, multum a nobis diversa scripserunt. » Id quod certe constat. Nam Apologetæ sæculi secundi Christum quidem tanquam Deum, Dei Filium, Dei Verbum profitentur, attamen Verbum Dei ita explicant quod libera Dei voluntate processerit, ratione creationis, quod Verbum ad Deum iam constitutum quasi accesserit et Dei Patris sit minister. Similem doctrinam tenet Origenes, eamque Tertullianus, Novatianus, Hippolytus secuti sunt. Inde nata est doctrina quæ subordinatianismus vocatur, quæ, coniuncta cum aliis ideis, ad hæresim Arianam perduxit, tamen et post Concilium Nicænum quæstionem circa ὁμοούσιος et ὁμοιούσιος causavit. Idem patet de dogmate primatus et infallibilitatis Romani Pontificis. Licet enim in medio ævo omnes catholici Romanum Pontificem tanquam divinitus institutum caput Ecclesiæ agnovissent, tamen a tempore schismatis occidentalis plures tenebant, Concilium esse supra Papam, quos postmodum Gallicani, Richeriani, Febroniani secuti sunt, potestatem et infallibilitatem Romani Pontificis Ecclesiæ universali vel corpori episcoporum subordinantes, usquedum per concilium Vaticanum plenitudo postestatis supremæ et infallibilitas Romani Pontificis definiretur. Idem tamen, historia dogmatum teste, quoad multa alia dogmata accidit, immo hucusque de multis doctrinis revelatis explicationes diversæ atque sibi contradicentes in Ecclesia extant, ut de gratia, de prædestinatione, etc. Agitur igitur de facto quodam generali explicando[2].

1. *De theologicis dogmatibus*, t. II, c. 1, n. 12.

2. Id quod bene notandum est. Veteres enim auctores, uti Petavius, tantum tempus antiquitatis et historiam unius dogmatis,

Secundo Petavius factum determinat. Scribit . « Verum paucissimi illi sunt qui in re dissentierunt a communi fide, et, si sinceros purosque catholicos quærimus, omnino nulli. In re ipsa dixi. Nam in loquendi modo paululum quosdam variasse..., monstravimus... In præcipuis tamen et quæ ad summam spectant mysterii totius, ut concordes invicem sunt, ita et nobis congruunt... Substantiam ipsam dogmatis tenentes, in consectariis quibusdam nonnihil a regula deflectunt..., in omnibus re consentientes, loquendi dumtaxat modo dissident... Dicam amplius, vel in illis portentis errorum quibus Trinitatis dogma vitiaverunt hæretici et eo reiecti nomine scriptores, apparere tamen aliquid quo communis fidei et traditionis veritas ac constantia probatur ». Petavius igitur inter *substantiam* dogmatis et *modum* loquendi vel consectaria distinguit, ita quod circa substantiam paucissimi vel nulli, in modo loquendi vel circa consectaria quidam erraverint, ita tamen quod vel in erroribus substantia dogmatis appareat. Tanquam substantiam dogmatis trinitarii unitatem Dei et distinctionem numericam Patris et Filii et Spiritus S. considerat (n. X).

Doctrina Petavii certe legitima est ; explicatio tamen ab ipso Petavio proposita nondum totam rem vel totam difficultatem solvit. Petavius quidem explicat quomodo unitas Dei et distinctio personarum semper fuerit credita ; non tamen explicat quomodo dogma consubstantialitatis postmodum definitum in iis erroribus non fuerit obscuratum vel negatum. Idem dicendum est de dogmatibus aliis quæ nunc sunt definita, antea tamen negabantur. Neque enim teneri potest, huiusmodi dogmata *tantum quoad consectaria vel quoad modum loquendi* negata fuisse : consubstantialitas enim proprie a multis non admittebatur ; S. Thomas et coaevi ipsius proprie factum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. negasse videntur ; certe Iansenistæ et Gallicani doctrinam de suprema et plena potestate

sc. de Trinitate, considerant. Attamen eadem quæstio est quoad tempora subsequentia et historiam aliorum dogmatum, ita quod habeatur quæstio quæ totam historiam dogmatum et simul statum præsentem doctrinæ catholicæ tangat.

et de infallibilitate Romani Pontificis, *prout a Concilio Vaticano definita est*, proprie et directe respuerunt. Neque soli hæretici huiusmodi dogmata negaverunt, sed catholici plures, etiam episcopi, uti in historia dogmatis Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. et primatus Romani Pontificis constat. Itaque adhuc explicandum est, quomodo *substantia* doctrinæ revelatæ vel exactius substantia *dogmatis postmodum definiti*, erroribus contrariis non obstantibus, salvata et credita fuerit. Responsio facile sequitur ex doctrina de fide explicita et implicita.

VII. **Conclusio tertia. Errores theologici qui in historia offendunt, sunt circa veritates quæ illo tempore nondum explicite, sed implicite tantum erant propositæ et creditæ ; substantia vero fidei, i. e. doctrina postmodum definita, salvabatur et tenebatur in iis quæ iam illo tempore explicite erant proposita et credita, adeoque per fidem implicitam.**

VIII. *Prior pars* conclusionis proprie factum historicum determinat. Probatio est facilis. Errores enim de quibus est quæstio, non negabant doctrinam iam explicite ad credendum proposita ; vel si negabant, non iam erant errores doctrinales, sed proprie hæreses. Ita Arius quidem directe et proprie divinitatem Verbi et Christi negaverat, tamen inde iam ante concilium Nicænum proprie erat hæreticus, cum divinitas Christi absque omni dubio explicite ad credendum proposita erat, sc. per magisterium ordinarium Ecclesiæ : id quod magis valet post definitionem sollemnem concilii Nicæni. Similiter Photiniani et Sabelliani statim ut hæretici condemnati sunt, quippe quia divinitas Christi et distinctio realis personarum divinarum iam erat de fide. E contra consubstantialitas Verbi cum Patre ante Nicænum non erat explicite ad credendum proposita adeoque qui illam negabant, hæretici non erant. Similiter unio hypostatica, ut talis, ante Ephesinum et Chalcedonense, non erat explicite definita ; inde Diodorus Tarsensis et Theodorus Mopsuestensis, licet illam negarent, tempore suo ut orthodoxi habebantur. Idem patet quoad Conceptionem Immaculatam B. Mariæ Virginis.

Immo idem quoad Gallicanos tenendum est. Explicite quidum ad credendum propositum erat, quod Romanus Pontifex, ut successor Petri, esset caput Ecclesiæ : id quod Gallicani non negabant. Quod vero primatus plenitudinem potestatis supremæ diceret, nondum erat explicite definitum adeoque Gallicani non erant hæretici. Ita generaliter errores theologici qui in Ecclesia extant, non negant aliquam doctrinam explicite ad credendum propositam.

Tamen doctrina postmodum definienda et interim ab aliquibus negata, implicite ad credendum proposita erat : sive generaliter in fide in divinam revelationem, in fide in doctrinam Ecclesiæ et S. Scripturæ, sive particulariter in aliquo dogmate particulari explicite credito : ita consubstantialitas Verbi in eius divinitate, plenitudo potestatis Romani Pontificis in eo quod ut caput Ecclesiæ agnoscebatur vel in textibus relativis S. Scripturæ. Errores igitur theologici proprie sunt circa explicationem doctrinæ implicitæ.

In huiusmodi explicatione doctrinali doctrinæ implicitæ facillime, immo necessitate quadam, *errores* acciderunt. Theologi enim in explicanda doctrina fidei non fruuntur infallibilitate qua pollet Romanus Pontifex in definitionibus ex cathedra. Deinde varii errores plus quam sufficienter ex difficultate et altitudine obiectiva mysteriorum et ex subiectiva præparatione imperfecta doctorum explicantur. Neque tempus antiquitatis ab hac lege universali excipiendum est ; e contra in prima explicatione mysteriorum, et quidem summorum, ut sunt mysteria Trinitatis et Incarnationis, multo facilius et magis necessario errores contigerunt. Inde nil mirum, primos interpretes mysterii Trinitatis et Incarnationis neque statim neque semper mysteria recte explicasse. Id quod successu temporum quoad omnia dogmata accidit. Quantum enim hucusque circa explicationem plurium dogmatum disputatur !

Tria denique circa huiusmodi explicationes erroneas *notanda* sunt. *Primo* erant explicationes *doctrinales*, non raro minus doctrinæ simpliciter affirmatæ quam tentamina quædam explicationis vel hypotheses. *Secundo* non erant proprie doctrinæ *Ecclesiæ*, sed vel singulorum doctorum vel scholæ particularis vel regionis determinatæ : ita nec

hodiernæ doctrinæ inter scholas controversæ proprie doctrinæ Ecclesiæ vocari possunt. Neque erant doctrinæ omnibus communes, sed alius sic, alius aliter rem explicabat ; imo regulariter oppositio et impugnatio ex parte altera habebatur. *Tertio* certe *deerat* quævis *approbatio* ex parte Ecclesiæ docentis, quæ e contra explicationem erroneam mox impugnavit ac denique condemnavit.

Ita denique obscuratio quædam vel errores circa revelata in Ecclesia accidere possunt, usque ad negationem veritatis revelatæ vel dogmatis postmodum deficiendi. Optime igitur *Franzelin* sententiam ita exprimit : « posse quasdam veritates revelatas aliquo tempore esse obscuras, nunquam tamen posse obscurari ita, ut adversus eas prævaleat oppositus et negans consensus[1] » : id quod facile ex historia dogmatum constat.

IX. *Altera pars conclusionis* similiter facile probatur vel potius explicatur, quod sc. veritas fidei quoad substantiam salvabatur ac tenebatur in iis quæ explicite credebantur. Licet enim quidam doctrinas quasdam revelatas minus recte explicarent, immo proprie negarent, tamen *illas tenebant et credebant implicite*, in iis sc., quæ explicite credebant.

Id quod factum est dupliciter. Primo *generaliter* in fide generali in Deum revelantem et in doctrinam Ecclesiæ. Quilibet enim fidelis habet fidem explicitam in Deum revelantem vel in veritatem totius revelationis ; similiter quilibet catholicus explicite credit, fidem Ecclesiæ esse veram : in qua fide explicita generaliter, licet implicite, credit omnem veritatem revelatam, totam fidem Ecclesiæ et præcipue omnes definitiones Ecclesiæ sive iam factas sive faciendas. Ita omnes catholici errantes circa aliquam doctrinam illam tamen implicite credunt ac inde salvantur. Secundo catholici errantes, doctrinam revelatam insuper *particulariter* implicite credebant, in aliquo sc. *alio dogmate* quod explicite credebant et in quo doctrina per errorem negata implicite continetur. Ita catholici consubstantialitatem Verbi negantes, illam in fide explicita in divinitatem Verbi implicite

1. *De div. tradit.* thesis 23.

credebant ; S. Thomas negans Immaculatam Conceptionam B. Mariæ V., illam in fide in maternitatem divinam B. M. V. vel in fide in eius summam sanctitatem credebat ; Gallicani credentes, Romanum Pontificem esse caput divinitus institutum totius Ecclesiæ, implicite credebant, illum esse supra Concilium, licet id explicite negarent.

Nam illæ doctrinæ erroneæ proponebantur ad explicanda et determinanda determinata dogmata fidei, quæ explicite tenebantur. In hac fide explicita simul tenebatur implicite doctrina postmodum definienda. Quodsi explicatio proposita erat minus conveniens vel recta, mansit tamen semper intentio tenendi dogma ipsum neque a vero eius sensu recedendi, etiamsi forsitan explicatio proposita de facto dogma ipsum negaverit. Si vero quidam falsam explicationem dogmatis pertinaciter usque ad negationem dogmatis præsuppositi tenuerunt, ut Ariani usque ad negationem divinitatis Christi, eo ipso ad hæreticos transierunt[1] adeoque etiam damnati fuerunt ; quoad alios accidit casus qui toties in vita humana observatur, quod sc. aliquis optime tenere potest principium quoddam, licet explicationem falsam vel consequentias principio contrarias sequatur.

Itaque iuremerito Petavius observat, vel in ipsis portentis hæreticorum aliquid fidei communis apparere, sicut Ariani admittebant, Christum esse Filium vel Verbum Dei incarnatum, Salvatorem, etc., vel sicut Gallicani admittebant, Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ, et sic in reliquis. Est enim præcipuus error historicorum protestantium, rationalistarum, modernistarum, nec non aliorum, quod non attendant, varias doctrinas regulariter proponi ad explicandas doctrinas fidei determinatas atque supposita. Secundum illos evolutio dogmatum quasi a

1. Unde in definitione fidei implicitæ a theologis adiungitur conditio : « dummodo nulli contrariæ sententiæ pertinaciter adhæreat ». Cf. S. Thomas, II. II, q. 2, a. 5, ad 2 et 3 ; q. 11, a. 2, ad 3 ; I, q. 32, a. 4. Ita Gallicani et Febroniani, revera fidem implicitam habentes, definitioni concilii Vaticani se submiserunt, dum vetero-catholici facti sunt hæretici, negantes fidem tum explicitam tum implicitam.

nihilo incepisset, irruentibus undique novis ideis, quæ ad dignitatem dogmatis evectæ fuerint. Secundum veritatem tamen historicam singulæ doctrinæ explicationes sunt fidei communis et præsuppositæ[1].

X. Inde simul patet, quo sensu *substantia* fidei in ipsis erroribus salvabatur. Non enim tantum principium quoddam *generale* tenebatur, in quo quocumque modo dogma postmodum definiendum contineretur, quasi sc. tantum per evolutionem et deductionem ex eo derivandum, sed simul *explicite aliqua doctrina determinata* tenebatur in qua veritas negata vel dogma futurum proprie implicite contineretur et crederetur. Unde *ipsa doctrina* per errorem negata fide implicita tenebatur, et *substantia fidei* quæ salvata asseritur, *est ipsum dogma* postmodum definitum : tantummodo non explicite, sed implicite tenebatur.

XI. *Conclusio.* Doctrina igitur catholica circa obscurationem revelatorum media quadam via incedit. Non quidem admittit, doctrinam revelatam per evolutionem fuisse immutatam vel corruptam, ut Protestantes, Modernistæ et Pistorienses prætendunt ; neque tamen affirmat, explicationem fidei semper via « normali » vel recta processisse, ut Bonwetsch nobis imputat[2], sed admittit, varios errores intervenisse, ita tamen ut errores in Ecclesia nunquam prævaluerint, dum in hæresibus veritas fidei corrupta fuerit. Unde tam frequenter S. Patres, theologi cuiusvis periodi et præcipue auctoritas Ecclesiæ de erroribus insurgentibus lamentata est ac tot errores condemnavit. Ita *Leo* M. conquæritur : « De sacramento dominicæ incar-

1. Ex nostra conclusione simul oppositio et indignatio explicatur quæ contra doctrinam Petavii primo orta est : aliis enim nimia, aliis non sufficientia concedere visus est. Ratio huius oppositionis fuit duplex : alia ex parte theologorum, alia ex parte historicorum. Theologi enim, confundentes doctrinam revelatam cum posteriori explicatione et formulatione, non sufficienter distinguebant inter doctrinam explicite et implicite propositam ; historici e contra non considerabant id quod in explicationibus erroneis tanquam de fide præsupponebatur atque tenebatur, sc. id quod Petavius substantiam dogmatis vocat.

2. *Grundriss der Dogmengeschichte,* p. 2.

nationis... multorum intelligentia caligabat[1]. » Et *Gregorius de Valentia* asserit : « Ecclesia doctrinas quasdam cum infallibili auctoritate veluti e tenebris eruit quibus quandoque ob hominum negligentiam vel proterviam et ingenii perversitatem demersæ latuerunt et forsitan latent adhuc in Ecclesia[2]. » Idem Lugo[3]. *Iohannes a S. Thoma* nomine quasi omnium tenet, temporibus recentioribus occasione hæresum insurgentium et refutationis earum plura in particulari et explicite cognita esse quæ homines doctos qui nos præcesserunt, adhuc latitabant[4]. Utinam omnes errores theologici nostri temporis mox extirparentur !

ARTICULUS DECIMUS QUINTUS

DE CAUSIS PROGRESSUS DOGMATICI

Ex prædictis facile causæ progressus dogmatici determinari possunt : sc. causa efficiens, finalis, materialis et formalis[5].

I. **Prima causa effectiva est Spiritus S.** — Verbum incarnatum cum post manifestationem Patris ab hac terra discederet, neque Apostolos neque doctrinam revelatam dereliquit, sed misit Spiritum Sanctum, sicut prædixerat : « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem... Ille me clarificabit : quia de meo accipiet et annuntiabit vobis » (*Joh.* 16, 13, 14). Ita, sicut in V. T. Spiritu Sancto inspirati locuti sunt prophetæ ad complendam et explicandam revelationem, ita in N. T., completa revelatione, idem Spiritus S. Ecclesiæ in explicandis revelatis

1. Ep. 103, M. L. 54, 989.
2. *Comment. theol.*, tom. III, disp. 1, q. 1.
3. *De fide*, disp. 3, sect. 5, n. 69.
4. *Cursus theol., De fide*, disp. 6, a. 2.
5. Cf. Palmieri, A., *Il progresso dommatico*, p. 91-130 ; *Dictionnaire de théol. cath.*, verbum « Dogme », col. 16-11-1619 ; *Dictionnaire apol.*, verbum « Dogme », col. 1164 ss. ; Scheeben, *Dogm.*, I, 201 ss.

assistit, illuminando et instigando. Cum enim veritas revelata sit res et proprietas divina, Spiritus Sanctus, quam hominibus communicaverat, ut rem suam tuetur et fructificare facit : unde veritas revelata eodem lumine ex quo veritas processerat, operante, in mentibus hominum perseverat, explicatur, evolvitur, ut finis revelationis plenissime obtineatur. Merito cl. *Schäzler* differentiam fundamentalem inter conceptum catholicum et protestanticum de explicatione revelatorum notat, quod sc. secundum doctrinam catholicam Deus ipse per organum a se institutum revelationem explicat, secundum vero protestantes revelatio manet thesaurus plus minusve absconditus, investigationi rationis humanæ relictus[1].

II. **Causa efficiens secunda et proxima est Ecclesia docens.** — Deus, licet sit prima causa movens in progressu dogmatico, tamen per causas secundas operatur, inter quas primo recensenda est *Ecclesia docens*. Cum enim dogmata proprie per propositionem auctoritativam et explicationem definitivam magisterii ecclesiastici fiant, neque per novam revelationem neque per inspirationem, sed per iudicium proprium Ecclesiæ, licet cum assistentia Spiritus Sancti, Ecclesia docens est proxima et propria causa efficiens progressus dogmatici[2]: sc. Ecclesia docens universalis, Concilia et Romanus Pontifex, quibus in hunc finem infallibilitas promissa est. Speciali modo Romanus Pontifex est causa progressus dogmatici. Id quod et historice apparet.

Etenim omnes quæstiones principaliores mediate vel immediate per Romanos Pontifices determinatæ et solutæ fuerunt, ita quod historia dogmatum proprie sit historia magisterii Romanorum Pontificum. In quæstionibus de SS. Trinitate et de Incarnatione concilia doctrinam Romanorum Pontificum approbaverunt. Doctrina S. Augustini de peccato originali, de gratia et prædestinatione per

1. *Bedeutung der Dogmengeschichte*, p. 32 ; cf. *Introductio in theologiam dogmaticam*, p. 146-153.

2. Vide supra, cap. 1 ; MARIN-SOLA, *Ciencia thomista*, 1914, n. 29, p. 177 ss.

Romanos Pontifices definitive sancita fuit. Quoad quæstionem de primatu pars Sedis Apostolicæ est manifesta. Idem tamen apparet quoad cætera dogmata definita. Munus enim Romanorum Pontificum non tantum in procuranda prædicatione Evangelii, sed et magis in « sancta custodia et fideli expositione » veritatis revelatæ consistit : quæ custodia et expositio proprie profectum dogmaticum comprehendit.

Iamvero in illa « custodia sancta» includitur tum revelatorum propositio continua, immutata, in eodem sensu eademque sententia, tum damnatio cuiuscumque erroris contrarii, tum approbatio et definitio doctrinæ veræ ; « fidelis vero interpretatio et expositio » expresse explicationem revelatorum dicit, sive fiat per simplicem declarationem sive per dogmaticam approbationem sive per definitionem formulationum dogmaticarum. In qua re, si quis attente historiam dogmatum attenderit, vix non animadvertet, Romanos Pontifices communiter, non solum doctrinas iam antea elaboratas approbasse, sed ulterius positive et ex munere proprio solutionem et formulationem definiendam dedisse vel saltem perfecisse. Immo quandoque Sedes Romana doctrinam in Ecclesia quasi latentem de novo in memoriam revocat. Ita e. g. in decreto Pii X de communione quotidiana (licet non agatur de definitione dogmatica) decretum Concilii Tridentini in memoriam revocatur et declaratur; similiter in Iuramento contra errores Modernistarum doctrina Concilii Vaticani applicatur. « Veritatis enim et fidei nunquam deficientis charisma Petro eiusque in (Romana) cathedra successoribus divinitus collatum est ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universa Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, cælestis doctrinæ pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione, Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret[1] ».

Ecclesia tamen profectum dogmaticum non tantum per definitiones, damnationes vel declarationes magisterii extraordinarii efficit, sed et per prædicationem, instruc-

1. Conc. Vatic., Sess. 4, c. 4. D. 1837.

tionem, explicationem et applicationem fidei in exercitio magisterii ordinarii ; deinde, licet potestas magisterii proprie solis episcopis competat, tamen episcopi mediantibus aliis organis Ecclesiæ, operantur, præsertim per theologos, inquantum illi secundum ordinationem, instructionem et directionem Ecclesiæ doctrinam theologicam evolvunt — unde et tota moderatio studiorum theologicorum in profectum dogmaticum influit ; — denique actio qua Ecclesia aliquod dogma efficit, plurimas actiones præparatorias supponit, ut in historia quasi omnium dogmatum, videri est[1].

III. **Causa dispositiva progressus dogmatici sunt SS. Patres, Doctores Ecclesiæ, theologi nec non fideles illuminati.** — Ecclesia, cum sit societas, per modum organismi socialis dogmata efficit, i. e. cooperantibus capite et membris. Quæ cooperatio præsertim in SS. Patribus, doctoribus et theologis apparet : Spiritus enim Sanctus, Ecclesiæ promissus, etiam doctores et theologos illuminat, immo vel fideles bonæ voluntatis. Attamen huiusmodi influxus SS. Patrum et theologorum est tantum ministerialis, instrumentalis et præparatorius : ministerialis quidem, quia Patres et theologi tanquam ministri Ecclesiæ et in bonum Ecclesiæ doctrinam revelatam explicant ; instrumentalis, quia doctrinam, auctoritatem et illuminationem mediante Ecclesia accipiunt ; præparatorius, quia doctrina Patrum et theologorum non creat vel constituit dogma, nisi inquantum approbatio et definitio Ecclesiæ accedit. Unde Patres et theologi proprie testes doctrinæ Ecclesiæ docentis et credentis dicuntur. Attamen opus SS. Patrum et theologorum veram et propriam causalitatem in progressum dogmaticum habet, inquantum materiam definiendam præparant, formulas definiendas creant, auctoritatem ecclesiasticam ad definitionem quodammodo impellunt. Ita de facto nullum dogma definitum est, quin SS. Patres vel theologi doctrinam et formulam definiendam præparaverint et dispositive determinaverint (ultima dispositio prævia[2]).

1. Cf. Marin-Sola, in *Ciencia tomista*, n. 40, p. 5-36.
2. Cf. Gardeil, *Le donné révélé*, p. 180 s.

De facto historia dogmatum tam efficacem influxum S. Patrum et theologorum in evolutionem dogmatum nobis ostendit, ut historia dogmatum nil aliud quam historia doctrinæ Patrum et theologorum esse videatur et labor præcipuus historicorum in doctrina Patrum investiganda consistat.

In particulari tamen tria facta sunt notanda[1]. Primo S. Patres et theologi *occasione hæresum et aliorum errorum doctrinam definitam* magis *explicaverunt* et determinaverunt, formulas novas contra falsam explicationem creaverunt et ita explicationem definitivam dogmatum fundamentalium et damnationem auctoritativam hæresum præparaverunt. Ita Patres græci præsertim dogma Trinitatis et Incarnationis, prout in Symbolo Apostolico continetur, explicaverunt ; S. Augustinus occasione hæresis Pelagianæ doctrinam traditionis et S. Scripturæ de necessitate et gratuitate gratiæ nec non de peccato originali determinavit et explicavit ; theologi medii ævi contra Græcos definitionem processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio præparaverunt, similiter dogma de transsubstantiatione, de anima ut forma corporis, de visione beata ; theologi posttridentini occasione hæresis Protestantismi dogmata de Ecclesia, de Romano Pontifice, de fide, contra Rationalismum doctrinam de fide et ratione, de revelatione et de ordine supernaturali, contra Materialismum dogma de existentia et cognoscibilitate Dei creatoris explicaverunt, ita ut definitiones concilii Vaticani re vera sint fructus et approbatio laboris theologicorum scholasticorum.

Secundo deinde tum Patres tum theologi *ex studio explicandi et determinandi doctrinam fidei*, quin ad hoc per hæreses excitarentur : vel *damnationem futurarum hæreseum* et errorum *præparaverunt*, ut Protestantismi, Materialismi, Pantheismi, Idealismi, Rationalismi nec non Gallicanismi et Febronianismi.

Porro theologi tertio *quæstiones* inter catholicos *controversas ita solverunt ut maturæ essent pro definitione*, ut

1. Cf. *Optimam relationem* P. DUBLANCHY, in *Dictionnaire de théol cath.*, verbum « Dogme », col. 1611-19.

quæstiones de numero sacramentorum, de charactere sacramentali, de intentione in administrandis sacramentis requisita, de effectu absolutionis, de sufficientia attritionis, de Immaculata Conceptione B. M. V., de infallibilitate et plenitudine potestatis Romani Pontificis.

Quarto theologi *sine controversia* quædam capita doctrinæ christianæ ita explicaverunt *ut* vel *definitio sequeretur* (ut doctrinam S. Anselmi de satisfactione Christi) vel omnia pro definitione essent in promptu, si necessitas urgeret vel utilitas id suaderet, ut de plurimis scholasticorum doctrinis constat.

IV. **Causa instrumentalis progressus dogmatici est ratio humana, fide illustrata**[1]. — Explicatio revelatorum fit mediante intellectu (et voluntate) hominum. Ecclesia enim mediante ratione humana sensum doctrinæ revelatæ capit et determinat, sensum implicitum explicat, doctrinam traditam novis formulis exprimit, sive id fiat per intuitionem quandam directam sive mediantibus operantionibus logicis, præsertim per syllogismum, ut supra a. 7 et 11 exposuimus. Ita vires intellectuales Ecclesiæ sunt causæ instrumentales progressus dogmatici. Id quod tamen de ratione *fide illustrata* intelligendum est[2] et prout ratio insuper per dona Spiritus Sancti illuminatur, per magisterium Ecclesiæ dirigitur et sub imperio bonæ voluntatis operatur. Inde maior vel minor profectus dogmaticus in Ecclesia habebitur, secundum quod ratio humana magis vel minus magisterio Ecclesiæ et inspirationibus Spiritus Sancti subditur[3] ; e contra apud illos qui per hæresim vel schisma ab Ecclesia defecerunt, nullus profectus in revelatis cognoscendis apparet, sed potius obscuratio et corruptio fidei, ut apud Græcos et Protestantes[4]. Progressus igitur dogmaticus tum ab illuminatione Dei cuius Spiritus

1. Cf. P. Marin-Sola, in *Ciencia tomista*, n. 54, 55, 62.
2. Conc. Vatic., sess. 3, c. 4, D. 1796 .
3. Cf. Franzelin, *De divina traditione*, th. 25.
4. Meritum tamen doctorum protestanticorum in studiis literariis et historicis circa S. Scripturam et doctrinam SS. Patrum negare nolumus.

ubi et quando vult spirat, tum a cooperatione libera hominum dependet.

Denique *causalitas* rationis humanæ *proprie* est *instrumentalis*. Id quod sufficienter patet ex iis quæ de notione dogmatis, de explicatione revelatorum et præsertim de formulis dogmaticis diximus. Non enim ratio humana ad depositum fidei novam doctrinam obiectivam addit, sed exclusive doctrinam revelatam explicat, formulat, determinat, vel etiam conclusiones inde deducit. Doctrinæ igitur quibus ratio ad explicandam et formulandam veritatem revelatam utitur, proprie rationem medii vel instrumenti habent. Tamen est *causalitas vera ;* licet enim rationi humanæ non liceat aliquid addere ad depositum fidei, tamen vere et efficienter in *explicationem* depositi fidei influit : et ita ratio humana re vera est causa instrumentalis progressus dogmatici. Ex qua causalitate quam maxime historia evolutionis dogmaticæ explicatur.

Etenim inde consequitur quod evolutio dogmatica non tantum per leges communes cognitionis humanæ, sed simul per conditiones historicas temporum, nationum, immo humanitatis determinetur. Explicatio igitur revelatorum non tantum successive fit, sed spiritum et conditionem intellectualem hominum redolet quorum opere fit. Ita definitiones priorum conciliorum spiritum græcum redolent — tum quoad rem definitam tum quoad modum formulationis, — doctrina S. Augustini non minus mentalitatem latinam prodit, canones concilii Tridentini pleni sunt formulis scholasticis, similiter concilium Vaticanum mentem theologiæ recentioris manifestat. Neque usus et influxus rationis in processu dogmatico ad solam philosophiam vel theologiam coarctatur, sed generaliter, quidquid a ratione elaboratum fuit vel ad eius culturam pertinet, in progressum dogmaticum influxum habere potest et communiter exercuit, ut ideæ vulgares, conditio moralis, character linguæ (terminologia) nec non doctrina et cultus aliarum religionum : attamen, ut diximus, exclusive ut media et instrumenta explicationis revelatorum[1]. Id quod maxime quoad hæreses apparet.

1. Thesim rationalistarum de influxu conditionis historicæ et « motus popularis » vide in *Dict. Apol.*, v. « Dogme », col. 1165.

V. **Causæ occasionales progressus dogmatici sunt hæreses.** — Inter elaborata rationis quæ influxum in evolutionem dogmatum habuerunt, sine dubio computandæ sunt hæreses (sive ipsæ doctrinæ hæreticæ sive totum negotium hæreticorum). Evidenter tamen ipsæ hæreses non sunt causæ positivæ et directæ progressus dogmatici ; nam quantum ad ipsas pertinet, non producunt nova dogmata neque explicationem revelatorum promovent ; e contra hæreses ipsæ explicationem revelatorum pervertunt vel impediunt. Ridiculum tamen esset denegare hæresibus omnem *veram* causalitatem in evolutione dogmatum : sunt enim proprie causæ occasionales plurimarum definitionum, ut Arianismus causa fuit definitionis consubstantialitatis, Nestorianismus et Monophysitismus dogmatis unionis hypostaticæ in dualitate naturarum, Pelagianismus dogmatis de gratia et peccato originali, Donatismus dogmatis de Ecclesia et de Sacramentis, Protestantismus definitionum concilii Tridentini, Rationalismus et Liberalismus dogmatum concilii Vaticani, etc[1]. Modus huius causalitatis optime a S. Augustino ita describitur : « multa... ut adversus (hæreticos) defendi possint, et considerantur diligentius et intelliguntur clarius et instantius prædicantur et ab adversariis mota quæstio discendi extitit occasio[2]. » Nam hæreses excitant et obligant Ecclesiam ad doctrinam revelatam explicite proponendam, defendendam et definiendam, ut dicit S. Thomas : « quia perversi homines Apostolicam doctrinam et cæteras doctrinas et scripturas pervertunt ad sui ipsorum perditionem, ideo necessaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores[3]. » Ita hæreses proprie sunt *motiva* pro applicanda auctoritate dogmatica Ecclesiæ, determinant materiam definiendam et simul *directionem* evolutionis dogmatum : vis autem activa et productiva dogmatum et explicationis revelatorum stat ex

1. Cf. expositionem historicam in *Dictionnaire de théol. cath.*, v. « Dogme », col. 1611-1614.

2. *De civitate Dei*, 16, 2 ; cf. in Ps. 54, n. 22 ; in Ps. 67, n. 39.

3. *S. Theol.*, II. II, q. 1, a. 10, ad 1 ; cf. *ib.*, a. 9, ad 2 ; I, q. 29, a. 3 ; I, q. 36, a. 2, ad 1 et 2.

parte Ecclesiæ[1]. Hæreses dogmata fecerunt sicut Ecclesiæ persecutores martyres, vel sicut in bello europeo declaratio belli fuit causa victoriæ aliorum.

VI. **Conclusio : Quantum igitur ad causam efficientem progressus dogmatici, causa prima est Spiritus Sanctus, per motionem et assistentiam, causa secunda et proxima est Ecclesia docens, principaliter Romanus Pontifex ; causæ præparantes vel dispositivæ sunt S. Patres, Doctores et theologi, immo pietas quoque fidelium ; causa instrumentalis est ratio humana eaque fide illuminata ; occasio denique excitans sunt hæreses.**

VII. **Leges progressus dogmatici.** — Ex determinatione causarum efficientium per modum corollarii leges progressus dogmatici consequuntur. Lex *generalissima* est : Profectus dogmaticus fit per cooperationem Dei et hominum[2]. Huiusmodi lex universali ordini salutis respondet secundum quem Deus homines ad bona supernaturalia acquirenda mediante cooperatione humana perducit, ut Deo et homini convenit : id quod maxime homines ad studium indefessum theologiæ excitare debet[3].

Secundum hanc legem generalissimam progressus dog-

1. Cf. Lépicier, *De stabilitate traditionis*, p. 177 ss., 279 ss. ; Dorholt, B., *Entwicklung des Dogmas*, p. 25 s. ; Card. Billot, recte notat, hæreticos dogmata ne quidem *initiasse* (*De immutab. trad.*[2], p. 43[1]). Nam distinguendum est inter controversias in ipsa Ecclesia et hæreses. Doctrina Ariana iam ante Concilium Nicænum erat hæresis, utpote contraria fidei explicitæ in divinitatem Christi ; non minus doctrina protestantica evidenter iis opponebatur quæ magisterium Ecclesiæ sive sollemne sive ordinarium iam explicite ad fidem proposuerat, ut quod Romanus Pontifex sit caput divinitus institutum Ecclesiæ, quod in Eucharistia Christus sit realiter præsens, etc. (cf. Bannez, in II. II, q. 1, a. 7). Unde hæreses explicationem quandam dogmaticam iam perfectam supponunt et tantummodo sunt occasio, ut doctrina iam proposita solemnius definiatur et magis determinetur. Cf. Kleutgen, *Theologie der Vorzeit*, V[2], p. 421 s., 622 s.

2. Cf. Schæzler, C., *Bedeutung der Dogmengeschichte*, p. 158 s., et eiusdem : *Introductio in Theol dogm.*, l. c. ; Franzelin, l. c. ; Rademacher, *Der Entwicklungsgedanke*, p. 63, 77, 87.

3. Rademacher, l. c., p. 87.

maticus *legibus generalibus ordinis gratiæ et operationis humanæ* subiacet. Quantum ad ordinem supernaturalem profectus dogmaticus dependet a legibus generalibus distributionis gratiæ (illuminationis, gratiæ prævenientis, subsequentis (etc.), a legibus causalitatis gratiæ ; lex particularis habetur in promissa assistentia Spiritus Sancti in conservando, proponendo, explicando et defendendo deposito fidei. Quantum ad operationem humanam profectus dogmaticus subiacet legibus generalibus cognitionis humanæ, excepta tamen fallibilitate in conservando et definiendo deposito fidei, ratione assistentiæ Spiritus Sancti. Unde non sunt inquirendæ leges speciales pro progressu dogmatico, sed applicandæ leges communes cognitionis humanæ, certe ut applicatæ ad obiectum speciale quod est revelatio divina. Præter has leges proprie dictas, sive generales sive particulares, statui possunt *leges* progressus dogmatici *improprie dictæ vel etiam historicæ*. Huiusmodi leges ex historia dogmatum desumendæ sunt, ut quod evolutio dogmatica quandoque dependeat a hæresibus, quandoque sit fructus controversiarum theologicarum vel ex necessitatibus vitæ christianæ consequatur, etc.[1] Non tamen proprie leges dici possunt, quia potius quædam facta generalia progressus dogmatici exprimunt. Leges vero proprie dictæ naturam causarum profectus dogmatici sequuntur.

Inde simul explicatio profundior et theologica causalitatis tum divinæ tum humanæ in progressu dogmatico varia est secundum diversas explicationes influxus divini in intellectum et voluntatem humanam, secundum diversum conceptum causæ primæ (vel etiam principalis) et causæ secundæ (resp. instrumentalis). Secundum doctrinam S. Thomæ de perfecta subordinatione causæ secundæ sub causa prima (et similiter causæ instrumentalis sub causa principali) totus effectus est ab utraque causa : et ita tota evolutio dogmatum est tum ab Ecclesia, tum a Deo, ab Ecclesia autem vi virtutis a Deo sibi communicatæ. Ita secundum doctrinam S. Thomæ evo-

1. Cf. Dublanchy, in *Dictionnaire de théol. cath.*, l. c.

lutio dogmatum plene et perfecte factum humanum et historicum constituit, ut infra adhuc magis explicabitur (a. 17). Secundum systema molinisticum pars evolutionis dogmaticæ esset effectus Dei, et pars effectus hominum.

VIII. **Causæ finales vel motiva.** — Motiva in processu dogmatico procurando, generaliter loquendo, sunt duo : honor Dei et salus animarum. Ita Deus ipse maiorem manifestationem veritatis divinæ, pleniorem cognitionem Dei vel mysteriorum divinorum et salutem hominum intendit ; propter salutem hominum successive revelationem explicat, « sicut magister qui novit totam artem, non statim a principio tradit eam discipulo, quia capere non posset, sed paulatim condescendens eius capacitati : et hac ratione profecerunt homines in cognitione fidei per temporum successionem[1] » : homines enim revelationem portare non valuissent si ab initio tota explicata proposita fuisset. Similiter Ecclesia Immaculatam Conceptionem B. M. V. definivit « ad honorem Sanctæ et individuæ Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparæ, ad exaltationem fidei catholicæ et christianæ religionis augmentum[2] » ; et infallibilitatem Romani Pontificis « ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicæ exaltationem et christianorum populorum salutem[3] » : id quod similiter in aliis definitionibus locum habet.

In *particulari* motiva sequentia notentur : *a*) *Puritas fidei conservanda.* Per hæresim enim et infidelitatem opus Dei inane et inefficax redderetur ; unde præsertim Romani Pontifices in omni periculo fidei zelo summo et constantia maxima puritatem fidei defenderunt, non ex amore proprio vel ex studio dominandi, sed ut obligationi gravi satisfacerent[4]. *b*) *Perfectio cultus divini.* Cultus est applicatio et executio practica eorum quæ credimus ; inde mutua habetur connexio inter explicationem cultus et fidei ipsius.

1. S. Thomas, *S. th.*, II. II, q. 1, a. 7, ad 2. Licet S. Thomas in art. cit. immediate de novis revelationibus loquatur, ratio tamen adducta simul de explicatione dogmatica valet.
2. D. 1641.
3. D. 1839.
4. Cf. S. Thomas, *S. th.*, II. II, q. 1, a. 9.

Quandoque explicatio fidei præcedit perfectionem cultus, quandoque praxis explicationem fidei præcedit. — Perfectio enim cultus quandam explicationem doctrinæ vel supponit vel secum trahit, sicut e contra explicatio fidei explicationem cultus promovet. Cum cultus christianus præcipue sit sacramentalis, perfectio cultus maxime in doctrinam sacramentalem explicandam influxum habuit, licet non exclusive. Ita ortæ sunt quæstiones de baptismo hæreticorum, de remissibilitate peccatorum capitalium, et sic usque ad decretum de communione quotidiana. Sine dubio necessitates cultus efficassimus stimulus ad explicandam fidem extiterunt, tum quia circa cultum plurima implicite tantum revelata fuerunt, tum quia necessitates cultus erant practicæ et sensibiles. Immerito tamen Modernistæ[1] et Protestantes recentiores prætendunt, fidem primitivam, per cultum ex aliis religionibus mutuatum vel propter solas necessitates subiectivas introductum, mutatam vel defiguratam fuisse : tota enim explicatio dogmatica quæ ratione cultus contigit, nonnisi determinatio fidei iam præexistentis est.

c) **Executio officii et potestatis hierarchicæ Ecclesiæ.** — Cum Ecclesia sit divinitus instituta ad salutem animarum procurandam, necessario officium suum exercere debet et potestatem sibi datam applicare : id quod iterum sine explicatione doctrinæ de Ecclesia fieri non potest. In qua tamen explicatione praxis necessario quodammodo præcedere oportuit, i. e. Ecclesia primo in praxi se ipsam explicare oportuit, antequam doctrina magis determinaretur. Non enim doctrina determinata de conciliis generalibus extare poterat, priusquam huiusmodi concilia celebrata fuissent ; similiter doctrina explicita de potestate et infallibilitate Romani Pontificis exercitium effectivum potestatis et magisterii infallibilis supponit. Ex quo historia dogmatis de Ecclesia et specialiter de Romano Pontifice explicatur. Non ex cupiditate dominandi vel secundum imitationem imperii romani Summi Pontifices potestatem suam successive applicaverunt, sed obædientes

1. Cf. Decretum *Lamentabili*, prop. 39-51 ; Loisy, *Evangile et Eglise*, p. 175 ss.

mandato Christi et implentes officium sibi concreditum ; doctrina theologica et dogmatica nequaquam factum pure historicum tanquam divinum institutum sancivit, sed potestatem atque actionem Romanorum Pontificum tanquam legitimam executionem mandati divini agnovit atque in luce factorum ipsum mandatum divinum et naturam primatus melius cognovit. Neque mirum esse potest quod explicatio dogmatis de potestate hierarchica et de primatu Romani Pontificis iam a primo tempore Ecclesiæ usque ad diem hodiernum tot et tantas difficultates et controversias excitarit : dogma enim ecclesiasticum non tantum intellectui difficultates præbet, sed et voluntati, cum voluntas non libenter in negotiis intimis gubernio aliorum subdatur.

d) **Sanctitas vitæ christianæ promovenda.** — Finis revelationis proprius non est, ut credatur tantum, sed ut sit homini via directiva ad salutem ; unde explicatio revelatorum speciali modo vitæ christianæ promovendæ inservire debet, præsertim cum sanctitas vitæ christianæ per doctrinas erroneas facile periclitetur. Huiusmodi igitur motivum specialiter explicationem doctrinæ moralis promovebit, ut doctrinæ de religione, de officiis, de virtutibus et peccatis, de statibus, e. g. de matrimonio, de conditionibus in suscipiendis sacramentis, similiter ad solvendas quæstiones morales causatas per novas conditiones œconomicas, politicas, sociales vel per consuetudines practicas vitæ. Hinc habes seriem declarationum Ecclesiæ, incipiendo a decreto Hierosolymitano usque ad Encyclicas recentiorum Romanorum Pontificum. Licet enim vita moralis maxime a bona voluntate vel intentione, a zelo et constantia dependeat, tamen non minus normæ certæ, veræ et obiectivæ requiruntur quarum notitia est indispensabilis, præcipue pro communitate ecclesiastica. Minimus quoque error maximum periculum sanctitatis et moralitatis inducere potest. Vestigia terrent ! E contra explicatio perfectior doctrinæ revelatæ viam sanctitatis *faciliorem tutioremque* reddit adeoque maiorem animarum tranquilitatem parat. Ecquidem « sancta simplicitas » bona est, sed secundum legem ordinariam ad perfectionem altiorem

tantum illi pervenient qui normas et media sanctificationis perfectius noverint[1]. Unde ratione et merito explicationis plenioris doctrinæ revelatæ fideles hodie facilius et securius operi salutis et sanctificationis incumbere valent : id quod de facto in vita sanctorum apparet[2].

e) Denique **profectus ipse** in cognitione revelatorum **eximium bonum spirituale** constituit, ab Ecclesia minime negligendum. Non pauci quidem, vel ex catholicis, immo ex theologis, a dogmatibus novis abhorrent. Immerito tamen. Etenim in definitione dogmatica duo sunt consideranda : primo obligatio fidei imposita, secundo explicatio revelationis vel profectus fidei et cognitionis revelatorum. Illi quidem qui a novis definitionibus abhorrent, tantum novam obligationem considerare videntur. Attamen obligatio fidei profitendæ non imponitur nisi ad intellectum perficiendum et ad dirigendum et promovendum hominem in via salutis. Quæ si considerentur, dogmata non tam ut onus grave quam ut donum pretiosum apparent. Sicut in scientiis novæ doctrinæ, novæ conclusiones ac denique omnis progressus plausu omnium accipitur, ita in materia fidei maximus ille profectus qui in definitione dogmatica habetur, vix ut oportet æstimari potest. Denique non video qua ratione illi a novis definitionibus abhorrere debeant qui veram fidem in Deum habent atque infallibilitatem Romani Pontificis profitentur. Nihilominus tamen Ecclesia, parcendo debilitati plurimorum, absque necessitate vel magna utilitate dogmata nova non definit.

IX. **Conclusio.** — *Motiva* igitur profectus dogmatici promovendi sunt plane et essentialiter *religiosa*, ut sc. religio revelata conservetur, perficiatur et fructus afferat. Non enim depositum fidei Ecclesiæ concreditum est tanquam talentum in sudario occultandum, sed tanquam semen seminandum et lumen accendendum, ut omnes inde utilitatem capiant. Merito igitur *Leo XIII* docet : « Nolle

1. Cf. A. Weiss, *Apologie des Christentums*[5], vol. 5, *Dritte Abteilung.*

2. Cf. Pesch, *Glaube, Dogmen,* etc., p. 193 ; « Das Dogma bewirkt in der Kirche... unaufhörlich Zuwachs an Heiligkeit. »

dogmata huc plane recidit, christianam religionem nullam esse[1]. » Quibus rationibus adducta Ecclesia errores damnavit, dubia solvit, explicationem promovit, dogmata auctoritate sua definivit. Maxime igitur cura salutis animarum causa plurimarum definitionum fuit, i. e. fidelitas Ecclesiæ in exequendo munere divino : « Docete eos servare omnia quæcumque mandavi vobis » (*Mt.*, 28, 20). Quantum ad Ecclesiam dici non potest : « Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis » (*Thren.* 4, 4).

X. **Causa formalis profectus dogmatici est auctoritas et approbatio magisterii infallibilis Ecclesiæ.** — Causa formalis progressus dogmatici facile ex natura dogmatum cognoscitur. Cum enim dogma formaliter per definitionem et propositionem magisterii ecclesiastici constituatur, etiam fieri dogmatis formaliter a magisterio Ecclesiæ dependet, cuius ultimus actus est definitio dogmatica. Unde quælibet doctrina in processu dogmatico tantum profecisse censenda est, quantum per auctoritatem ecclesiasticam approbata fuerit. Ita doctrina quædam, quantum quidem ad speculationem scientificam plane cognita esse potest, attamen multum adhuc a definitione distare ; e contra alia doctrina proxima esse potest definitioni quin scientifice sit sufficienter explicata. Historicus igitur dogmatum præcipue ad declarationes Ecclesiæ attendet, cum diversos gradus in evolutione dogmatis designent.

XI. **Causa materialis progresssus dogmatici sunt revelata.** — Materia progressus dogmatici evidenter sunt illæ doctrinæ quæ ut explicatæ, formulatæ et definitæ dogmata constituere possunt : huiusmodi autem sunt omnes et solæ doctrinæ revelatæ. Cæteræ vero doctrinæ quæ in evolutione dogmatum influxum habent, potius ut agentia quædam considerantur. Revelata rationem materiæ habent, inquantum dogmata in potentia in illis continentur, vel in quantum ex revelatis fiunt dogmata[2].

1. Encyclica *Tametsi*.

2. Caveas inde, ne materiam *progressus* dogmatici cum materia *historiæ* dogmatum confundas. Materia enim historiæ dogmatum

XII. **Conclusio.** — Ex dictis patet, processum dogmaticum, vel quoad suas causas, esse maxime complexum. Inde pro historia dogmatum evidens sequitur officium, saltem pro posse, singulas eius causas considerare. Nostris temporibus multi historici præcipue, immo quasi exclusive, influxum idearum revelationi extranearum considerant : ut influxum philosophiæ coævæ vel religionis ethnicæ vel etiam iudaicæ. Qua in re, licet habeatur obiectum verum historiæ dogmatum, tamen certe obiectum neque principale neque unicum, adeoque, secundum modum considerandi tam restrictum, vix iudicium definitivum et rectum de progressu dogmatico haberi potest[1].

ARTICULUS DECIMUS SEXTUS

DE ANALOGIIS PROGRESSUS DOGMATICI[2]

I. **Processus dogmaticus certe est processus sui generis :** neque in natura neque in historia alius existit processus par vel quoad omnia similis ; tamen sub multiplici respectu ad alios processus habet analogiam, i. e. aliquid

illa omnia comprehendit quæ quocumque modo in explicatione revelatorum concurrunt, sive sint revelata sive hæreses sive ideæ vulgares sive systemata philosophica et religiosa.

1. Harnack sequentes causas processus dogmatici notat (*Lehrbuch der Dogmengeschichte*, I[3], p. 13) :

1° Conceptus et effata librorum canonicorum ;

2° traditio doctrinalis periodi antecedentis, iam non intellecta ;

3° necessitates cultus et constitutionis ;

4° voluntas componendi doctrinam religionis (vel religiosam) cum doctrinis scientificis vigentibus ;

5° conditiones politicæ et sociales ;

6° diversi conceptus perfectæ vitæ moralis ;

7° « sic dicta » consequentia logica, id est analogia dogmatum ;

8° voluntas componendi diversas « directiones » et oppositiones intra Ecclesiam existentes ;

9° intentio reiiciendi doctrinas quæ erroneæ reputantur ;

10° « vis sacrosancta consuetudinis cæcæ ».

2. Cf. Ginoulhiac, *Histoire du Dogme catholique*, I[3], p. xxvii ss.

simile, secundum quod aliquid commune diversa proportione in processu dogmatico et aliis processibus reperitur[1]. Determinata igitur natura propria processus dogmatici, de analogiis agendum est, quia huiusmodi analogiæ magnæ sunt utilitatis, cum processum dogmaticum magis illustrent. Caute tamen in iis procedendum est : primo neque similitudo nimis prematur neque distinctio specifica negligatur — inde enim non pauci errores circa progressum dogmaticum originem duxerunt — secundo huiusmodi analogiæ fundentur oportet[2] super conceptum theologicum et historicum evolutionis dogmatum, atque ad illum illustrandum, non vero vice versa, adducantur — minus enim recte plures quasi exclusive in huiusmodi analogiis afferendis insistunt[3] atque inde doctrinam de evolutione dogmatum determinant.

II. Notissima est *analogia Vincentii Lerinensis* in primo Commonitorio. Primo distinguit inter permutationem et profectum, admittendo tantum profectum in cognitione doctrinæ christianæ[4]. « Sed forsitan, ait, dicit aliquis : Nullus ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis ? Habeatur plane et maximus... Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet ut in semetipsum unaquæque res amplificetur, ad permutationem vero ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ — ætatum ac

1. « Dicuntur aliqua similia quæ communicant in eadem forma, sed non secundum eandem rationem..., sed secundum aliquam analogiam » (S. Thomas, *Summa theol.*, I, q. 4, a. 3). « Nomen quod sic multipliciter dicitur, significat diversas proportiones ad aliquid unum » (l. c., q. 13, a. 5). « Ratio similis secundum proportionem-hæc est analogia proprie dicta » (Caietanus, in opusculo *De analogia nominum* ; cf. eiusdem *Comment.* in I, q. 13, a. 5, n. 12).

2. Cf. Rademacher, *Der Entwicklungsgedanke*, p. 91.

3. Fere omnes explicationes modernæ processus dogmatici tantummodo analogiis utuntur, neglecta explicatione theologica et propria, præsertim scholasticorum.

4. C. 23, al. 28. Ed. Rauschen, *Florilegium Patr.*, fasc. V.

sæculorum gradibus — intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem sc. dogmate, eodem sensu eademque sententia[1]. »

Secundo Lerinensis huiusmodi profectum per analogiam evolutionis corporum et seminum explicat : « *Imitetur, ait, animarum religio rationem corporum* quæ licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quæ erant, permanent. Multum interest inter pueritiæ florem et senectutis maturitatem, sed iidem ipsi fiunt senes qui fuerunt adolescentes, ut, *quamvis unius eiusdem hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, una eademque persona sit.* Parva lactentium membra, magna juvenum : eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum, et si qua illa sunt quæ ævi maturioris ætate pariuntur, jam in seminis ratione proserta sunt, ut nihil novum postea proferatur in senibus quod non in pueris iam antea latitaverat. Quodsi humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certe addatur quidpiam membrorum numero vel detrahatur, necesse est ut totum corpus vel intercidat vel prodigiosum fiat vel certe debilitetur. Ita etiam christianæ religionis dogma sequatur has decet profectum leges ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen inlibatumque permaneat et universis partium suarum mensuris cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem... Addatur liceat species forma distinctio, eadem tamen cuiuslibet generis natura permaneat... Quodcunque igitur in hac Ecclesiæ Dei agricultura fide patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est enim ut prisca illa cælestis philosophiæ dogmata processu temporis limentur poliantur, sed nefas est ut commutentur, nefas est ut detrucentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam lucem distinctionem,

1. C. 23. Ultima verba a Concilio Vaticano citata atque approbata fuerunt, sess. 3, c. 4, D. 1800, 1818.

sed retineant necesse est plenitudinem integritatem proprietatem. »

Analogia classica Lerinensis præsertim stabilitatem substantialem revelationis in explicatione dogmatica illustrat atque hoc sensu præcipue a theologia catholica recepta est[1], naturam tamen progresus dogmatici nonnisi modo vagissimo indicat[2]. Unde theologi posteriores analogiam corporum et seminum magis determinare conati sunt.

III. *H. Newman*, adhuc protestanticus, postmodum Cardinalis S. R. E., analogiam Lerinensis ingeniose ad determinandam distinctionem inter progressum et corruptionem doctrinæ christianæ applicavit[3]. In profectu alicuius organismi, ait, partes et proportiones finales partibus et proportionibus originis correspondent, licet alteratio magna intercedat ; in corruptione vero organica organismus in suas partes dissolitur, ita ut unitas ipsius pereat. Secundum hanc analogiam corruptio idearum ad hoc tendit ut complexus idearum dissolvatur, typus uniens destruatur, principium vitale auferatur et ideæ oppositæ ideas originales expellant. Signa vero progressus veri sunt : conservatio typi vel ideæ originalis, continuitas principiorum, virtus assimilativa respectu ad alias ideas, anticipatio quædam doctrinæ posterioris, connexus logicus, consonantia novorum cum veteribus, denique continuitas historica. Huiusmodi denique progressum in evolutione doctrinæ catholicæ probat.

Secundum igitur Newman processus dogmaticus habet analogiam ad progressum idearum et progressus idearum analogiam ad evolutionem organicam : qua explicatione

1. Cf. Bossuet, *Premier avertissement sur les lettres de M. Jurien*, c. 4, s. *Œuvres*, t. VIII, p. 217 ss.

2. Cf. A. Gardeil, *Le donné révélé*, p. 159 s. ; Reilly, W. S., *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus...*, Mame, Tours, 1903 ; Huguény, E., *La tradition*, in *Revue des Sciences phil. et theol.*, 1912, p. 710-731.

3. *An Essay of development of christian doctrine*, Lond., 1845, p. 57-94. Videsis expositionem argumenti in *Dictionnaire de théol. cathol.*, verbum « Dogme », col. 1630-1636.

Newman certe doctrinæ de evolutione dogmatum viam novam aperuit, licet explicatio proposita propter defectus doctrinæ noeticæ præsuppositæ in multis deficiat. Neque Newman proprie naturam singularem progressus dogmatici explicare intendit, sed potius vult ostendere, progressum doctrinæ catholicæ esse verum et legitimum : quapropter in primo capitulo generaliter necessitatem evolutionis idearum ostendit, postea eius leges statuit atque ad doctrinam catholicam applicat. Modernistæ certe immerito doctrina exposita ad suos fines abutebantur[1].

IV. *A. Gardeil* ita de analogia Lerinensis iudicat : « Cette belle analogie a deux mérites incontestables. D'abord, elle tient compte de la part prépondérante de l'influence divine intime et extérieure dans le développement d'un germe essentiellement surnaturel, ce en quoi elle est parfaitement catholique. Ensuite elle illustre splendidement le double caractère, fait de nouveauté et d'identité foncière, que présentent les mouvements successifs de l'affirmation objective de la Vérité révélée. Les notes qu'elle donne pour discerner le développement authentique sont réelles et parlantes[2]. »

V. *B. Allo*[3] loco analogiæ germinis analogiam fermenti proponit. Doctrina enim christiana, ait, materialiter tantum et accidentaliter profecit, inquantum plene et actu iam in mente Apostolorum extabat[4], postmodum tan-

1. Cf. Gisler, *Der Modernismus*, p. 604-608 ; Pesch, *Glaube, Dogmen*, etc., p. 174-200 ; M'Kenna, *The Theologie of faith*, p. 262 s. ; *Dict. de théol. cath.*, l. c.

2. *Le donné révélé*, p. 155 ; videsis restrictiones auctoris, p. 156 s.

3. *Germe et ferment*, in *Revue des sciences phil. et theol.*, 1907, p. 20-43 (*Foi et systèmes*, Paris, 1908, p. 223-262) ; 1909, p. 447-469.

4. « Cette doctrine n'est pas un germe, parce qu'elle n'a pas évolué, ne s'est pas perfectionnée intrinsèquement, et qu'elle existait déjà pleinement en acte dans l'âme des premiers prédicateurs de la foi. Elle s'est déformée, rapetissée ou diluée dans les systèmes des hétérodoxes, et elle est restée entière dans le catholicisme, mais sans y faire progrès ; elle n'avait plus à en faire, étant définitive. » *Foi et systèmes*, p. 238. « La connaissance religieuse de Dieu, en soi, n'est pas d'une autre nature, ni portée à un autre degré de perfection, qu'au jour de la Pentecôte. » *L. c.*, p. 253.

tum formulanda, defendenda, in systema redigenda et applicanda[1]. Optime vero doctrina christiana fermento comparatur inquantum sibi mentes, mores, doctrinas, instituta hominum assimilavit. Unde ultimo analogia agentis chimici adducitur[2]. Uti ex contextu patet, Allo stabilitatem substantialem fidei christianæ (contra Loisy et Harnack) defendit et illustrat ; tamen analogia fermenti magis influxum religionis christianæ in genus humanum quam profectum dogmaticum illustrat[3].

VI. Maxime *A. Rademacher* analogiam inter incrementum organicum et dogmaticum determinare studet[4]. Sicut in incremento organico, ait, non tantum aliquod totum in suas partes iam præexistentes dividitur, sed formationes novæ oriuntur quæ ut tales in celula tantum sicut in germine habebantur, ita in processu dogmatico non tantum ideæ quædam in suas partes integrantes dividuntur, sed simul « doctrinæ simpliciter novæ » proponuntur, quæ ut tales tantum in virtute productiva et teleologice in doctrina primitiva extabant. Analogiam proprie in differentiatione organica ponit[5]. Per huiusmodi analogiam differentiationis vel epigenesis præsertim formulationes novæ, sicut et deductiones theologicæ illustrari possunt. Immerito tamen auctor paucissimas tantum ideas vel doctrinas ut revelatas præsupponere videtur neque admitti potest, vel unum ex dogmatibus definitis in doctrina revelata *tantum* tanquam in virtute productiva vel tantum teleologice (ut finis) existere[6].

1. *L. c.*, p. 250-253.

2. « L'agent semble opérer par le simple contact, sans subir lui-même aucune réaction, ni déperdition facile à constater. Un exemple simple et populaire est celui du levain qui, après avoir fait lever la pâte, n'est ni plus ni moins levain qu'auparavant. Voilà une des interprétations qu'on peut donner à la parabole : *Simile est regnum cœlorum fermento...* » l. c., p. 261 s.

3. Cf. RADEMACHER, *Der Entwicklungsgedanke*, p. 91.

4. *Der Entwicklungsdanke in Religion und Dogma*, Cöln, 1914 ; cf. Carl. BETH, *Entwicklung des Christentums*, 1913.

5. P. 70-83.

6. P. 83.

VII. Alii auctores analogiam cum cognitione humana præferunt. Ita *De la Barre*[1], *De Grandmaison*[2], *Bainvel*[3], *Gardeil*[4], et *Garrigou-Lagrange*[5].

Huiusmodi auctores in hoc insistunt quod profectus scientiæ facta certa et immutabilia supponit, quæ quidem explorantur et explicantur, ita tamen quod scientia per continuam reflexionem vel quasi reditum ad facta conclusiones suas in conspectu factorum examinet. Ita etiam fit in explicatione revelatorum : in qua veritas revelata locum factorum sensibilium tenet. A. Gardeil ulterius *modum* huius analogiæ per triplicem statum progressûs explicare conatur[6].

VIII. *P. Garrigou-Lagrange* præfert analogiam transitus a cognitione confusa ad cognitionem distinctam, vel a cognitione obscura ad distinctam[7].

1. *La vie du dogme catholique,* appendice.
2. *Le développement du dogme chrétien,* in *Revue pratiq. d'Apol.,* 1908, p. 902.
3. *De magisterio vivo et traditione,* p. 145.
4. *Le donné révélé,* p. 157 ss.
5. *Le sens commun, la philosophie de l'être et les formules dogmatiques* (Paris, 1909), p. 113 ss. ; cf. eiusdem *De revelatione,* Romæ-Par., 1918, I, p. 169-180.
6. *L. c.;* p. 160 ss.
7. « La véritable analogie du développement du dogme est le progrès que nous avons constaté dans la connaissance des premiers principes rationnels ou encore dans la connaissance des notions de liberté, de spiritualité... Tout le monde possède les premiers principes, ils sont comme la structure même de la raison, mais le vulgaire ne saurait les formuler ; il a fallu l'effort des philosophes pour trouver cette formule précise, pour déterminer les rapports de dépendance de ces différents principes à l'égard du principe suprême, le principe d'identité. Il y a un réel progrès de la simple adhésion du sens commun au *IV*e *Livre des Métaphysiques,* consacré par Aristote au principe de contradiction ; mais ce progrès réel n'est qu'un passage de l'actuel implicite à l'actuel explicite. Ce sont les mêmes principes explicites.

De même tout homme a conscience de son libre arbitre, il se sent maître de ses actes, maître d'agir ou de ne pas agir. Il a une idée non pas *obscure,* mais claire de la liberté, en ce sens qu'elle suffit pour lui faire reconnaître ce qui est libre et ce qui ne l'est pas. Mais cette idée reste cependant *confuse* en elle-même, elle ne

IX. **Conclusio.** — Omnes huiusmodi analogiæ aliquid veri continent. Deficiunt quidem in hoc quod singulæ partem tantum processus dogmatici illustrant ; si vero in processu dogmatico diversæ partes vel respectus distinguuntur, singulæ analogiæ optime applicari, immo et aliæ addi possunt. Ita *propositio* auctoritativa dogmatis analogiam habet in legislatione status, et similiter interpretatio revelationis in interpretatione auctoritativa legum : hac tamen cum differentia quod status vel Ecclesia secundum proprium arbitrium leges fert atque interpretando eas non raro modificat, dum Ecclesia tantum doctrinam revelatam ad credendum proponere potest. *Progressus* a fide vel cognitione implicita ad explicitam repræsentatur tum per analogiam incrementi organici, tum per profectum cognitionis : tamen incrementum corporum secundum leges naturæ necessarie sequitur vim et dispositionem seminis et causarum extrinsecarum, dum explicatio revelatorum a libera operatione hominum et libera illuminatione Dei dependet ; similiter profectus cognitionis

sera *distincte* que lorsque la raison philosophique en déterminera la compréhension et la définira en la rattachant à l'être...

C'est ainsi que nous devons concevoir l'évolution dogmatique, au moins pour les dogmes fondamentaux qui, comme la Trinité et l'Incarnation, ont été, dès les premiers temps, objet de foi explicite et exprimés en termes de sens commun. L'explicitation de leur formule déjà claire n'a été qu'*un passage du confus au distinct*... Pour d'autres dogmes, comme l'infaillibilité du Pape ou l'Immaculée-Conception, qui n'ont pas été objet de foi explicite dès les premiers temps, il y a eu passage non pas du confus au distinct, mais de *l'obscur au distinct*. L'infaillibilité du Pape était contenue obscurément dans le dogme de l'infaillibilité de l'Église et dans celui de la primauté des successeurs de saint Pierre. De même l'Immaculée-Conception était contenue dans la plénitude de grâce attribuée par l'archange Gabriel à Marie. Ainsi, dans l'ordre naturel la certitude de l'objectivité de nos connaissances contient la certitude que l'objet formel de l'intelligence est l'être, cette dernière proposition n'est pas connue clairement, mais seulement de façon obscure par le vulgaire, tandis qu'il connait clairement la liberté. De même encore, comme le dit Leibnitz (*Nouv. Ess.*, l. II, c. 29), le vulgaire a une connaissance *obscure* des diverses expèces de plantes, le jardinier en a une connaissance *claire*, le botaniste une connaissance *distincte* ».

humanæ est profectus a cognitione universali ad cognitionem particularem, profectus vero dogmaticus tantum a cognitione implicita ad explicitam vel objective æquivalentem. *Formulatio* dogmatica fit analoge ad formulationem scientificam : tamen in formulatione scientifica formula adhibita potest esse adæquata, dum conceptus in formulatione dogmatica rem revelatam tantum inadæquate exprimunt, utpote quia tantum in sensu analogo applicari possunt. Similiter proprietates progressus dogmatici diversas similitudines habet. *Stabilitas* et *immutabilitas* substantialis dogmatis optime per stabilitatem organismi repræsentatur, habet tamen quoque analogiam in stabilitate primorum principiorum cognitionis ; *veritas infallibilis* dogmatum quandam similitudinem habet in necessitate naturali evolutionis organicæ secundum leges naturæ, ab auctore naturæ conditas, dum infallibilitas Ecclesiæ in conservandis, interpretandis et definiendis revelatis in assistentia supernaturali Spiritus S. fundatur ; *casus* vel errores in explicatione revelationis analogiam manifestam habent in historia scientiæ vel cognitionis humanæ, ita tamen, quod in Ecclesia error non possit prævalere.

X. **De nominibus processus dogmatici.** — Etiam nomina quibus ille processus quo dogmata fiunt, designatur, analoga sunt. Lerinensis, uti vidimus, huiusmodi processum « *profectum* » vocat. Scholastici medii ævi terminum « *explicationis* revelatorum » creaverunt qui : ethymologice quidem est analogus, ex doctrina tamen scholasticorum et usu sæculari vim termini technici et significationem propriam accepit : unde omnino tanquam terminus technicus et communis retinendus est[1]. Auctores catholici moderni non raro nomine « *progressus* dogmatici » utuntur : analogia patet, attamen nomen est nimis vagum. Alii præferunt nomen linguæ vulgaris : (développement, sviluppo, developement, Entwicklung) : huiusmodi nomen maxime nomini latino « explicationis » respondere videtur : inde similiter in lingua vulgari retinendus est, tamen ut ter-

1. Cf. supra, a. 5, prop. V.

minus technicus, i. e. secundum sensum in theologia determinatum. Acatholici, attamen et multi catholici, de « *evolutione* » dogmatum loquuntur, dum multi catholici, huiusmodi nomen reiiciunt. Certe, auctores protestantici, rationalistæ et modernistæ illo nomine mutationem substantialem doctrinæ primitivæ significare volunt : qua in significatione nomen per consequens est vitandum et damnandum. Similiter nomen evolutionis ex usu est nomen quasi proprium et technicum evolutionis organicæ : adeoque non nisi analogice ad explicationem revelationis transferri potest. Tamen evolutio organica non est nisi una species determinata evolutionis. Quodsi igitur nomen evolutionis generice accipiatur, præsertim, si in sensu scholastico intelligatur, sc. tanquam transitus de potentia in actum, quantum ad ipsum nomen pertinet, nil obstat usui termini evolutionis dogmatum. Nam in historia dogmatum habetur re vera transitus de potentia in actum, tum ex parte propositionis ecclesiasticæ, inquantum quædam doctrinæ successu temporum actu et particulariter ad credendum proponuntur, tum ex parte explicationis, formulationis et cognitionis, quæ revera successive actu fiunt. Qua ex ratione et in sensu nunc explicato, et nos in hoc opere nomine evolutionis dogmatum usi sumus, sicut et alii catholici.

CAPUT TERTIUM

De Historia Dogmatum

Ex doctrina de natura et de evolutione dogmatum quæstio de ipsa historia dogmatum solvitur. Quam tribus articulis absolvemus, agendo :

1° De *obiecto*,
2° De *methodo* et
3° De *necessitate et utilitate* historiæ dogmatum.

ARTICULUS DECIMUS SEPTIMUS

DE OBIECTO HISTORIÆ DOGMATUM

I. **Status quæstionis.** — Non pauci catholici (et magis acatholici) putant, secundum doctrinam catholicam dogmata non esse obiectum historiæ, saltem non vere et proprie, adeoque historiam dogmatum proprie dictam esse impossibilem : nam, dicunt, historia considerat id quod fit et mutatur, dogmata vero sunt immutabilia[1]. Unde admittunt quidem historiam theologiæ, non vero historiam dogmatum proprie dictam[1].

Tamen e contra, præcise secundum doctrinam catholicam de natura dogmatis et de evolutione dogmatis, possibilitas et veritas historiæ dogmatum sequitur : secundum enim illam dogmata vere et proprie sunt obiectum historiæ.

II. **Thesis : Dogmata vere et proprie sunt obiectum**

1. Cf. Jacquin, O. P., *Revue des sciences philos. et theol.*, 1907, p. 103.

historiæ, non quidem secundum eorum veritatem revelatam ac immutabilem, sed secundum quod per propositionem et explicationem successivam veritatum revelatarum constituuntur.

Sensus theseos patet ex supra expositis. Etenim in dogmate duo distinguenda sunt : primo veritas revelata dogmatis, et secundo propositio veritatis revelatæ ad credendum (a. 2). Ipsa veritas revelata est immutabilis proindeque dogmata ex hac parte obiectum historiæ esse nequeunt. Propositio tamen ex parte Ecclesiæ est successiva, præsertim secundum quod explicationem et formulationem veritatum revelatarum includit; unde dogmata ex hac parte fiunt obiectum historiæ et habetur historia dogmatum. Id quod quidem post ea quæ de explicatione revelatorum (a. 4-16) disseruimus, vix adhuc probatione indiget. Quia tamen non pauci putant[1], dogmata saltem non *vere et proprie* esse obiectum historiæ adeoque non vere et proprie esse historiam dogmatum, ostendemus, *propositionem ac explicationem revelatorum, adeoque dogmata, vere et proprie esse obiectum historiæ.*

III. **Prob.** — Historia definitur tanquam scientia quæ facta et connexionem causalem in evolutione actionum humanarum socialium inquirit et exponit[2].

Iamvero propositio et explicatio revelatorum : 1° est factum historicum, 2° fit per actionem proprie et immediate humanam, 3° habet suas causas humanas et sequitur conditiones hominis, 4° est ordinis socialis, 5° fit successive, et quidem 6° ex causis determinatis. Dogmata igitur, secundum quod fiunt per propositionem et explicationem revelatorum, habent conditiones obiecti historiæ ideoque sunt vere et proprie obiectum historiæ.

1. Ita præsertim Hermesiani : cf. Schæzler, *Bedeutung der Dogmengeschicte*, p. 36 ss.

2. E. Bernheim, *Lehrbuch der historischen Methode* (1914), p. 9 : « Die Geschichtswissenschaft ist die Wissenschaft, welche die zeitlich und räumlich bestimmten Tatsachen der Entwicklung der Menschen in ihren Betätigungen als soziale Wesen in Zusammenhange psycho-physischer Kausalitat erforscht und darstellt. » Cf. ibi explicationem definitionis.

Minor probatur per partes.

Primo propositio et explicatio revelatorum evidenter *factum historicum* constituit cuius initium, progressus, conditiones, causæ, effectus sicut in aliis factis historicis investigari atque determinari possunt.

Secundo propositio et explicatio revelatorum fit *per actionem proprie et immediate humanam.* Definitio enim dogmatica fit quidem assistente Spiritu Sancto, sed tamen per homines tanquam per causas principales. Nam ipse Papa definit aliquam doctrinam. In hoc enim habetur distinctio inter revelationem, inspirationem et definitionem dogmaticam quod revelatio fit immediate et exclusive per ipsum Deum ; in inspiratione vere Deus est auctor principalis, hagiographus auctor instrumentalis ; in definitione dogmatum autem homo est causa principalis, licet causa secunda et sub assistentia speciali Spiritus Sancti, vi cuius definitio ab omni errore præservatur. Definitio igitur dogmatica est proprie actio humana, est hominis ut causæ principalis, est actio conscia, libera, deliberata, sicut quæcunque alia actio historica. Quapropter definitio dogmatica multo magis obiectum historiæ constituit quàm revelatio et inspiratio.

Tertio definitio dogmatica, licet fiat sub infallibili assistentia Spiritus Sancti, tamen habet suas *causas humanas* et *sequitur conditiones* intellectus et voluntatis hominis (excepta fallibilitate in ipsa definitione propter charisma infallibilitatis), ut a. 8 expositum est.

Quarto definitio dogmatica est actio proprie *ordinis socialis* ideoque proprie historici (in quantum sc. illa sola facta proprie ut historica considerantur quæ characterem et influxum socialem vel in communitatem habent). Definitio enim non est actio privata, sed Romani Pontificis vel Concilii ut personæ publicæ, obligat totam Ecclesiam ad credendum, fit respectu ad conditionem vel necessitatem Ecclesiæ, influit in vitam religiosam et communem Ecclesiæ, uno verbo , est quam maxime naturæ socialis et historicæ.

Quinto propositio et explicatio revelatorum fit *successive*, ut facto constat. Non enim statim a principio omnes veritates revelatæ explicite ab Ecclesia ad credendum fuerunt

propositæ, sed succedentibus temporibus ; similiter successive depositum fidei per Ecclesiam explicatur et a fidelibus explicite cognoscitur. Neque enim existentia revelationis neque gratia fidei intelligentiam, saltem plenam, revelatorum secum ferunt : revelatio enim ipsa tantum possibilitatem huiusmodi cognitionis constituit, fides vere dicit assensum ad veritatem propositam ideoque notionem vel explicationem ipsius præsupponit.

Sexto ; successiva propositio et explicatio fidei non est pure accidentalis, sed *ex determinatis causis* sequitur ideoque proprie est historica. Successiva enim propositio et explicatio sequitur :

a) E*x natura intellectus humani ;* propositio et explicatio revelatorum fit per Ecclesiam tanquam causam humanam ideoque secundum conditionem intellectus humani (excepta fallibilitate) : est autem lex universalis generis humani quod non sit a principio perfectum, sed quod successive perficiatur, id quod maxime apparet in perfectione cognitionis, sive in singulis hominibus, sive in toto genere humano. Ita etiam revelatorum propositio et explicatio successive fieri debuit, sicut adhuc hodie parvulus vel homo ad fidem conversus fidei veritates successive cognoscit[1].

b) *Sequitur ex sublimitate supernaturali veritatum revelatarum* quæ omnino excedunt capacitatem intellectus humani, ita sc. ut non possint ex principiis naturalibus deduci, sed sola revelatione cognosci, et etiam habita revelatione non possint comprehendi : ita veritates revelatæ intellectui humano summam difficultatem præbent, existit quædam disproportio inter intellectum humanum et veritates revelatas, ita ut homo nonnisi magno labore et conatu vehementi ad cognitionem revelatorum atque ad intelligentiam superiorem fidei pertingere possit. Licet igitur Deus Ecclesiam suam semper illuminet, quia tamen illam ad modum et conditionem agentis vel societatis humanæ illuminat, consequens est, profunditatem, plenitudinem atque altitudinem veritatis revelatæ non nisi successive esse cognitam, propositam atque explicatam. Quanto tempore qualique labore de facto opus erat, ut

1. S. Thomas, II. II, q. 1, a. 7, ad. 2.

saltem veritates principaliores rite explicarentur et fidelibus recte innotescerent ! Optime S. Thomas notat : « In his quæ sunt fidei accidit quod oportuit paulatim humanum intellectum *assuefieri* ad ea quæ sunt fidei[1]. »

c) Sequitur ex modo quo revelatio facta et nobis tradita est. Deus enim arcana sua sive in Veteri sive in Novo Testamento communiter sub velamine figurarum, parabolarum, metaphorarum, per modum complexi et obscure revelavit, ita quod quandoque sensum quasi occultasse videatur[2]. Huc accedit quod revelatio in lingua nobis extranea, antiqua facta et tradita est. Unde communiter non parvus labor requiritur ad sensum alicuius revelationis determinandum. In hoc totus labor de interpretanda S. Scriptura consistit, in hoc labor præcipue theologorum. Quot studia requirebantur ad determinandum sensum illius dicti : « Verbum caro factum est » ! Vel quantum dis putatum est de textu : « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam » ! Si Christus dixit : « Ego sum vitis, vos palmites », quis adhuc totum sensum huius revelationis exhausit ?

d) Sequitur ex modo quo revelatio in initio et progressu Ecclesiæ fuit proposita. Ipsi Apostoli quidem veritatem revelatam Ecclesiæ proposuerunt, non tamen omnes veritates eodem modo, sed quasdam fusius et expressius, alias vero magis succincte et obiter. Sic Apostolus Paulus Corinthiis resurrectionem mortuorum per longum demonstrat, Romanis necessitatem fidei, dum alia, e. g. divinitatem Spiritus S., breviter enuntiat. Ita in symbolo apostolico Trinitas divinarum personarum modo quodam indirecto proponitur, sc. per fidem in Deum Patrem, in Jesum Christum, Filium Dei, et in Spiritum Sanctum. Similiter in symbolis et definitionibus posterioris temporis formulæ alicuius temporis ad exprimenda mysteria applicantur, quæ posteriori tempore quandoque non parvas difficultates creant, ut e. g. terminus : unio hypostatica.

e) Sequitur ex lege universali vel generali divinæ provi-

1. 3. d, 25 q. 2 a. 2 sol. 1, ad 2.
2. Cf. supra, a. 7, n. 1.

dentiæ quæ hominibus secundum eorum conditionem providet[1].

Certe explicatio revelatorum est opus speciale providentiæ et gubernationis divinæ : id quod maxime constat ex promissa assistentia ad infallibilem conservationem et expositionem illorum. Tamen Deus huiusmodi providentiam specialem et immediatam per homines, i. e. per Ecclesiam, exequitur, et quidem secundum conditionem hominum et Ecclesiæ : ita enim fert lex communis providentiæ et gubernationis divinæ[2]. Unde ratio quam S. Thomas pro *revelatione* successiva affert[3], servata proportione etiam pro successiva *explicatione* revelatorum in progressu dogmatico valet. Docet S. Doctor : « Profectus cognitionis dupliciter contingit : *uno modo* ex parte *docentis* qui in cognitione proficit, sive unus sive plures, per temporum successionem ; et ista est ratio augmenti in scientiis per rationem humanitus inventis : *alio modo* ex parte *addiscentis ;* sicut magister qui novit totam artem, non statim a principio tradit eam discipulo, quia capere non posset, sed paulatim condescendens eius capacitati : et hac ratione profecerunt homines in cognitione fidei per temporum successionem ». Deus igitur homines, immo ipsam Ecclesiam, etiam quantum ad explicationem fidei paulatim et condescendens eorum capacitati illuminat. Id quod Aquinas in resp. ad 3 ita magis explicat : « In manifestatione fidei (sive per novam revelationem sive per definitionem Ecclesiæ) Deus est sicut agens qui habet scientiam perfectam ab æterno : homo autem est sicut materia recipiens influxum Dei agentis ; et ideo oportuit, quod ab imperfectis ad perfectum procederet cognitio fidei in hominibus : et licet in hominibus quidam se habuerint per modum causæ agentis, qui fuerunt fidei doctores : tamen manifestatio

1. Ad rem optime GINOULHIAC, *Histoire du dogme catholique*, I², p. XXV : « S'il a plu à Dieu, en révélant sa vérité, de lui imprimer des caractères qui ne permissent pas de penser qu'elle relevait de l'homme, il a voulu aussi que ses manifestations à travers les siècles s'accomplissent d'une manière harmonique avec les conditions de notre existence actuelle. »

2. S. THOMAS, I, q. 22, a. 3 ; q. 103, a. 6.

3. II. II, q. 1, a. 7, ad 2.

spiritus datur talibus ad utilitatem communem : et ideo tantum dabatur Patribus[1] qui erant institutores fidei, de cognitione fidei, quantum oportebat pro tempore illo populo tradi, vel nude, vel in figura ».

Ita progressus dogmaticus, licet fiat sub speciali influxu Dei et infallibiliter, tamen fit per homines tanquam causas immediatas, successive et secundum eorum conditionem ; unde *proprie* est factum historicum et obiectum historiæ[2]. Inde simul patet, quodnam sit obiectum historiæ dogmatum.

IV. **Obiectum materiale historiæ dogmatum sunt dogmata Ecclesiæ catholicæ.** — Iam ex nomine historiæ « dogmatum » constat, obiectum proprium huius scientiæ esse dogmata. Per hoc enim obiectum historia dogmatum distinguitur a historia profana vel etiam Ecclesiæ, immo a historia theologiæ vel hæresum vel etiam doctrinæ SS. Patrum. Cum vero dogmata veri nominis in sola Ecclesia catholica habeantur, sola dogmata *ab Ecclesia catholica definita* obiectum historiæ dogmatum constituunt. Quidquid enim est de veritate diversarum Ecclesiarum, in nulla tamen Ecclesia, præterquam in Ecclesia catholica, de facto dogmata admittuntur, saltem præter ea, quæ ab Ecclesia catholica sunt definita. Quantum ad protestantismum patet, quia eius doctrina fundamentalis dogmata excludit[3]. In Ecclesia vero græca schismatica materialiter quidem dogmata extant, sc. dogmata ante schisma definita ; post tempus autem schismatis nulla nova dogmata proprie dicta habentur, quia auctoritas competens deest[4]. Sola igitur dogmata Ecclesiæ catholicæ erunt obiectum historiæ dogmatum[5]. Inde simul habetur obiectum omnino

1. I. e. patriarchis et prophetis V. T. ; idem tamen valet quantum ad patres Ecclesiæ, theologos, immo et magisterium ipsum Ecclesiæ.

2. Inde etiam nomen « historiæ *dogmatum* », licet per protestanticos primo introductum fuerit, optime salvatur neque protestantismum sapit, ut timet P. Jacquin, O. P., in *Revue des sciences phil. et théol.*, 1907, p. 103. Cf. tamen quæ diximus, a. 5, prop. V.

3. Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, I[4], p. 4 ss.

4. A. Palmieri, *Il progresso dommatico*, p. 67-90.

5. Quæri potest, utrum *iudicia infallibilia* Ecclesiæ circa res

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

determinatum. Dogmata enim ab Ecclesia Catholica definita sunt res quædam omnino determinata et de materia determinata. Habes enim, si ordinem temporis sequeris, dogma de SS. Trinitate, de Incarnatione, de gratia, etc. Unde historiæ dogmatum erit texere historiam dogmatis consubstantialitatis Verbi, unionis hypostaticæ, dogmatis antipelagianæ de gratia, etc. Ita denique historia dogmatum ex parte obiecti certis terminis circumscribitur.

Auctores *protestantici* non parum torquentur in determinando obiecto historiæ dogmatum, immo apud ipsos per longum tempus confusio inter historiam dogmatum et historiam theologiæ vel SS. Patrum erat. Communiter secundum diversum conceptum dogmatis diversam quoque materiam historiæ dogmatum attribuunt[1]. Omnibus tamen auctoribus protestanticis, rationalisticis et modernisticis dogmata catholica ea saltem ratione sunt materia historiæ dogmatum, ut per historiam eorum errorem et originem humanam ostendant, vel, ut Krueger expresse finem historiæ dogmatum determinat, « ut discamus, ne dogma cum Evangelio confundamus[2] ». Ita Harnack ostendere conatur, dogmata de Deo, de Christo, de Ecclesia, etc. (prout etiam a protestanticis tenentur) esse formaliter et reduplicative « catholica » et per consequens a vero protestante relinquenda. Inde docet, illorum dogmatum historiam esse inquirendam quæ in concreto in historia extant, sc. dogmatum in Ecclesia catholica « ante reformationem » definitorum, ut eorum « origo, evolutio et exitus » determinetur[3].

cum deposito fidei connexas ad historiam dogmatum pertineant. Dicendum tamen videtur, declarationes quascumque Ecclesiæ præter definitiones dogmaticas pertinere ad obiectum historiæ dogmatum secundarium, i. e. considerandas esse ut sunt via vel præparatio ad definitiones ex cathedra-sicut et doctrina SS. Patrum vel theologorum consideratur.

1. G. Krueger, *Was heisst und zu welchem Ende studiert man Dogmengeschichte ?*

2. *L. c.*, p. 55.

3. D. G. I. p. 3 ss. ; 15 ss. ; cf. Loofs, *Leitfaden*[4], p. 10. Inde vel apud auctores protestanticos dogmata catholica sunt materia historiæ dogmatum.

Denique inde concludere possumus, non esse historiam dogmatum veram et strictam nisi in Ecclesia catholica. Ex parte objecti patet, quia non nisi in illa dogmata veri nominis habentur. Ex parte scientiæ historicæ id sequitur ex hoc : qui nullam auctoritatem infallibilem et divinitus institutam in dogmatibus proponendis admittit, in formulatione, propositione, impositione et evolutione doctrinæ ecclesiasticæ non nisi elementum humanum, opus ingenii et fructum laboris hominum videt, id quod objectum historiæ theologiæ vel Ecclesiæ constituit. Si autem dogmata tanquam veritates revelatæ, per infallibile et divinitus institutum magisterium Ecclesiæ propositæ, formulatæ et explicatæ considerantur, revera objectum proprium et specificum vel formale historiæ dogmatum et ita historia dogmatum veri nominis habetur[1]. De qua re in capite sequenti.

V. **Obiectum formale historiæ dogmatum est successiva propositio et explicatio revelatorum.** — Dogmata enim proprie sunt obiectum historiæ, secundum quod in eis habetur successiva propositio et explicatio revelatorum (n. 1). Obiectum igitur formale historiæ dogmatum, i. e. ratio sub qua dogmata in historia dogmatum considerantur, erit totus ille processus in cognoscendis, explicandis, formulandis, definiendis et proponendis revelatis usque ad constitutionem dogmatis.

Non pauci historiam dogmatum sensu latiori intelligunt, ac si *totam* « *historiam* » dogmatum comprehendat, id est, omne id quod ad definitionem perduxit, et simul effectus vel fata definitionis factæ. Inde cum revelatione alicuius dogmatis in Vetere Testamento incipiunt, e. g. Trinitatis, historiam definitionis in Ecclesia prosequuntur et denique acceptionem dogmatis apud catholicos et eius negationem apud hæreticos cum sequelis relativis enarrant. Simul quidquid quocunque modo influxum in « historiam » dogmatis habuit vel quod quocumque modo cum dogmate definiendo vel definito cohæret, tanquam objectum historiæ dogmatum considerant.

1. Ita optime B. Dœrholt, *Ueber die Entwicklung des Dogma*, p. 22, nota 2.

Attamen patet talem historiam esse historiam Ecclesiæ vel religionis christianæ sub aliquo determinato respectu[1].

VI. **Officium historiæ dogmatum.** — Inde erit *officium historiæ dogmatum* ostendere, quænam doctrinæ originariæ succedentibus temporibus explicatæ fuerint, quibus novis formis, conceptibus vel terminis fuerint expressæ, quibus mediis, quibus ex rationibus, quibus sub conditionibus facta sit explicatio, uno verbo : undenam sit dogma definitive in Ecclesia propositum. Ita historia dogmatum ostendet, quam vario modo mens humana revelationem primitus propositam explicaverit, quam volubiliter in hac explicatione processerit, quam fortis simul ac debilis sit in hoc officio explendo, quanta sit denique veritas vel falsitas in explicationibus per mentem humanam datis. Simul apparebit quantum explicatio fidei a conditionibus cognitionis humanæ dependeat. Quot errores, quantæ pugnæ ! Quænam complicatio mutua diversarum sententiarum ! Quanta historia vel unius doctrinæ !

In particulari singulæ partes et proprietates evolutionis dogmaticæ historice determinandæ sunt. Ita præsertim, qua via *explicatio* doctrinæ revelatæ, sive in S. Scriptura sive in traditione extiterit, facta sit (a. 6, 7), utrum per simplicem analysim an mediantibus doctrinis philosophicis. Auctores acatholici communiter tantum illas doctrinas considerant quæ tanquam *media* explicationis adhibitæ vel adductæ fuerunt : unde in doctrina traditionis ubicumque influxus, « infiltrationes » et effectus philosophiæ vel religionis ethnicæ statuunt. Unde maxime attendendum est, quæ doctrina specifice christiana supponatur vel explicanda suscipiatur. Inde simul differentia specifica inter christianismum originalem et varias religiones ethnicas apparebit ac facile determinabitur, qualis fuerit earum influxus et effectus in evolutione dogmatum.

Magna pars inquisitionis historicæ circa interpretationem *S. Scripturæ* versabitur (cf. a. 13), cum tam Patres quam

1. Cf. A. Ehrhard, *Stellung und Aufgabe der Kirchengeschichte*, p. 15.

hæretici doctrinas suas ex ea vel hauserint vel probare conati fuerint. Ita historia dogmatum ostendit, quænam partes S. Scripturæ explicatæ fuerint, quo sensu, quinam textus definitive declarati sint, quinam textus definitioni dogmaticæ inservierint, quonam sensu, et qualis fuerit evolutio huius interpretationis.

Quantum ad *traditionem* (cf. a. 12) historico dogmatum principaliter erit ostendendum, *quibus sub formis dogmata definita successu temporum in traditione extiterint*[1]. Et certo diligenter inquirenti doctrina fidei in traditione mirabili multiplicitate enuntiationum varietateque formarum apparebit, neque tantum vestigia quædam, sed doctrinæ explicitæ, quibus dogmata postmodum definita implicite, i. e. modo æquivalenti vel æquipollenti testificantur.

Inde erit quæstio *de diversis formulationibus* (cf. a. 11) : quibus sc. sub formulis aliqua doctrina in traditione primitiva extiterit, quænam formulationes ex S. Scriptura in traditionem transierint, quænam formulæ S. Scripturæ in traditione aliam formulationem acceperint, et quomodo formulæ priores tempore posteriori aliis cesserint. Uti ex doctrina de explicatione revelatorum supra exposita patet, præcipua pars laboris historici erit in determinandis huiusmodi formulis earumque causis ac rationibus : ita tamen quod non proprie ad historicum pertineat iudicare de æquivalentia obiectiva formularum singularum, sed earum existentiam atque rationes historicas exponere.

Maxime historicus dogmatum ad *causas* (cf. a. 15) diversimodæ explicationis et formulationis attendet : ita enim historia dogmatum proprie ad dignitatem scientiæ elevabitur. Neque excluditur comparatio cum religionibus ethnicis (scientia comparativa religionum), præsertim, ut vera et historica origo dogmatum contra errores doctrinæ syncretisticæ defendatur, quæ sc. asserit, doctrinas christianas esse a religionibus alienis acceptas, licet cum qua-

1. Optime Lepicier, (l. c., p. 167) : « Ea debet esse cuivis cordato historico lex, ut habitis ob oculos iis dogmatibus quæ nunc Ecclesia tenet, conetur eorum vestigia in traditione deprehendere. »

dam modificatione. Quanto magis historicus doctrinam christianam noverit, tanto facilius huiusmodi errores refutabit.

Specialiter denique erit officium historiæ dogmatum inquirere et ostendere, quomodo in conflictu variarum sententiarum et errorum ad dogmatis definitionem perventum sit (cf. a. 14).

Ita requirendum erit : quænam doctrinæ vario atque erroneo· modo expositæ fuerunt, quibus ex rationibus, quibus mediis sententiæ oppositæ fuerunt impugnatæ atque veritas fidei propugnata[2], quinam fuerunt effectus erroris, hæresis, definitionis. Histoirici protestantes prætendunt, in pluribus doctrinis ab Ecclesia reiiectis vestigia traditionis originalis apparere vel e converso dogmata quædam postmodum definita fundari in doctrina antea reiiecta, vel quasdam doctrinas propter rationes politicas, etiam contra traditionem propriam et evidentiam veritatis, ab Ecclesia fuisse damnatas[1] : unde erit speciale officium historicorum catholicorum ostendere omnes controversias fuisse *circa interpretationem rectam fidei traditæ.*

Huiusmodi investigatio historica explicationis revelatorum certe est difficillima, tamen digna labore et ingenio optimorum ac simul necessaria. Ad rem optime *Tixeront*[2] : « Entre les enseignements de Jésus-Christ ou de saint Paul et ceux du Concile de Nicée ou du Concile de Trente, il n'y a certes pas ressemblance verbale, mais il y a équivalence, il y a identité du fond... La question se pose néanmoins : comment de l'Évangile et de saint Paul ... est-on venu aux formules de Nicée ou à la profession de Pie IV ? »

---

1. Uti e. g. in quæstione Nestoriana.
2. *Histoire des dogmes*, I, p. 2.

ARTICULUS DECIMUS OCTAVUS

DE METHODO HISTORIÆ DOGMATUM

I. Cum ratio cuiuscumque scientiæ naturam proprietatemque obiecti proprii sequatur, ex doctrina de natura profectus dogmatici simul ratio atque methodus historiæ dogmatum determinabitur. *Primo* canon generalis statuetur, *secundo* errores et sententiæ controversæ exponentur, *tertio* ratio methodi historicæ determinabitur, præsertim in comparatione ad methodum dogmaticam, *quarto* erit quæstio de criteriis theologicis[1].

II. **Canon generalis : Historia dogmatum tanquam historia methodo historica uti debet, tanquam disciplina theologica criteriis theologicis subiacet.** — Ex obiecto historiæ dogmatum facile patet, illam ex parte esse disciplinam historicam, ex parte vero theologicam : historicam quidem, inquantum obiectum formale est ipsum fieri dogmatum, theologicam autem, inquantum materia circa quam versatur, est revelatio supernaturalis in dogmatibus expressa et proposita. Per consequens historia dogmatum, ut historia, methodo historica tanquam propria uti debet, tanquam disciplina theologica autem criteriis theologicis subiacet. In quo canone quasi omnes difficultates circa methodum historiæ dogmatum includuntur : primam quidem partem quasi omnes admittunt, alteram vero partem plures negant vel diversimode explicant.

Multi quidem historici, vel ex catholicis, negant historiam dogmatum esse disciplinam theologicam. At generaliter loquendo id negari non potest ab eo qui dogmata tanquam veritates divinitus revelatas admittit : nam veritates revelatæ, quocumque modo consideratæ, obiectum proprium theologiæ constituunt. Nec valet effugium, huius-

1. De methodo historiæ dogmatum auctores recentiores tractant in operibus contra errores modernistarum, præsertim in commentariis ad Iusiurandum antimodernisticum : cf. elenchum supra, ad a. 3, positum. Alia opera data occasione indicabuntur.

modi veritates in historia dogmatum sub alia ratione considerari quam in theologia dogmatica, quia diversus modus considerandi disciplinas quidem particulares theologiæ, non vero ipsam theologiam dividit : unde habetur theologia dogmatica, historica, apologetica, sicut ex alia divisione theologia speculativa et positiva. Ille igitur solus negare potest historiam dogmatum esse disciplinam theologicam qui, revelationem divinam dogmatum non admittendo, dogmata tanquam inventum philosophicum vel creationem humanam considerat. Itaque historia dogmatum ex obiecto suo est disciplina theologica, ex methodo autem proprie historica.

III. **Errores et sententiæ controversæ circa methodum historiæ dogmatum.** — Duplici canoni generali duplex error correspondet : primus contra methodum historicam, inquantum historiæ dogmatum methodus dogmatica imponitur, alter error contra rationem obiecti, inquantum nempe criteria theologica aut negantur aut seponuntur. Historici quidem multum in reiicienda methodo dogmatica in historia dogmatum instant : attamen, licet negari non possit aliquos theologos dogmaticos in re illa defecisse, tamen difficultas minor esse videtur, maior et præcipua difficultas circa criteria theologica versatur. Nominantur vero *criteria theologica* « *normæ omnes de ipsa revelatione descendentes specialesque regulæ quas revelatio vel natura sua inferi vel de facto assignavit*[1] ». Criteria igitur theologica sunt : primo veritates ipsæ revelatæ, secundo quæcumque infallibiles declarationes Ecclesiæ, tertio præcepta Ecclesiæ, quarto consequentiæ certæ ex revelatione deductæ. Dicuntur *criteria* historiæ dogmatum (non vero principia), inquantum sunt normæ vel regulæ, quibus historicus in iudiciis ferendis ligatur, contra quas sentire non licet.

Historici *protestantes* communiter per *præsupposita* falsa peccant. Huiusmodi sunt : conceptus erroneus revelationis, fidei et dogmatis, falsa determinatio doctrinæ revelatæ, theologoumena ex theologia protestantica deducta, doctrina philosophica fidei contraria, negatio magisterii

1. Cardinalis Billot, *De immutabilitate traditionis*, p. 82.

infallibilis Ecclesiæ ; auctores liberales insuper vel simpliciter omnem revelationem divinam et ordinem supernaturalem negant. Mirum esse non potest protestantes ex talibus suppositis ad conclusiones fidei catholicæ et historiæ dogmatum catholicorum prorsus oppositas devenire : idemque valet de historia rationalistarum.

Modernistarum error præcipuus in *philosophia* corrupta habetur, sc. in philosophia agnosticismi, vitalismi et immanentiæ ,qua quidquid est supernaturale et divinum, ex historia reali eliminatur atque opinioni subiectivæ vel conscientiæ vel sensui religioso attribuitur. Ex hoc principio præsupposito præcipue negatio veræ revelationis, negatio magisterii infallibilis Ecclesiæ, doctrina de valore relativo dogmatum, de defiguratione traditionis, etc. sequitur, immo in hoc vel critices modernistica fundatur. De cætero Modernistæ quam maxime falsis præsuppositis et doctrinis protestantium imbuti sunt.

Modernistæ quidem, sicut et Protestantes et Rationalistæ, omnibus viribus prætendunt, se principia sua ex rationibus historicis hausisse, i. e. ex consideratione factorum. Sic in « Programma » Modernistarum italicorum et in « Réponse » gallicorum. Sed immerito ! Nullus quidem somniabitur Modernistas ordine chronologico primo statuisse agnosticismum, deinde immanentiam vitalem, etc. et sic conclusiones deduxisse. Sensus affirmationis est : doctrinam modernisticam ex factis *non vi factorum, sed vi philosophiæ præsuppositæ et falsæ et fidei contrariæ deduci*. Quodsi quis obiiciat — sicut de facto opponunt — illam quoque philosophiam ex factis historicis recte perpensis sequi, respondetur, talem doctrinam nullo modo logice ex factis deduci posse. Ita e. g. diversæ sententiæ hominum de natura et existentia Dei nulla ratione agnosticismum vel immanentiam vitalem vel æqualem valorem omnium religionum vel sensum religiosum modernisticum probant. Unde merito historia Modernistarum apriorismus purus et falsus vocari potest et debet[1]. Neque mirum, facta historica apud Modernistas non raro et maxime arbitrarie corrumpi.

1. Cf. Encycl. *Pascendi*, D. 2072-2078 ; 2096 ss.

Historicorum deinde plurimorum sententia est *criteria theologica* non esse quidem (a priori) neganda, at *seponenda, non consideranda.* Tanquam canonem methodi historicæ ponunt : inquisitionem historicam esse sine præsuppositis, non considerare nisi facta ipsa secundum regulas criticas examinata, procedere secundum solius scientiæ principiis adeoque a criteriis theologicis abstrahere. Iuxta talem canonem historico quidem non licet supponere principia fidei opposita neque intendere demonstrationem falsitatis dogmatum, at similiter non licet veritatem fidei supponere vel auctoritatem sacram. Historicus « neutraliter » ad veritatem fidei se habere debet, eam antecedenter neque affirmando neque negando. Huiusmodi methodum vel simpliciter methodum historicam atque scientificam vocant vel historico-criticam, empirico-psychologicam ac denique scientiam liberam vel absolute scientiam (Voraussetzungslose Wissenschaft).

Ex catholicis quidam fautores huius sententiæ inter *personam historici* et *scientiam historicam* ipsam distinguunt : historicum quidem, aiunt, ut personam credentem, ad fidem tenendam esse obligatum, scientiam vero vel historicum ut historicum ad considerationem fidei non teneri, immo vi suæ scientiæ ab ea abstrahere posse et debere. Alii sic distinguunt : fidem atque auctoritatem Ecclesiæ esse regulam et normam negativam atque extrinsecam. *Negativam* quidem dicunt, inquantum doctori catholico non licet aliquid tenere vel defendere quod fidei contradiceret, ita ut, si ad conclusiones fidei oppositas devenerit, huiusmodi iudicia retractare et novam investigationem instituere debeat ; *extrinsecam*, inquantum investigatio historica omnino independenter a fide et auctoritate Ecclesiæ procedit, doctrinam SS. Patrum sicut quamcumque aliam doctrinam velut factum historicum considerat, secundum sola scientiæ principia, i. e. exclusive secundum regulas communes inquisitionis historicæ : quam independentiam historiæ a criteriis theologicis « independentiam methodicam » vocant. Ita quam maxime methodum historicam a methodo dogmatica atque similiter theologiam historicam a theologia dogmatica distinguunt ; habes duas disciplinas toto genere diversas, quarum una

a principiis fidei atque sub positiva et intrinseca directione Ecclesiæ procedit, altera vero a factis secundum solius scientiæ regulas. Exponendum igitur est, quid methodus historica proprie importet, præsertim, qua ratione a methodo dogmatica differat, et utrum abstractio a criteriis theologicis in historia, præsertim in historia dogmatum, debita vel licita sit.

IV. **Quid methodus historica importet?** — Methodus rationem vel ordinem in scientia acquirenda dicit. Methodus igitur cuiusque scientiæ ex natura scientiæ determinanda est. Scientia historica definitur : scientia quæ facta evolutionis societatis humanæ eorumque causas investigat atque exponit[1]. Duo igitur sunt officia principalia historiæ : investigatio factorum historicorum et investigatio causarum evolutionis. Quodsi facta historica proprie ex fontibus vel documentis historicis investigantur atque connexus causalis ex ipsis factis determinatur, proprie et specifice methodus historica habetur. Methodus igitur historica essentialiter est positiva et a posteriori procedit, inquantum facta ex testimoniis historicis eruit, eorum causas proprias et immediatas considerat, conclusiones non ex principiis generalibus, sed ex ipsis factis deducit ; simul proprie evolutionem factorum, ipsum fieri rerum investigat atque determinat. Itaque in historia dogmatum secundum methodum historicam : primo facta successivæ propositionis et explicationis revelatorum investigantur et exponuntur (expositio doctrinæ historicæ), et quidem ex ipsis fontibus vel documentis historicis ; secundo ipsum fieri vel ipsa explicatio doctrinæ determinatur, tertio connexus causalis in evolutione exponitur, utpote inquantum utrumque ex ipsis factis historicis erui potest.

V. **Distinctio methodi dogmaticæ et historicæ.** — Methodus historica a methodo dogmatica differt una ex parte secundum *obiectum* formale, altera ex parte secundum *modum procedendi*. Quoad *obiectum* differentiæ principales sunt sequentes : 1. Dogmaticus *veritatem* alicuius

1. BERNHEIM, *Lehrbuch der historischen Methode*, p. 5.

doctrinæ considerat, historicus, quomodo doctrina illa cognita, explicata, proposita fuerit, vel breviter *genesim* dogmatis considerat ; 2. dogmaticus fidem Ecclesiæ *præsentis* investigat atque fidem temporis præteriti in testimonium veritatis fidei præsentis adducit, historicus statum fidei temporis *præteriti* determinat atque profectum in fidem præsentem exponit ; 3. dogmaticus, cum fidem temporis præteriti considerat, *convenientiam* huius fidei cum doctrina S. Scripturæ et cum dogmate postmodum definito ostendere intendit, historicus *causas* inquirit, quibus ad posteriorem statum explicationis et definitionis perventum sit ; 4. multæ proinde sunt quæstiones historicæ quæ dogmaticum vix movent, historicum vero maxime agitant.

Quoad *modum considerandi*, methodus dogmatica vero doctrinam Ecclesiæ proprie et formaliter *in lumine fidei Ecclesiæ*, et quidem fidei explicatæ temporis præsentis, explicat atque diiudicat, methodus vero historica *in lumine factorum atque documentorum historicorum*. Ita 1° methodus dogmatica doctrinam SS. Patrum immediate in lumine fidei præsentis Ecclesiæ explicat, dum historicus eam sub ratione status vel conditionis fidei temporis coævi vel antecedentis considerat. 2° Secundum methodum dogmaticam sensus doctrinæ SS. Patrum, concordantia ipsius cum S. Scriptura vel dogmatibus Ecclesiæ, vis probativa immediate secundum approbationem et declarationem Ecclesiæ determinatur (e. g. doctrina S. Augustini de gratia), secundum vero methodum historicam doctrina SS. Patrum, hæreticorum aliorumque immediate per ipsius textus interpretationem determinatur, explicatur, iudicatur. Certe non potest esse alia et alia doctrina secundum iudicium Ecclesiæ et testimonia fontium, tamen alia et alia via ad illum sensum determinandum. In interpretatione textuum historicus præcipue comparatione utitur, comparatione sc. dictorum singulorum cum toto contextu, cum cæteris sententiis auctoris, cum sententiis adversariorum, cum dictis similibus aliorum theologorum, philosophorum, immo et aliarum religionum, etc. *(methodus comparativa)*. 3° Cum theologus dogmaticus doctrinam SS. Patrum directe ut testimonia traditionis dogmaticæ Ecclesiæ adducit, historicus doctrinam alicuius Patris ut

statum intermedium in evolutione doctrinæ considerat, adeoque ut effectum explicationis præcedentis et causam explicationis subsequentis. 4° Dogmaticus ut talis totam doctrinam SS. Patrum primario tanquam effectum divinæ revelationis et magisterii Ecclesiæ considerat, historicus vero præcipue influxum laboris humani et conditionis temporis in processu explicationis investigat ; unde historicus doctrinam alicuius temporis ex conditionibus temporis et hominum explicare conatur, id quod intellectum vel *sensum historicum* vocant.

Corollaria. — Ex dictis *primo* manifeste apparet, non parvam existere *differentiam* inter tractationem dogmaticam et historicam, nullam tamen esse oppositionem inter utramque. Simul neminem latebit, considerationem historicam in theologia catholica nunquam totaliter defuisse, licet nostro tempore modo perfectiori colatur[1].

Secundo : consideratio proprie et pure historica, licet evidenter sit legitima, non minus evidenter maxime limitata est adeoque *imperfecta*, cum explicationem revelatorum non nisi sub ratione restrictissima attingat. Ita secundum methodum historicam optime quidem facta historica statuuntur, influxus variarum doctrinarum et activitatis humanæ revelatur, minime tamen tota natura atque conditio processus dogmatici cognosci potest. Ita quoque effatum historicorum intelligendum est, per historiam nullam veritatem absolutam probari posse[2]. Sub alia tamen consideratione facta historica optime ad cognitionem veritatum universalium et necessariarum manuducere possunt, ut ex theologia apologetica patet. De facto quasi omnes historici ex historia conclusiones philosophicas et religiosas deducunt — id quod denique finis et intentio omnis studii historici est — licet in hoc limites methodi historicæ excedant.

Tertio ex dictis sequitur, in historia dogmatum servandas esse *regulas* vel normas practicas et technicas *communes*

1. Immerito Bernheim putat medium ævum vel saltem scholasticos incapaces fuisse, ut conditiones temporum aliorum intelligerent.

2. Cf. e. g. Harnack, *Wesen des Christentums*, p. 11.

inquisitionis historicæ, licet cum accomodatione quadam ad materiam propriam[1].

Quarto methodus historica, licet immediate sit methodus propria scientiæ historicæ, optime quoque in ipsa theologia dogmatica applicari potest. Immerito quidem historici quidam postulant quod theologia dogmatica exclusive methodo historica utatur vel quod theologia dogmatica in theologiam historicam, uti dicunt, transeat : methodus enim dogmatica in theologia est primaria, propria et fundamentalis. Attamen inter locos theologicos est *locus ex historia* cuius methodus proprie est methodus historica. Neque negamus locum ex historia apud theologos usque ad nostra quasi tempora non adamussim fuisse consideratum et excultum, et quidem præcise ex defectu methodi convenientis. In quo certe magnum habetur meritum historicorum qui totam materiam theologicam « historice », uti dicunt, investigantes, historiæ debitum locum in theologia vindicaverunt, et quidem in magnam utilitatem theologiæ ipsius, ut in cap. seq. exponemus. Ad quod certe non parum contulit necessitas defendendi fidem contra asserta historicorum acatholicorum. Id quod quintum corollarium insinuat.

Quinto : licet methodus historica per se non sit apologetica, tamen nihil obstat, neque ex parte historiæ neque ex parte methodi, quin historicus sua methodo utendo fidei doctrinam contra commenta historica adversariorum defendat, immo certis sub conditionibus et in quibusdam materiis ad illud teneri videtur. Omnis enim scientia defendit principia et conclusiones suas, et quidem ut præsupponitur, secundum principia et methodum sibi propriam. Unde hoc etiam in historia dogmatum locum habet. In historia dogmatum sicut supra vidimus, facillime, immo quasi necessario, differentiæ

1. Auctores historiæ dogmatum in capite suorum operum communiter generaliter tantum indicant sequendam esse methodum historicam : cf. HARNACK, *Lehrbuch des D. G. I.*, 14 s. ; SEEBERG, *Lehrbuch der D. G. I.*, 13. Similiter communiter methodum syntheticam et divisionem materiæ secundum periodos commendant. Cf. TIXERONT, *Histoire des dogmes*, I, 9 ss. ; GINOULHIAC, *Hist. du dogme cath.*, I, XCI ss. ; KŒNIGER, *Voraussetzungen*, p. 29 ss. ; ZOBL, *Dogmengeschichte*, p. 13.

maximæ erunt inter catholicos et alios, sicut et revera videmus. Licet huiusmodi differentiæ principaliter ex diversis præsuppositis falsis proveniant, tamen in casu concreto opus est ut in particulari defectus methodi vel argumentationis ostendatur. Sub hoc respectu historicus catholicus, velit, nolit, vi suæ doctrinæ erit apologeticus. Quomodo e. g. aliquis potest exponere historiam dogmatum duorum priorum sæculorum, quin saltem vi argumentorum commenta modernistarum et protestantium refutet ? Plus minusve idem etiam de posterioribus temporibus valet. Ulterius historicus, quo magis argumenta adversariorum refutaverit, eo magis suas quoque conclusiones confirmabit. Quinimo nihil obstat quin historicus ex *intentione* commenta erronea redarguat, dummodo nil tanquam probatum defendat quin illud adamussim per argumenta stricta probaverit et disputatio secundum exigentiam methodi historicæ procedat[1].

Sexto : immerito quidam historiæ dogmatum officium assignant, *veritatem* evolutionis idearum christianarum investigare et probare[2]. Sicut apologetica, dicunt, modo suo veritatem fidei probat, ita historia dogmatum modo historico. At historia dogmatum, *secundum methodum propriam*, de veritate obiectiva explicationis fidei iudicare *non potest*. Valet quidem refutare argumenta historica contra veritatem fidei, valet quidem probare præambula historica fidei quæ sc. proprie ad campum historicum pertinent, potest ostendere, ex cuius doctrinæ explicatione dogma quoddam ortum habuerit : si vero de veritate huius

1. Optime E. Dublanchy, in *Dict. de théol. cath.*, v. dogme quæstionem sic determinat (col. 1648 ss.) : Non potest exigi quodc historicus dogmatum in omnibus suis investigationibus finem apologeticum vel dogmaticum prosequatur ; tamen id nomine scientiæ prohiberi nequit, dummodo regulæ methodi stricte observentur. Unde defensio fidei non quidem cadit per se sub præcepto (sc. pro singulo historico vel in quacumque materia), imo nimium studium apologeticum vel dogmaticum reputationi scientificæ damnum inferre potest ; tamen sub conditionibus actualibus, verus catholicus vix ab omni labore apologetico vel dogmatico abstinere potest, quin per omissionem contra grave præceptum charitatis delinquat.

2. F. Haase, *Begriff und Aufgabe der D. G.*, p. 45, 3, 68.

definitionis, i. e. de conformitate inter doctrinam explicatam et dogma definitum, iudicare velit, necessario limites methodi historicæ excedit, quippe quæ facta tantum historica earumque causas atque genesim respicit. Multo minus historia de veritate doctrinæ fundamentalis ipsius evolutionis iudicare valet. De facto historici non ut historici, sed ut theologi, i. e. secundum quædam principia philosophica vel theologica, circa illa iudicant. Ita historia dogmatum materiam tantum iudicii de veritate profectus dogmati præbet. Nec valet recursus ad apologeticam. Nam illa vi methodi et disciplinæ propriæ credibilitatem fidei demonstrat, utendo una ex parte factis historicis, immo et methodo historica, alia vero ex parte principiis absolutis et methodo philosophica, ut e. g. in quæstione de possibilitate et valore demonstrativa miraculorum. Uti tamen patet, nil obstat quominus historicus ut philosophus vel theologicus veritatem explicationis ostendat.

VI. **De usu criteriorum theologicorum : Prænotamina.** — Ante solutionem quæstionis quædam prænotanda sunt.

1° *Alia est conditio credentis, alia illius qui ad fidem nondum pervenit.* Sufficit in memoriam revocare definitionem Concilii Vaticani : « S. q. d. parem esse conditionem fidelium atque eorum qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint, fidem quam sub Ecclesiæ magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint, a. s.[1] ». Unde sequitur, catholico nullo prætextu licere, neque simpliciter fidem negare neque assensum fidei suspendere ac si non existeret vel non valeret, neque tenere doctrinam fidei contrariam.

2° *In argumentatione ad hominem licet quandoque a criteriis theologicis abstrahere.*

Etenim talis modus argumentandi neque negationem fidei neque suspensionem assensus fidei, sed tantum non-usum fidei importat. Ita multi historici catholici in disputationibus scientificis a criteriis theologicis abs-

1. D., 1815 ; cf. 1794.

trahendum esse dicunt ac de facto abstrahunt, ut sc. historicos protestanticos, rationalistas et modernistas de errore convincant. Uti patet, hic non proprie de admittendis criteriis theologicis, sed tantum de modo conficiendi argumenta vel solvendi obiectiones agitur. Ita etiam theologia dogmatica argumenta ad hominem conficit. Attamen ultimo vel huiusmodi modus argumentandi iudicio Ecclesiæ subiicitur, ita ut quæstio de criteriis theologicis non penitus excludatur. Denique irrationabiliter quidam postulant ut historici catholici exclusive huiusmodi ratione argumentandi et investigandi utantur.

3° *Fides non obstat investigationi et considerationi historicæ, sub lumine rationis et factorum.* Quilibet enim fidelis res obiectas considerare potest : vel secundum ea quæ fides de illis docet, vel secundum ea quæ ratio invenire valet. Ita fideles generaliter de rebus tenent, nunc quæ fides dicit, nunc quæ ratio docet ; ita modo quæ fides de Deo revelat, modo quæ ratio circa illum probat, edicimus ; ita de rebus quandoque secundum præcepta revelata, aliquando secundum iudicium rationis disponimus. Similiter igitur doctrina SS. Patrum et totus processus dogmaticus modo in lumine fidei, modo in lumine factorum considerari potest. *Si igitur quæstio est exclusive de hoc, utrum historico liceat, explicationem fidei et doctrinam SS. Patrum sub lumine factorum, textuum et rationis considerare et investigare, nullus id negabit ;* et hoc sensu plures catholici de « abstractione methodica » a criteriis theologicis locuti fuisse videntur. Attamen hæc sententia quæstionem de criteriis theologicis non solvit. Statim enim quæstio exurgit, utrum ipsa consideratio historica, investigatio ipsa historica in lumine factorum nullo modo per criteria superiora ligetur.

Quæstio igitur formaliter sic se habet : Utrum investigatio historica secundum methodum historicam postulet, vel negationem vel saltem remotionem criteriorum theologicorum, an, utrum e contra considerationem huiusmodi criteriorum admittat, immo postulet, et qua ratione. Respondemus per tres conclusiones, quibus simul propositiones relativæ Iuramenti contra errores Modernistarum explicantur.

VII. **Conclusiones de usu criteriorum theologicorum.**

Conclusio I: Neque scientia historica neque methodus historica postulat negationem fidei vel suspensionem assensus fidei vel non considerationem criteriorum theologicorum. — Ratio est duplex. Primo nulla habetur oppositio inter scientiam veram vel veritatem factorum et doctrinam fidei. Secundo : sicut consideratio rerum in lumine fidei considerationem in lumine factorum non excludit, ita consideratio in lumine factorum non excludit considerationem in lumine fidei. Fundamentum postulati oppositi Protestantium, Rationalistarum et Modernistarum stat in doctrina supposita, fidem, i. e. confessionem alicuius sectæ, non necessario esse veram, et similiter doctrinam fidei catholicæ contradicere veritati factorum : quæ si ita essent, doctrina fidei necessario esset seponenda, immo per veritatem scientiæ impugnanda.

Conclusio II : Doctrina fidei adeoque criteria theologica a historico dogmatum positive tenenda atque in praxim deducenda sunt. — Primo enim auctoritas auctoris fidei, i. e. Dei revelantis, exigit ut doctrina revelata atque instituta divina ab omnibus, maxime fidelibus, teneantur tanquam vera et legitima et in praxin deducantur ; ideoque historico dogmatum in investiganda historia dogmatum doctrinam fidei et iudicia vel præcepta magisterii Ecclesiæ neque seponere neque negligere licet. Secundo : cum salus hominum maxime a veritate et puritate doctrinæ dependeat et per errores circa revelata maxime periclitetur, omnis error circa fidem in historia dogmatum necessario maxime est vitandus : atqui in historia dogmatum ut facta testantur, facillime errores maximi momenti intervenire possunt. Historicus igitur dogmatum ratione salutis procurandæ criteria theologica servare tenetur, ne in errores incidat vel inducat. Tertio : circa obiectum historiæ dogmatum secundum methodum pure historicam iudicium completum et definitivum ferri non potest : etenim tum factum revelationis alicuius doctrinæ tum sensus Scripturæ, tum institutio divina et infallibilitas magisterii Ecclesiæ sicut et multa alia ad revelationem et ad magisterium Ecclesiæ pertinent. Denique ipse processus

dogmaticus essentialiter elemento supernaturali constituitur quod non nisi secundum criteria theologica cognosci et iudicari potest. Unde una ex parte iudicium de progressu dogmatico ad competentiam Ecclesiæ et theologiæ pertinet, alia ex parte historicus criteriis theologicis subiacet[1].

Conclusio III : Doctrina fidei cum suis consequentiis pro historico, secundum methodum historicam procedente, non tenet locum principiorum ex quibus conclusiones historicas deducat neque locum fontium ex quibus cognitionem factorum historicorum hauriat, sed se habet ut norma vel regula superior vel proprie ut criterium theologicum. — Ex determinatione enim methodi historicæ sequitur, historicum cognitionem historicam ex fontibus haurire atque ea de factis concludere quæ ex iis per rationem deduci possunt. Ideo historicus nullam affirmationem ut *historice* probatam admittit, accipit vel proponit quæ ex solis fidei principiis deducatur vel a sola auctoritate ecclesiastica proponatur. Etenim fidei vel Ecclesiæ auctoritas non efficit : neque ut argumenta historica suppleantur, neque ut argumenta historica ex approbatione Ecclesiæ vim probativam habeant, neque ut consequentia logica factorum negetur, multo minus ut facta vel argumenta in favorem Ecclesiæ corrumpantur, falsificentur, ut quidam adversarii calumniantur.

VIII. **Iusiurandum contra errores Modernistarum.** — Necessitas criteriorum theologicorum in historia dogmatum investiganda speciali modo per propositiones partis secundæ Iurisiurandi contra errores Modernistarum ab Ecclesia declarata est[2].

1. Card. Billot, *De immutabilitate traditionis*, p. 81 ss. ; Lépicier, *De stabilitate et progressu dogmatis*, p. 169 ss. ; Ginoulhiac, *Histoire du dogme c.*, I, p. LXXVII ss.

2. Huiusmodi declaratio tanquam infallibilis censenda est. Ultima propositio tanquam doctrina fidei ideoque fide divina et catholica credenda proponitur, cæteræ vero propositiones (partis secundæ) ut cum doctrina fidei connexæ proponuntur adeoque propter auctoritatem Ecclesiæ (fide ecclesiastica) tenendæ. Cf. Lépicier, *De stabilitate et progressu dogmatis* ; R. Schultes, *Was beschwören wir*, etc., p. 7-10 ; A. Straub, *De Ecclesia Christi*, II, 402.

In prop. *prima* emittens Iuramentum *generaliter* declarat, sese criteriis theologicis submittere : « Me etiam qua par est reverentia subicio totoque animo adhæreo damnationibus, declarationibus, præscriptis omnibus quæ in Encyclicis literis « Pascendi » et in Decreto « Lamentabili » continentur, præsertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. »

In quinque sequentibus propositionibus errores quinque modernistarum reprobantur et doctrina opposita proponitur. *Primo* iurans declarat *fidem non posse historiæ repugnare :* « reprobo errorem affirmantium propositam ab Ecclesia fidem posse historiæ repugnare, et catholica dogmata quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianæ religionis originibus componi non posse » (cf. prop. 3, 23. Decret. Lamentabili).

Secundo declaratur : *historico non licere retinere doctrinam vel præmissa fidei directe vel indirecte opposita :* « damno quoque ac reicio eorum sententiam qui dicunt christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quæ credentis fidei contradicant, aut præmissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo hæc directo non denegentur » (cf. prop. 24 decreti Lament.). Utraque propositio immediate ex veritate absoluta et ex obligatione fidei sequitur, dum Modernistæ contrarium teneant, quia secundum eos fides non dicit, quid sit in rerum veritate, sed tantum, quomodo res appareant, ita quod fides et historia sint duo aspectus rei sub ratione diversa et opposita. Unde Ecclesia non tantum obligationem et auctoritatem fidei defendit, sed simul errorem oppositum Modernistarum damnat.

Tertio criteria theologica ut normæ in S. Scriptura interpretanda admittuntur, commenta rationalistarum reprobantur et declaratur, criticen textus non esse unicam supremamque regulam : « reprobo pariter eam Scripturæ Sanctæ diiudicandæ atque interpretandæ rationem quæ, Ecclesiæ traditione, analogia fidei et Apostolicæ Sedis normis posthabitis, rationalistarum commentis inhæret et criticen textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere amplectitur. » (Cf. Decret.

Lament., prop. 1-4 et 12.) Similiter *quarto* declaramus *in historia dogmatum criteria theologica non esse seponenda vel excludenda*, specialiter doctrinam fidei de origine supernaturali traditionis catholicæ et declarationes vel præcepta magisterii ecclesiastici : « sententiam præterea illorum reicio qui tenent, doctori disciplinæ historicæ theologicæ tradendæ aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicæ traditionis sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri ; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiæ principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate qua profana quævis monumenta solent investigari. » Denique *quinto* generaliter *conceptus modernisticus de origine et progressu dogmatum damnatur* : « in universum denique me alienissimum ab errore profiteor quo modernistæ tenent, in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt ; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiæ factis æquandum, hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque Apostolis inchoatam per subsequentes ætates continuantium. »

In prop. *finali* positive *fidem* in magisterium apostolicum et infallibile Ecclesiæ profitemur : « fidem Patrum firmissime retineo... de charismate veritatis certo, quod est, fuit eritque in episcopatus ab Apostolis successione ; non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque ætatis culturam, sed ut nunquam aliter credatur, nunquam aliter intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos prædicata. » Itaque in iuramento autimodernistico tum generaliter necessitas criteriorum theologicorum inculcatur, tum in particulari quædam criteria determinantur.

IX. **Quæstio proprie est de habitudine rationis ad fidem vel revelationem.** — Quidam mirati sunt, criteria theologica tanta instantia ab Ecclesia inculcari. Si quis tamen rem recte consideret, ipsum non latebit, quæstionem non esse de sola methodo, sed de habitudine inter fidem vel

revelationem et rationem. Ita quæstio de methodo historiæ dogmatum eadem est ac quæstio de independentia philosophiæ a fide : quod enim a rationalistis, Guentherianis et Hermesianis vocabatur « philosophia », hodie nomine methodi historicæ, psychologicæ vel simpliciter scientificæ designatur : nam et illi sub nomine « philosophiæ » proprie scientiam humanam intelligebant[1]. *Inde omnes declarationes Sedis Apostolicæ de habitudine inter fidem et rationem*, simul de habitudine scientiæ historicæ ad fidem valent.

Ita sive philosophia sive scientia historica « in rebus religionis non dominari, sed ancillari omnino debent » et « firmissima manere debent (dogmata) tum de distinctione inter scientiam et fidem, tum de perenni fidei immutabilitate[2] », neque « ratio illas etiam res quæ ad fidem pertinent, occupet atque perturbet[3] ». Etenim reprobatur sententia (Frohschammer) quæ dicit, « omnia indiscriminatim christianæ religionis dogmata esse obiectum naturalis scientiæ seu philosophiæ, et humanam rationem historice tantum excultam, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam obiectum proposita fuerint, posse ex suis naturalibus viribus et principio ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire[4] », quæ sententia philosophiæ tribuit libertatem, « quæ *non* scientiæ *libertas*, *sed* omnino reprobanda et *intoleranda philosophiæ licentia sit* appellanda[5] ». Denique Ecclesiæ attribuitur « officium proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint », ita ut « omni philosopho qui Ecclesiæ filius esse velit, ac etiam philosophiæ id officium incumbat, nihil unquam dicere contra ea quæ Ecclesia docet, et ea retractare de quibus eos Ecclesia monuerit[6] ». Quæ omnia complectens Conc. Vat. declarat : « Nec sane ipsa (Ecclesia) vetat, ne huius-

1. Cf. Kleutgen. *Theologie der Vorzeit*, V², p. 446-469 ; 482-490.
2. Pius IX, D., 1656.
3. Pius IX, D., 1671.
4. Pius IX, D., 1673.
5. Pius IX, D., 1674.
6. Pius IX, D., 1676 ; cf. Concil. Vat., D., 1798.

modi disciplinæ in suo quæque ambitu *propriis utantur principiis et propria methodo*, sed iustam hanc libertatem agnoscens id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant aut fines proprios transgressæ ea quæ sunt fidei, occupent et perturbent[1] ». Sed videamus argumenta adversariorum.

X. **Obiectiones contra criteria theologica.** — *Primo* obicitur : Nulla scientia id præsupponere debet quod est probandum. Atqui veritas fidei (quam criteria theologica sequuntur), est obiectum per historiam dogmatum probandum. Ergo criteria theologica in historia dogmatum non sunt supponenda.

Resp. : In hoc fundamentali argumento *primo* simpliciter est *neganda* propositio minor. Etenim omnino falso asseritur, veritatem fidei catholicæ per historiam dogmatum esse probandam, ac si secus de ea non constet (cf. supra, n. 6, coroll. sextum). Historia dogmatum valet quidem *defendere* fidem catholicam contra argumenta falsa historiæ, non tamen eius est officium, probare veritatem fidei : obiectum enim et officium historiæ dogmatum proprium est, investigare processum historicum explicationis fidei. Unde ad ipsam non pertinet neque probare veritatem revelationis nec veritatem explicationis revelatorum.

Secundo ratio adducta per distinctionem propositionis maioris solvitur. Nulla enim scientia id quod probandum suscipit, supponere debet *in argumentis conficiendis ;* hic est enim sensus adagii logici adducti ; nihil vero obstat quin conclusio probanda aliunde constare censeatur. Iamvero historicus qui criteria theologica admittit, in conficiendis argumentis non utitur criteriis theologicis, licet illa ut vera et aliunde certa supponat. Historicus enim non ex criteriis theologicis, sed ex factis historicis argumentatur atque in luce factorum historicorum conclusiones suas deducit : in qua re historici catholici certe in nullo ab aliis differunt. — Quod denique fides in veritatem revelationis et per consequens in veritatem criteriorum theologicorum argumentationem historicam non

1. Sess. 3, c. 4, D. 1799.

impediat, iam supra (n. 6, 3°) notavimus, ac denique ipso facto constat : historici enim catholici non obstantibus criteriis theologicis sicut cæteri historici profectum dogmaticum per argumenta propria et historica determinant. Sicut enim philosophus catholicus, fide in Deum non obstante, existentiam Dei per rationes philosophicas demonstrat, ita historicus catholicus conclusiones suas per documenta et facta probat. Ex argumento adducto hoc tantum sequitur, historico non licere aliquod factum tanquam *historice* probatum statuere de quo ex fontibus historicis non constet : id quod iam ex assignata distinctione inter methodum historicam et dogmaticam sequitur.

Certe adversarii adhuc *instant*, certitutinem quæ forsitan ex fide habetur, *obstare veritati et sinceritati investigationis et argumentorum.* Huiusmodi tamen ratio *non* est *argumentum*, sed *præiudicium.* Adversarii enim in hoc gratuito et falso supponunt, fidem et scientiam sibi contradicere vel saltem repugnare posse. Quodsi Harnack et alii historicis catholicis imputant ac si contra conscientiam et melius iudicium docerent, pura ac gratuita calumnia est[1]. Differentia vera inter catholicos et eorum adversarios in hoc stat quod catholici sapientiam divinam et divinitus infallibilem doctrinam Ecclesiæ tanquam criterium summum veritatis tenent, adversarii vero rationem *humanam* tanquam criterium omnium et unicum sequi prætendant. Communiter tamen auctores protestantici quædam theologoumena vel systemata theologiæ protestanticæ tanquam fundamentum inquisitionis historicæ supponunt[2].

Altera obiecto dicit : id quod evolutionem historicam habet, a historico *supponi non potest*[3]. — Resp. : Certe sup-

1. « *Aus Wissenschaft und Leben* », I (1911), p. 257, 259, 264.

2. Optime O. BARDENHEWER criticæ quam KRUEGER opposuit, respondet : « Krügers « Geschichte der altchristlichen Literatur » ... ist auf die dogmengeschichtlichen Konstruktionen Harnacks aufgebaut, und meine « Geschichte der altkirchlichen Literatur » gründet sich auf die Ueberzeugung von der göttlichen Herkunft der alten Kirchenlehre und ihrer ungetrübten Fortpflanzung. Das ist der Gegensatz, und war der ganze Gegensatz. » *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, vol. II, p. VII.

3. Cf. F. HAASE, *Begriff und Aufgabe der D. G.*, p. 12-20.

poni non potest tanquam *ex fontibus historicis* probatum, potest tamen, immo debet supponi ut *aliunde* certum. Ita e. g. dogma infallibilitatis Romani Pontificis, ut criterium theologicum non accipitur tanquam ex historia dogmatum probatum, sed inquantum fide constat. Unde evolutio dogmatis, i. e. historia propositionis, explicationis, formulationis, a historico non supponitur, sed investigatur; veritas vero dogmatum supponi potest, neque ad ordinem historicum pertinet neque est fructus evolutionis neque a historico probanda est, ut iterum falso supponitur.

Alii denique *libertatem* scientiæ opponunt. Attamen libertas legitima per criteria theologica non læditur ac libertas quam quidam vindicant[1], non est legitima, sed jus divinum Dei revelantis et auctoritatis infallibilis Ecclesiæ negligit atque offendit[2]. Prima enim lex historiæ est veritas, secundum effatum celebre Leonis XIII : « Primam esse historiæ legum ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat[3]. »

Argumenta contraria plus minusve principium voltarianum supponunt : « L'incredulité est le fondement de toute sagesse[4] » ; probant tamen id tantum, evolutionem dogmaticam ex documentis et fontibus historicis esse determinandam, nullo autem modo probant criteria theologica seponenda esse[5].

1. Cf. H. Koch in *Das Neue Iahrhundert*, 1912, n. 45-49, cum critica nostra in *Archiv. f. K. K. R.*, 1912, p. 459-471 ; A. Ehrhard, in *Internationale Wochenschrift*, 1908, n. 3 ; *Stellung und Aufgabe der K. G.*, p. 14 ss.

2. Cf. S. Szabo, A. Ehrhard's Schrift : Katholisches Christentum und moderne Kultur (1907), p. 145 ss.; J. Mueller, *Die Enzklika Pius X und Ehrhards Kritik derselben*, 1908, p. 28 ss.

3. Acta S. S. XVI, 54.

4. *Histoire de Charles XII*, préface.

5. Optime Kœniger in opusculo *Voraussetzungen und Voraussetzungslosigkeit in Geschichte und Kirchengeschichte* (München, 1910) *generaliter* quæstionem de præsuppositis solvit. Theses eius sunt : 1). Historia necessario quædam principia philosophica præsupponit, p. 14-16. 2). Methodus ipsa est quoddam præsuppositum, dicit tamen quid in particulari supponendum sit aut non ; eadem principia methodica pro historia profana et eccesiastica valent, p. 16-34. 3). Evitandus est quantum possibile influxus conditionis physicæ, socialis, subjectivæ et psychicæ ; inde com-

XI. **Modus applicandi criteria theologica.** — Ultimo determinandum est, quomodo criteria theologica applicanda sint. *Primo* certe *conclusiones historicæ secundum criteria theologica diiudicandæ sunt.* Nulli enim fideli licet, in re quæ quocumque modo fidem tangit, sententiam tenere vel proponere quin certitudinem habeat, illam doctrinæ fidei non repugnare. Unde historicus catholicus certe tenetur conclusiones suas secundum criteria fidei diiudicare, antequam illas enuntiet vel etiam simpliciter teneat. Quodsi certo constet de contradictione cum fide vel aliis declarationibus Ecclesiæ vel certis conclusionibus theologicis, iudicium retractandum atque inquisitio nova instituenda est, utpote secundum methodum historiæ. Neque virum scientificum dedecet, veritati cedere.

In particulari distinguendum est. *Primo* quoad *interpretationem textus* huiusmodi examen vix difficultatem habet, cum revelatio directe nihil de illis dicat atque communiter iudicia ecclesiastica non extent : paucissimæ enim habentur declarationes Ecclesiæ, quibus sensus doctrinæ SS. Patrum determinetur, nisi forte in generali tantum, ut quod doctrina alicuius Patris sit conformis fidei Ecclseiæ vel quod sententia alicuius Patris immerito in favorem talis vel talis systematis trahatur. Immo Ecclesia communiter ne quidem de sententia historica auctoris iudicat, sed de doctrina prout in æstimatione hominum extat. Ita in quæstione « De tribus capitulis ». In quæstione Augustiniana plura capita doctrinæ S. Augustini definita fuerunt, quin tamen simul definiretur, docrinam definitam esse S. Augustini. In quæstione tamen Ianseniana iudicium infallibile latum est, quinque propositiones ab Innocentio X damnatas contineri in libro qui inscribitur « Augustinus ». Magna igitur differentia notanda est inter historiam dogmatum et exegesim, quippe quia exegesis directe interpretationi Scripturæ Sacræ incumbit.

Facilius conflictus cum criteriis theologicis oriri potest quoad *iudicia generalia* ut si quis concludat, Patres non

muniter præjudicia proveniunt, p. 34-42. 4). Præsupposita scientifica, quam maxime autem religiosa, pignus sunt cognitionis objectivæ, p. 42-50.

docuisse primatum iurisdictionis Romani Pontificis vel existentiam peccati originalis, vel doctrinam fidei temporibus succedentibus fuisse immutatam vel aliquid simile fidei Ecclesiæ repugnans.

Secundo ipsa methodus et principia sive generalia sive particularia in argumentatione et in critica adhibita secundum criteria theologica diiudicanda sunt ; methodus quidem, quia et ipsa erroribus obnoxia esse potest — et ita in Iuramento contra errores Modernistarum methodus historiæ dogmatum determinatur[1] ; — principia generalia, quia alio modo iudicat idealista vel pantheista, alio modo qui existentiam Dei creatoris et obiectivitatem cognitionis admitti immo vel interpretatio textus secundum diversa principia generalia modificatur, ut in historia Modernistarum manifeste apparet ; principia particularia, nam in iudiciis historicis ferendis, immo vel in ipsa textuum interpretatione, sola principia methodica et technica non sufficiunt, sed necessario iudicia determinata de *re ipsa* interveniunt, quæ in historia dogmatum ex natura obiecti sunt iudicia *de re theologica*, adeoque facillime erronea esse possunt. Non pauci quidem historici prætendunt se tantum textibus, factis, regulis methodi et principiis communibus logicæ uti. Attamen ipsa logica illos docet conclusiones non deduci nisi vi quorumdam principiorum vel præmissarum, quæ denique iudicia particularia de re de qua agitur, important. Hic errori latissimus patet campus.

Undenam enim tanta diversitas historiæ dogmatum oritur ? Non ex diversitate documentorum, cum omnes

1. Cardinalis Billot, admittendo quod historia methodum et regulam propriam habeat, addit : « Oui sans doute elle les a ; mais ces règles, ces procédés, ces méthodes, nous pouvons, ou les méconnaître, ou ne les connaître qu'imparfaitement, ou surtout les appliquer à tort et à travers ; ce qui fait que là où il s'agit de l'histoire de la révélation divine, la règle vivante de notre Tradition nous sera le sûr moyen d'orientation, qui nous aidera à en trouver le juste et le légitime fonctionnement... » « C'est... de cette règle suprême du magistère de l'Église comme de la boussole des navigateurs, qui bien loin de se substituer aux règles de l'art nautique, ou de les contredire, ou de les modifier, ou d'en gêner en quelque manière que ce soit le maniement, ne fait au contraire qu'en assurer la juste application. » *Gregorianum*, 1921, p. 11.

historici plus minusve circa documenta historiæ dogmatum conveniant. Neque ex solis fallaciis in concludendo. Sed præcipue ex diversis suppositis generalibus vel ex diversis iudiciis theologicis circa materiam historiæ dogmatum. Ita Modernismus agnosticismo laborat, Protestantes communiter doctrinam idealismi supponunt, Rationalistæ rationem humanam tanquam unicam et supremam mensuram veritatis statuunt. Inter ipsos protestantes singuli auctores diversam historiam dogmatum proponunt, secundum quod a diversis theologoumenis theologiæ protestanticæ procedunt : ita Harnack, Seeberg, Pfleiderer, Bonwetsch, Tröltsch. Attamen et apud auctores catholicos error sive in quibusdam principiis generalibus sive in iudiciis particularibus accidere potest. Unde historicus dogmatum præcipue quoad principia generalia et iudicia de re theologica auctoritati ecclesiasticæ subditur : et ita criteria theologica in ipsa investigatione historica interveniunt.

Tertio. Mota fuit quæstio, utrum criteria theologica tantum in examinandis conclusionibus an simul in ipsa investigatione historica applicandæ essent[1]. Solutio quæstionis sequitur ex dictis. Criteria enim theologica in ipsa investigatione (Forschungsprozess) non sunt applicanda tanquam principia ex quibus conclusiones historicæ deducantur, cum conclusiones exclusive per documenta historica probandæ sint (cf. supra, n. 7, concl. 3) ; tamen criteria theologica applicanda sunt in examinandis principiis et regulis quibus historicus in historica investigatione utitur.

XII. **Corollarium : Historicum in doctrina theologica optime instructum esse oportet.** — Tum ex objecto tum ex natura tum ex criteriis historiæ dogmatum patet historicum dogmatum optime in doctrina theologica instructum esse oportere[2]. In particulari præsertim theologia dogmatica (et moralis, quantum de dogmatibus moralibus est quæstio) in historico requiritur. Dogmatica enim docet, quid

1. Cf. MAUSBACH, *Der Eid wider den Modernismus.*
2. Vide BESSMER, *Philosophie und Theologie des Modernismus,* p. 589 ss.

Ecclesia hodie tanquam de fide, id est, ut dogma teneat, quæ deinde doctrina sit catholica et certa. Quæ si quis historicus ignoraverit, ne materiam quidem vel objectum scientiæ suæ novit. Non tamen ieiuna vel superficialis notitia prout quilibet eam habere potuerit, sufficit, sed scientifica quoque cognitio et intellectus profundior sensus Ecclesiæ requiritur, saltem earum rerum quæ cum quæstione historice agitata connectuntur. Certe quo magis quis sensum Ecclesiæ penetraverit, eo securius investigabit et facilius rectiusque iudicabit. Nostris enim diebus vel temporibus cognitio et propositio revelatorum maxime est explicita ; unde eius scientia sine dubio ut stella rectrix iuvabit ; periculo vero se exponit qui eam negligit, et ut ingratus pro tanto Dei beneficio, quasi necessario in putidos errores incidet qui eam ut impertinentem seponit. Denique ipsa experientia testatur eos qui accurata scientia dogmatica carent, incapaces fieri in interpretandis SS. Patribus[1]. Maxime historicum scientia *theologicæ scholasticæ* iuvabit, immo non raro erit omnino indispensabilis. Theologia enim scholastica, vetus et moderna, certe sensum et doctrinam Ecclesiæ eximie exhibet, præsertim toties approbata doctrina Angelici Doctoris. Merito notat Bessmer[2] quod qui theologiam speculativam et scholasticam ignoraverit, connexum variarum doctrinarum SS. Patrum, licet apertissimum, non animadvertet et sententias quasdam ut alienas declarabit quas theologus scholasticus quasi statim tanquam explicationem aut consequentiam alterius dogmatis vel textus S. Scripturæ agnoscet.

Ad theologiam dogmaticam pertinet doctrina *de locis theologicis*. Qui in huiusmodi doctrina non optime est versatus vel falsam sententiam tenuerit, ut e. g. circa naturam inspirationis S. Scripturæ, circa naturam traditionis, circa infallibilitatem Ecclesiæ vel auctoritatem SS. Patrum, simpliciter incapax censendus est ad diiudicandam explicationem revelatorum. Ex hoc præcipue fonte multi errores etiam inter viros catholicos exorti esse videntur.

Præter theologiam dogmaticam, ut supra iam dixeramus,

1. Cf. E. Hugon, *De Deo uno et trino* (Par., 1921), p. 16.
2. *L. c.*, p. 592.

cognitio fontium dogmatum, id est traditionis et præsertim S. Scripturæ omnino requiritur, sive totius Scripturæ quantum ad summam doctrinæ ipsius, sive earum partium in particulari quæ in diversis quæstionibus historicis tanguntur. Vix notandum est, etiam quantum ad S. Scripturam non sufficere notitiam eorum quæ magisterium Ecclesiæ declaraverit, sed scientiam quoque exegeticam requiri, saltem ad perfectionem.

Denique sicut in tota theologia, ita in historia dogmatum et quidem quam maxime absolute postulantur : humilitas conjuncta cum zelo et patientia studii, docilitas cum exactissima et scrupulosa acribia et conscientia[1].

ARTICULUS DECIMUS NONUS

DE DEFINITIONE, DISTINCTIONE, UTILITATE AC NECESSITATE HISTORIÆ DOGMATUM

1. **Definitio.** — Secundum hucusque exposita historia dogmatum definitur : *scientia historica successivæ propositionis, cognitionis, explicationis et definitionis veritatum revelatarum in Ecclesia.* Vel brevius : *Historia explicationis revelatorum*[2]. Omnis enim disciplina definitur per suum obiectum (tum materiale tum formale) et per methodum vel rationem considerandi sibi propriam. Ita in definitione data « veritates revelatæ » obiectum materiale historiæ dogmatum indicant (a. 17, n. 2), « successiva explicatio » vel « successiva propositio, cognitio, explicatio ac definitio » obiectum formale, vel id quod proprie circa veritates revelatas vel dogmata consideratur (a. 17, n. 3 ; a. 4-16) ; per particulam « historia » vel « scientia historica » designatur methodus historica (a. 18) ; additur :

1. Legesis : Mabillon, *Traité des études monastiques*, III. P., ch. 1-5.

2. Cf. Schæzler, *Bedeutung der D. G.*, p. 166 ; Krieg, *Encyklopädie*[2], p. 241 ; Tixeront, *Histoire des dogmes*, I, p. 2 ss. ; Haring, *Einführung in das Studium der Theologie*, p. 40 ss. ; A. Ehrhard, *Stellung und Aufgabe der Kirchengeschichte*, p. 15.

« in Ecclesia », cum in sola Ecclesia catholica profectus dogmaticus veri nominis habeatur[1].

II. **Distinctio historiæ dogmatum.** — Definitio historiæ dogmatum a nobis data maxime ex eo commendatur quod historia dogmatum exinde facile ab aliis disciplinis theologicis distinguitur. Etenim differt *a*) *a theologia dogmatica*-morali : et quidem tum ratione obiecti tum ratione et methodi. Theologia dogmatica (et moralis) et historia dogmatum habent quidem idem obiectum materiale, sc. veritates revelatas, differunt autem secundum obiectum formale : theologia enim dogmatica veritatem vel doctrinam revelatam ipsam considerat, historia vero dogmatum successivam explicationem huius doctrinæ vel veritatis ; unde illa secundum methodum dogmaticam, hæc vero secundum methodum historicam procedit[2]. Difficultas est in determinanda differentia a disciplinis theologicis *historicis*, sc. a historia revelationis, a historia ecclesiastica, a theologia historica.

Facile intelligitur *b*) distinctio historiæ dogmatum *a historia revelationis*, quia alia est explicatio revelationis per novas revelationes, alia explicatio revelationis per magisterium Ecclesiæ. Neque eadem mensura actio Dei et actio hominum mensuratur[3].

Inter *c*) *historiam Ecclesiæ* et dogmatum hæc differentia intercedit : historia Ecclesiæ omnem vitam atque actionem Ecclesiæ investigat, historia dogmatum exclusive vitam doctrinalem ; attamen vel ipsa vita doctrinalis Ecclesiæ sub diverso respectu consideratur : per historiam ecclesiasticam potius quoad partem extrinsecam, e. g. quoad convocationem Conciliorum, personas intervenientes, difficultates temporum et locorum, etc., per historiam dogmatum potius

1. Singuli auctores catholici aliam et aliam definitionem proponunt, præsertim secundum conceptum diversum evolutionis dogmatum : in substantia tamen conveniunt. Quoad autores protestanticos et modernistas videsis supra, a. 3.

2. Distinctio a theologia apologetica, ab exegesi, a iure canonico per se patet.

3. Franzelin, *de d. trad.*, th. 26 ; Ch. Pesch, *Prælect. dogm.*, I[4], 358.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quoad partem interiorem, id est quoad ipsam explicationem doctrinæ. Unde habetur obiectum distinctum[1].

Cum *d*) *theologia historica* historia dogmatum convenit quidem in methodo, differt tamen quoad obiectum. Theologia enim historica quamcumque doctrinam theologicam, sive S. Scripturæ sive traditionis divinæ sive magisterii ecclesiastici sive theologiæ scientificæ secundum methodum historicam investigat, historia vero dogmatum illas tantum doctrinas quæ cum definitione dogmatica connexionem causalem habent ; illa profectum doctrinalem, hæc fieri dogmatum considerat. Unde materia theologiæ historicæ latius se extendit. Pro tempore quidem antiquo materia utriusque disciplinæ magna ex parte coincidit, cum quæstiones theologicæ illius temporis communiter fuerint circa res fidei proprie dictas et per magisterium Ecclesiæ definitæ ; quoad ævum vero medium et nostrum innumeræ extant doctrinæ theologicæ, quæ vel ex natura sua non sunt definibiles (conclusiones theologicæ) vel de facto non fuerunt definitæ, ita ut dogmata ad doctrinas theologicas ut insulæ in mari vasto se habeant. Simili ratione *e*) historia dogmatum a *historia theologiæ* differt. Denique historia dogmatum *f*) *a theologia positiva* distinguitur, quippe quæ non exclusive methodo historica utitur [2] : cuius ratio est, quia theologia positiva non proprie et directe evolutionem, sed veritatem et intellectum fidei investigat. Attamen theologia positiva, si velit esse *perfecta*, necessario et proprie est historica, i. e utitur methodo historica tanquam via et medio principali ad finem suum consequendum[3]. Ita historia dogmatum est disciplina distincta ab omnibus aliis disciplinis theologicis.

Ex rationibus expositis denique sequitur, historiam dogmatum in scholis theologicis tanquam *disciplinam propriam* esse tractandam, sicut Card. Katschthaler iam a. 1882 poposcerat[4]. Nam historia dogmatum habet

1. Cf. Schwane, D. G., I, p. 13.
2. Cf. E. Hugon, *De la division de la Théologie*, in *Rev. Thomiste*, 1910, p. 652 ss.
3. Cf. infra, n. 3, lit. C.
4. In *Z. F. K. Th.*, 1882, p. 472-528.

tum obiectum proprium, sc. ipsum fieri dogmatum vel explicationem successivam revelatorum, tum methodum propriam, sc. historicam. Neque sufficienter tractari potest neque in theologia dogmatica neque in historia ecclesiastica, quippe quæ iam aliam materiam nimis amplam habent ; quoad theologiam dogmaticam obstat simul differentia methodi propriæ : inde vel dogmatica vel historia detrimentum patitur.

III. **Utilitas et necessitas historiæ dogmatum**[1]. — Utilitas et necessitas historiæ dogmatum explicanda potius quam probanda esse videtur.

a) *Evolutio dogmatum est obiectum dignum et necessarium investigationis theologicæ.* Sicut veritas dogmatum ita certe et propositio et explicatio successiva revelatorum obiectum dignum et necessarium investigationis theologicæ constituit. Quamdiu factum huiusmodi evolutionis minus cognitum erat, necessitas investigationis historicæ minus premebat : habita vero conscientia publica progressus dogmatici excusatio amplius admitti nequit. Denique, sicut iam notavimus, de opere eximio Spiritus Sancti, Ecclesiæ et ingenii humani agitur. Unde ad integritatem theologiæ requiritur : primo *doctrina theologica* de natura et conditionibus progressus dogmatici : id quod in nostro tractatu præstandum suscepimus — secundo *historia* dogmatum ipsa.

b) *Historia dogmatum (et theologia historica) utilis est ad perficiendam theologiam dogmaticam, imo necessaria ad theologiam dogmaticam perfectam.* Theologia dogmatica argumenta sua ex S. Scriptura et traditione divina tanquam ex fontibus primariis haurit, attamen secundum quod Scriptura et traditio per definitiones et declarationes magisterii ecclesiastici, per SS. Patres et theologos expo-

1. Cf. E. Dublanchy, in *Dict. de théol. cath.*, v. « Dogme » col. 1648 ss. ; Schwane, *Dogmengeschichte*, I², p. 11 ss. ; C. Schæzler, *Bedeutung der D. G.*, p. 150 ss. ; Card. Katschthaler, *Begriff Nutzen und Methode der D. G.*, in *Z. f. K. Th.*, 1882, p. 472-528 ; — G. Pfeilschifter in *Einführung in das Studium der Katholischen Theologie. Herausgegeben von der theol. Fakultät der Universität München*, 1921, p. 61-80.

nitur et explicatur. Ad perfectionem igitur theologiæ dogmaticæ omnino notitia exacta et determinata doctrinæ temporis præteriti requiritur : quæ tamen absque studiis historicis haberi non potest.

Id quod facile sic petet. Testimonia enim veterum communiter sub tanto involucro historico nobis transmissa sunt, ut non nisi per studia historica exacte dignosci possint. Similiter sensus singulorum textuum vix determinari potest, si textus separatim tantum considerentur ; unde connexum singularum doctrinarum et textuum investigare oportet, qui connexus præcipue in successiva explicatione revelatorum habetur, quam historia dogmatum inquirit atque determinat[1]. Non raro ne quidem consonantia alicuius doctrinæ cum dogmate postmodum definito apparet, nisi in quantum illa doctrina in lumine conscientiæ ecclesiasticæ sui temporis consideratur et iudicatur, cuius conscientiæ notitiam historia dogmatum ex professo præparat et theologo dogmatico quasi ad manus porrigit.

Ita absque auxilio scientiæ historicæ argumentatio dogmatica ex SS. Patribus facile ad puram accumulationem textuum declinat, quin vis textuum appareat. E contra argumentum theologicum omnino perfectum erit, si ostendatur, quomodo doctrina quædam eadem permanens succedentibus temporibus diversas formas induerit, in dies plus explicata fuerit, usquedum ad perfectionem dogmatis pervenerit. Ita denique ipsa methodus dogmatica per historiam dogmatum quodammodo legitimatur, in quantum doctrina præsentis Ecclesiæ, quam methodus dogmatica sequitur, ut consonans cum doctrina temporis

1. Iam J. Mabillon de historia scribit : « Il est certain que sans cette étude on ne peut avoir une parfaite intelligence des Pères, ni de la théologie, et que c'est par là qu'on apprend... les dogmes de notre religion. » *Traité des études monastiques,* P. 2, ch. 8. « L'étude de la théologie scholastique donne les premiers éléments de cette science ; mais il faut la perfectionner par une étude sérieuse de l'Écriture... et de la Tradition de l'Église, qui est renfermée principalement dans les Conciles et les Pères. Il en faut examiner les sentiments et les maximes, tâcher de les concilier ensemble, et de joindre par ce moyen la doctrine des premiers siècles avec les derniers. *C'est cet enchaînement* qui fait, à proprement parler, la Tradition... » (*l. c.,* P. 2, ch. 20).

præteriti, simul tamen tanquam perfectior et magis explicata comprobatur[1].

In concreto, non est quidem historiæ dogmatum *formare proprie argumenta* historica pro theologia dogmatica, sed *ministrare* materiam pro huiusmodi argumentis conficiendis, *materiam* tamen, ut ita dicam, *ultimo dispositam*. Quodsi enim historia dogmatum, uti eius est officium, determinaverit quibus sub formis dogmata postmodum definita decursu temporum in doctrina Ecclesiæ extarent, facile erit pro theologo dogmatico inde formare argumentum, uti dicunt, traditionis. Ita theologia dogmatica potest et debet uti conclusionibus historiæ dogmatum, ne inquisitionibus historicis nimis oneretur et omne suum studium ad explicanda dogmata convertere possit. Deinde tamen proprium officium theologiæ dogmaticæ erit *ostendere æquivalentiam singularum formularum vel doctrinarum* quibus dogmata postmodum definita decursu temporum in Ecclesia edocebantur. Ita historia dogmatum theologiæ materiam ultimo dispositam præparabit et theologiæ dogmaticæ labor proprius remanet.

c) Maxime theologia positiva auxilio historiæ indigel eaque perficitur. Theologia positiva quærit notitiam et intellectum fidei proprie ex S. Scriptura, ex documentis traditionis, ex operibus S. Patrum et theologorum : qua tamen præsertim in via opus est inquisitione, methodo et scientia historica. Primo sensus S. Scripturæ nullo auxilio meliori investigatur quam per explorationem explicationis successivæ apud S. Patres, usque ad determinationem dogmaticam. Similiter doctrina SS. Patrum modo optimo ac denique unice perfecte investigatur, una ex parte per considerationem evolutionis antecedentis (cuius fructus communiter est doctrina alicuius Patris), altera ex parte per notitiam explicationis et interpretationis doctrinæ SS. Patrum apud Patres subsequentes et apud theologos posterioris temporis. Ita e. g. plurimæ doctrinæ S. Augustini per Patres subsequentes (S. Prosperum), per declarationes Ecclesiæ et per theologos scholasticos optime determinatæ fuerunt, et quidem non tantum quoad veritatem obiecti-

1. Cf. Schæzler, *Bedeutung der D. G.*, p. 165.

vam, sed simul quoad sensum historicum. Itaque theologia positiva incumbat studio documentorum historicorum, utatur mediis philologicis, studio comparativo atque aliis auxiliis recentioribus scientiæ historicæ — denique tamen exactam notitiam et intellectum purum doctrinæ veritatis tantum per cognitionem explicationis successivæ assequitur. De reliquo, quæ de utilitate historiæ dogmatum pro theologia dogmatica diximus, valent quoque pro theologia positiva.

d) *Nec minus theologia scholastica ex historia dogmatum maximum emolumentum habebit.* — Theologia scholastica in hoc proprie differt a theologia positiva quod intellectum fidei assequi intendit mediante applicatione virtutis intellectivæ, mediantibus operationibus logicis, mediante præsertim philosophia. In quo tamen negotio non parum indiget notitia historica, et certe per historiam maxime adiuvatur. *Primo* enim theologia scholastica (ut talis) notitiam doctrinæ S. Scripturæ, SS. Patrum et theologorum *præsupponit ;* quæ notitia ipsi per theologiam positivam proindeque per historiam dogmatum vel theologiam historicam suppeditatur. Certe vana est omnis argumentatio, deductio, systematizatio, nisi a vero intellectu et notitia exacta doctrinæ S. Scripturæ et SS. Patrum procedat. Multæ disputationes et controversiæ scholasticorum vel nunquam contigissent vel mox cessarent, si haberetur exactior et verior notitia S. Scripturæ et SS. Patrum. Historia igitur dogmatum ac generaliter theologia historica theologiæ scholasticæ fundamentum solidum ac aptum pro deductionibus et explicationibus speculativis præbebit.

Secundo tamen theologia scholastica ipsa est *positiva* : argumentatur enim ex auctoritate et doctrina propriorum theologorum. Quot tamen controversiæ versantur circa doctrinam veram horum theologorum, e. g. S. Thomæ ! Theologia igitur scholastica vel pro determinanda doctrina propria ope scientiæ historicæ indiget. *Tertio*, in theologia scholastica decursu temporum plurimæ *controversiæ*, et quidem de quæstionibus fundamentalibus, ut de gratia, de operatione Dei in actus liberos creaturæ, contigerunt et adhuc extant : quæ controversiæ non parum auctoritatem

theologiæ scolasticæ lædunt, progressum verum impediunt ac certe defectum quendam indicant, ita ut, quantum fieri potest, componendæ ac dirimendæ sint, ut veritas tandem pateat. Iam vero ad huiusmodi quæstiones controversas — quarum numerus nimis amplus est — dirimendas optimum medium erit *notitia exacta totius evolutionis quæstionis et doctrinæ apud scholasticos ;* ex successiva enim evolutione doctrinæ doctrina vera et valor argumentorum communiter facile determinatur.

Denique generaliter doctrinæ et argumenta scholasticotum omnino maioris auctoritatis et efficaciæ erunt, si tota evolutio doctrinæ scholasticæ ante oculos ponatur : ita uberior quoque fructus ex labore prædecessorum percipietur[1]. Theologia igitur scholastica maxime auxilio historiæ dogmatum indiget, tum ne fundamento solido careat, tum ut ex doctrina propria fructum debitum percipiat, tum ut a defectibus liberetur. Quo sensu Pius X scholasticis suasit, ut magis theologia positiva uterentur, « mutuato a veri nominis historia lumine » (Pascendi).

e) *Necessitas apologetica*[2]. — Fides catholica nostris diebus quam maxime argumentis historicis impugnatur, præsertim argumentis ex historia dogmatum : unde notitia historiæ dogmatum ad fidem defendendam omnino requiritur. In quo tamen negotio duo distinguenda sunt, sc. primo *facta* historica quæ contra fidei veritatem adducuntur, et secundo *methodus* historica cuius ope facta determinantur et argumenta contra fidem cuduntur[3]. Inde theologiæ catholicæ non sufficit, facta historica vera quocumque modo defendere, sed omnino necesse est, veritatem fidei etiam sub historica ratione et secundum exigentias methodi historicæ defendere : adversarius enim scientificus non aliter quam armis propriis et secundum methodum propriam efficaciter convincitur[4].

1. Exemplum et simul argumentum habes in conspectu historico doctrinæ scholasticæ de evolutione dogmatum, a nobis exarato (supra, a. 4).
2. Cf. quæ iam supra, a. 18, n. 4, quinto, diximus.
3. Cf. Ginoulhiac, *Hist. du dogme cath.*, I², p. xlviii.
4. Cf. E. Dublanchy, *l. c.*, col. 1648, s.

Neque labor pure criticus sive negativus quo sc. errores adversariorum refutantur, mihi sufficere videtur, sed quam maxime expositio positiva et systematica veri progressus dogmatici desideratur. Ita enim optime et efficacissime commenta historica erronea expugnantur. Opponatur denique historiis dogmatum adversariorum variis et inter se discrepantibus historia dogmatum una et vera catholica. Non tantum veritas dogmatica, sed et historica liberabit nos[1] !

f) *Utilitas moralis historiæ dogmatum.* Ut optime Card. Katschthaler notat[1], historia dogmatum ostendit quam debile sit ingenium hominum, quantum damnum superbia inferat, quantum periculum adducat pertinacia in tenenda sententia propria ; ex altera parte historia dogmatum ostendit bonum in profectu cognitionis, impellit ad amorem veritatis, ad dilectionem Ecclesiæ et ad submissionem voluntariam sub magisterio infallibilis Ecclesiæ.

Optime *P. De Grool* momentum historiæ determinare videtur : « Historiam humanam, ait, theologis utilem esse asserimus, quia historia, generatim sumpta, putatur adiumentum esse theologiæ maximum ; non tamen ob infirmitatem aliquam intrinsecam illorum locorum (sc. theologicorum), quos vocamus necessarios et proprios, sed ob infirmitatem humanæ mentis, quam argumenta historiæ auxiliaria facilius ab erroribus avertunt, firmius constituunt in veritate[2]. »

g) *Historia dogmatum est speciale officium theologiæ nostri temporis.* Sicut dona et officia singulorum hominum sunt diversa, ita et singulorum temporum. Ita theologia diversarum periodorum habet diversa officia sicut et diversam gratiam. Dum SS. Patres summam doctrinæ revelatæ determinaverunt et explicaverunt, theologi scholastici eandem doctrinam formulis scientificis expresserunt, in systema scientificum reduxerunt ac multas inde conclusiones theologicas deduxerunt. Huiusmodi opus quoad substantiam completum ac perfectum censendum duco.

1. *L. c.*, p. 515 s.
2. *Summa apologetica de Ecclesia*[3], q. 24, a. 2, p. 878.

Signum habetur quod ultimis duobus sæculis nullus profectus maior theologiæ speculativæ extat : opera recentiora theologiæ scholasticæ communiter doctrinam scholasticorum antecedentium reproducunt, modificationibus minoris momenti additis, id quod iam forma operum indicat, sc. compendiorum. Denique sine periculo iniuriæ vel temeritatis asseri potest, ingenium speculativum nostris diebus languescere. Deest igitur donum speciale et officio satisfit per cognitionem et propositionem aptam doctrinæ iam exaratæ.

E contra tamen fervet nostris diebus « spiritus historicus » et incumbit officium investigationis et perlustrationis historicæ evolutionis doctrinæ christianæ. Unde *donum et officium speciale theologiæ nostri temporis esse videtur, doctrinam christianam modo historico investigare.* Ita denique theologia moderna necessitatibus præsentibus satisfacit atque profectum novum et proprium addet.

IV. **De mutuo auxilio quod historia dogmatum et theologia dogmatica sibi præstant.** — Rationes adductæ necessitatem et utilitatem historiæ dogmatum certe sufficienter ostendunt. Quibus tamen non obstantibus theologia dogmatica, eaque scholastica, primario et maxime necessaria atque utilis censenda est. Principaliter enim oportet scire, *quid* sit credendum, tenendum, agendum : id quod theologia dogmatica nos edocet. Licet nostris temporibus « spiritus historicus » floreat, valet tamen quoque ratio quærens intellectum, cui sola theologia dogmatica eaque scholastica, satisfacit. Neque historia dogmatum vel theologia historica theologiam dogmaticam supplet : in varietate enim explicationum, doctrinarum et conclusionum quam maxime regula certa et prompta opus est ad diiudicandum verum et falsum[1]. Theologia enim dogmatica et historica ad invicem non opponuntur neque se excludunt, sed e contra mutuum sibi auxilium ferunt : theologia historica theologiæ dogmaticæ optimum auxilium et lumen fert, theologia vero dogmatica per suos conceptus,

1. Cf. A. Weiss, *Lebens und Gewissensfragen der Gegenwart*, I, 483 ss.

definitiones et regulas historicum præparat ac dirigit, ut varias explicationes et interpretationes fidei capere et dignoscere valeat. Quot errores ex falsis vel deficientibus conceptibus theologicis in historiam irrepserunt ! Quodsi theologia dogmatica absque scientia historica non erit perfecta, multo magis theologia historica absque scientia dogmatica defectuosa erit.

Denique, uti iam diximus, ipsa historia dogmatum theologiam dogmaticam commendat, ostendendo, quantum profectum qualemque perfectionem doctrinæ theologia scholastica repræsentet. Optime igitur A. *Palmieri* scribit : « Nefas esset, abdicata theologia dogmatica theologicam omnem impendere operam in formulis dogmaticis historice rimandis, præiudicata ductus persuasione fore ut ad hunc modum efficacius nuperi profligentur errores[1]. »

Totum confirmetur et concludatur verbis Pii X quibus decernit : « Addimus.. *eos... Nobis laude dignos videri qui incolumi reverentia erga traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis* (quod non æque omnibus accidit) *theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivæ theologiæ ratio est habenda ; id tamen sic fiat ut nihil scholastica detrimenti capiat iique reprehendantur utpote qui modernistarum rem gerunt, quicunque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur* » (Pascendi).

V. Ultimo *dignitas* historiæ dogmatum elucet. Etenim evolutio dogmatum, ut vidimus, est obiectum difficillimum, opus eximium Spiritus Sancti, Ecclesiæ et ingenii humani. Ita historia dogmatum inter alias disciplinas theologicas certe eminet. De cætero historicus dogmatum doctrinas theologicas temporis præsentis et præteriti quasi ex specula alta inspicit, non adhuc sub specie æternitatis, sed tamen sub lumine duorum quasi millium annorum. Quicumque, necessariis notionibus philosophicis et theologicis rite instructus studio historiæ dogmatum incubuerit, veritatem adagii in se experietur : Historia est magistra vitæ !

1. *Theologia dogm. orthodoxa,* I, p. 118.

CONCLUSIO OPERIS

Operi nostro præposuimus verba Sapientis : « Non solum mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem » (*Eccli.*, 24, 47) : quibus verbis simul fructus progressus dogmatici et intentio operis nostri exprimitur. Certe omnis explicatio revelatorum fit in utilitatem communem atque historia dogmatum huiusmodi fructum omnibus patefacere laborat, ad quem fructum facilius, uberius et securius capiendum introductionem nostram omnibus quærentibus veritatem elaboravimus et proponimus.

Inde in capite *primo notionem* veram *dogmatis* determinavimus, ut haberetur fundamentum solidum ad explicandam naturam progressus et historiæ dogmatum. In cap. *secundo* ipsam evolutionem dogmatum determinandam suscepimus. In cuius capituli sectione prima *conspectum historicum* doctrinæ catholicæ de evolutione dogmatum dedimus (a. 4), exhibentes ita historiam quandam dogmatis de evolutione dogmatum. Ex quo statuimus doctrinam *de essentia* progressus dogmatis : primo quidem *doctrinam catholicam*, quæ evolutionem dogmatum tanquam propositionem et explicationem successivam revelatorum determinat (a. 5), secundo *explicationem theologicam*, determinando sc. distinctionem inter diversimodam revelationem singularum doctrinarum, modum cognitionis nostræ circa diversimode revelata, propositionem definitivam in explicandis revelatis,ac denique progressum a fide implicita ad fidem explicitam (a. 6-10). Deinde ad determinandas *proprietates* progressus dogmatici accessimus, considerando sc. ipsum sub suis diversis respectibus, utpote ad formulas dogmaticas (a. 11), ad traditionem (a. 12), ad S. Scripturam (a. 13), ad suos status diversos (a. 14), ad suas causas et leges (a. 15), adiunctis analogiis ad evolutiones alterius rationis (a. 16). In *tertio* denique capitulo doctrinam statutam ad *historiam dogmatum* applicavimus.

Facile enim inde patet, dogmata vere et proprie esse obiectum *historiæ;* simul inde sequitur, qua ratione dogmata sint obiectum historiæ (a. 17), quænam sit *methodus* historiæ dogmatum (a. 18) et quænam sit eius *utilitas* (a. 19).

Multa quidem adhuc dicenda remanent. Quæ tamen omisimus, partim brevitatis studio omisimus, partim tanquam aliunde sufficienter nota, partim, præsertim applicationes particulares ad facta quædam historica, quia longam expositionem historicam postulant. Necessaria tamen sufficienter exposuisse putamus, ita quidem, ut applicatio ad historiam dogmatum particularem facilis evadat.

Itaque historiam dogmatum studentibus theologiæ et viris theologicis exixe commendamus. Quodsi idea vera explicationis revelatorum prælucescat, studium historiæ dogmatum minime erit periculosum, e contra fidem illuminabit et consolidabit. Maxime specialis providentia Dei in regenda et illuminanda Ecclesia manifesta erit, qua Ecclesia « columna et firmamentum veritatis » constituitur (*I Tim.*, 3, 15), ac augebitur devotio erga S. Sedem Apostolicam, cui Dominus suas oves pascendas tradidit, pascendas utique pabulo veritatis. Denique magnificabitur Deus in operibus suis, qui sc. olim per revelationes diversas, nunc vero et usque in finem mundi per explicationem revelationis, veritatem suam, immo seipsum, manifestat. Etenim « multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis : novissime locutus est nobis in Filio » (*Heb.*, 1, 1. 2); quæ tamen Filius locutus est nobis, ipse in Ecclesia et per Ecclesiam nobis explicat, per promissum sc. Spiritum Sanctum : « Paraclitus autem, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et, suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis « (*Ioh.* 14, 26).

REGI SÆCULORUM IMMORTALI,
INVISIBILI, SOLI DEO HONOR
ET GLORIA IN SÆCULA
SÆCULORUM !

INDEX ALPHABETICUS RERUM ET NOMINUM NOTABILIUM

(*Indicantur paginæ*)

A

Actio, quomodo dogmata in actione fidelium implicite contineantur, 247, 250.
Æquipollentia doctrinæ, 168[1].
Agnosticismus, 32 s.
Albertus M., 66, 71, 73, 76, 141.
Alexander Hal., 65.
Allo B., 291.
Alphonsus, S., 103.
Analogiæ progressus dogmatici, 287-296.
Antoine, 102.
Apologia in hist. dogm., 316, 339.
Apostolorum cognitio, 88-93.
Apostolicum, 15, 24, 60, 71-88.
Arintero P., 251.
Articuli fidei, apud scholasticos saec. XIII : articuli symboli apostolici 71-75, disinctio inter articulos et eorum antecedentia et consequentia 73, quomodo in articulis omnes veritates revelatæ continentur 75 ; de augmento articulorum per novas revelationes 64-71, 79 ; crevit numerus articulorum non quoad substantiam, sed quoad explicationem 64-71, 79, applicatio huius adagii apud theologos posttridentinos, 87-94, 97.
Distinctio inter ea quæ directe ad fidem pertinent (articulos) et quæ indirecte, 135-141.
Athanasius, 52.
Atzberger, 28.
Augustinus, S. 6., 54, 58-60.
Aureolus, 82.

B

Bainvel, 12[3], 293.
Bannez, 88-91, 100, 103, 181.
Bardenhewer, 326[2].
Barnabæ, ep. 5.
Barre, de la, 293.
Basilius S., 180.
Bassoliis, Joh. de, 80[3].
Benedictus XV, 12[3].
Bergson, 33[1].
Bernheim, 298[2], 313, 315[2].
Berti, 125.
Bessmer, 330[1].
Biel G., 79, 80.
Billol, Card., 114, 127, 131, 180, 259, 280[1], 310, 329[1].
Billuart, 110, 113, 123s, 169.
Blondel, 250.
Bonaventura, S., 65, 73, 76, 140.
Bonwetsch, 30, 271.
Brevicoxa, 80, 82.
Busembaum, 103.

C

Caietanus, 87, 106, 116.
Calvinus, 104, 105.
Cano M. 12[3], 16[2], 107 s., 116, 241.
Capreolus, 83, 107.
Cardenas, 103.
Cicero, 5.
Concilia generalia, 16, 17.
Concina, 104.
Conclusiones theologicæ : conclusio quoad se — quoad nos, 194, 207 ; propriæ — impropriæ, 194 ; definibilitas, 115-149 (pars historica), 192-210 (pars thetica).
Contenson, 93, 110.
Criteria theologica in hist. dogm., 310, 313, 318-332.
Cultus in prog. dogm., 282.
Cuniliati, 104.
Cyrillus, Hierosol, 6.

D

Definitio dogmatica — notio 15-21, signa 18 ; motiva 280-286 ; in progressu dogmatico, 188-192 ; definibilitas conclusiouum, 115-149, 192-210.

Denzinger, Bannwarl, 8[1].
Devotio populi ut motivum definitionis, 250.
Dictionnaire apologétique, 5[1], 9[4], 10[5].
Dictionnaire de théologie catholique : vide Dublanchy.
Didache, 5.
Diekamp, 127, 131.
Diognetus, ep. ad., 6[1].
Discursus proprius et improprius, 122, 184.
Doctrina, notio 10, doctrina revelata, doctrina de fide et moribus, doctrina salutis 14 ; doctrina religiosa, 15.
Dogma : a) *vox* dogmatis eiusque usus historicus 5-7 ;
b) *notio* dogmatis, catholica 7-27, 79-85, 129 s., protestantica, 7. 28-32, modernistica 32-39 ; in Ecclesia graeca-schismatica, 42[1] ;
c) *attributa dogmatis :* veritas 7-21 s., ; immutabilitas, 22, 228 ; infallibilitas, 18-21, 190 ; veritas religiosa 15 ; doctrina salutis 14 ; veritas practica, 15 ; fide divina et catholica credenda 22 ; dogma de natura dogmatis, 23-26 ; evolutio conceptus dogmatis, 23-25 ; interpretatio dogmatum, 22[1]. Dogma materiale et formale 23 ; dogma existit in sola Ecclesia catholica, 8 ; doctrina de dogmate est ipsa aliquod dogma, 23 ;
d) *evolutio* dogmatum (progressus dogmaticus) ; vide : evolutio dogmatum (explicatio revelatorum) ;
e) *historia* dogmatum, vide : historia.
Dörholt, 305.
Dorner, 30.
Dublanchy, 5[1], 9[4], 10[5], 249[1], 276, 317, 335 et passim.
Duns Scotus, 66, 84.
Durandus a S. P., 78, 80.

E

Elbel, 101[1], 103.
Ehrhard A. 306, 327[1].
Epiphanius, S. 57.
Evolutio dogmatum (progressus dogmaticus) :
a) *Conspectus historicus doctrinæ :* doctrina S. Scripturæ 47 s ; veteris Ecclesiæ 49 s. ; SS. Patrum, 50-60 ; scholasticorum saec. XIII, 64-78 ; a saec. XIV usque ad Conc. Tridentinum, 76-86, a Conc. Trid. usque ad Vaticanum 86-99 (86-152) ; conceptus protestanticus, 28-32 ; modernisticus, 32-39 ; Guentheri, 40-42 ; Elenchus operum recentiorum de evolutione dogmatum, 149-152.
b) *doctrina catholica :* evolutio dogmatum generaliter — propositio et cognitio successiva revelatorum, 43-45 ; reiicienda est ut haeretica sententia Rationalistarum, Protestantium, Modernistarum et Guentheri, 153-156; progressus dogma-

ticus in successiva propositione et explicatione revelatorum consistit, 156-159 ; optime a scholasticis definitur tamquam explicatio impliciti, i. e. tamquam profectus a propositione revelatorum implicita ad propositionem explicitam vel profectus ad propositionem explicitam revelationis implicitæ vel profectus a fide implicita ad fidem explicitam, 159-170 ; progressus dogmaticus optime a theologia scholastica hac formula exprimitur : quantum ad substantiam articulorum non est factum eorum augmentum, sed quantum ed eorum explicationem, 160-162, terminus theologicus ad progressum dogmaticum determinandum est : explicatio fidei vel revelatorum, 162-164 ; caetera nomina, 295 ;

c) *doctrina theologica* de progressu dogmatico : vide indicem p. VII ;

d) *immutabilitas substantialis* in progressu dogmatico : vide v. fides.

e) doctrina de progressu dogmatico est dogma proprie dictum, consideratio historica et theologica, 1, 2, 26. Iudicium pertinet ad magisterium Ecclesiæ, 23-27.

Explicatio revelatorum : terminus technicus scholasticorum pro progressu dogmatico, 64-71, 76-78, 79, 87-99, 106, 159-164, 179-188, 213-217, 257 s. ; constituit obiectum proprium historiæ, 298-303, et est obiectum formale historiæ dogmatum, 305-307. 338.

Explicite-implicite : prima vice apud Petrum de Corbeil, 63 ; distinctio inter fidem explicitam et implicitam, 64-71, 100-106, 214-216 (vide : fides velata — revelata, 59-71), distinctio inter revelationem explicitam, implicitam et virtualem, 82-106-115 ; 166-179 ; traditio explicita-implicita, 244-250 ; doctrina Ecclesiæ explicita-implicita, 263 s. ; fides implicita in obscuratione traditionis, 267-271. Diversimoda implicatio, 103, 214 s. Vide : fides et revelatio explicita-implicita

Egmericus, Nic., 141[1].

F

Ferraris, L. 98.

Fideismus, 34.

Fides, divina et catholica 22 ; fides ecclesiastica, 130 ; fides acquisita-infusa, 83[4] ; fides velata-revelata (distincta), 59-62 ; fides explicita-implicita, 64-71, 100-106, 214-216 ; fides implicita secundum Protestantes, 23[1], 104.

Res fides, 13-15, res directe et indirecte ad fidem pertinentes, 133-140 ; credibilia per se et in ordine ad alia, 13, 136, 138.

Profectus fidei, 59, 61, 62, 64-71, 79, 88-99, 148, 159-164,

213-217 ; obscuratio fidei, 264-271, immutabilitas substantialis fidei, 58, 59, 61, 64-71, 79, 87-99, 147, 153-155, 160-162, 227-229, 239-241, 262-271.
Fides non obstat considerationi historicæ, 318-332, fides et ratio, 323-325.
Florentinum Conc. 19.
Formulæ dogmaticæ, 219-231.
Franzelin, 127, 269.

G

Gallicani, fides eorum implicita in infallibilitatem Romani Pontificis, 268, 270[1].
Gardeil A., 11[2], 128, 131, 260, 291, 293.
Garrigou-Lagrange, 11[2], 13, 293.
Gazzaniga, 102, 105.
Gennadius, 6.
Ginoulhiac, 302[1].
Glossner, 131.
Gonel, 110.
Gonnalez, 120.
Gotti, 92 s., 102, 104.
Grandmaison, De, 293.
Gregorius Naz., 53 s.
Gregorius Nyss.,6 .
Gregorius de Valentia, 94, 100, 103, 105, 272.
Groot, Vinc. de, 21[2], 114, 127, 340.
Guenther, 40-42, 155, 234-237.

H

Haase F., 30[5], 317.
Habert L, 98.
Haereses ut causa progressus dogmatici, 279.
Harnack A., 8[1], 15, 17[2], 23[1], 25, 29, 104, 225-227, 287[1].
Haunold, 97.
Heinrich, 127.
Hermes, 40[1], 298[1], 326[2].
Historia dogmatum, definitio, 332, obiectum, 297-308 ; officium, 229, 306-308 ; methodus, 309-332 (errores circa methodum, 310-313, 317), distinctio inter methodum dogmaticam et historicam, 313-318, criteria theologica, 310, 313, 318-332, distinctio ab aliis disciplinis theologicis, 333-335 ; disciplina propria, 334 ; utilitas ac necessitas, 335-342 ; dignitas, 342. Tractatus specialis de historia dogmatum, 1, 2, 26.

Conceptus protestanticus, 28-32 ; conceptus modernisticus, 32-39.
Historia dogmatum in sola Ecclesia catholica proprie existit, 305 ; theologi catholici magis apti, 27 ; supponit eruditionem theologicam, 330-332.
Historia Ecclesiæ, 333.
Historia revelationis, 333.
Hoffmann G., 23[1], 105[1].
Homogeneitas (dogmatis et revelationis), 208.
Huarte, 127, 131.
Hugo de S. Victore, 60 s.
Hugon P., 127, 192[2], 331[1].
Hurter, 114, 127.

I-J

James W., 33[1].
Ignatius Antioch., 5. 50.
Immaculata Conceptio B. M. V., quomodo in traditione extat, 246 s.
Immutabilitas dogmatis : vide dogma et fides.
Infallibilitas Ecclesiæ et Romani Pontificis, 18-21, 40, 190, 193, 321.
Insensibiles mutationes, 240.
Innocentius III, 64[1].
Innocentius V (Petrus de Tarantasia), 66, 141, 159.
Ioachim Abbas, 62.
Iohannes a S. Thoma, 91 s., 101 s., 110, 112, 120, 191.
Irenaeus S. 24[1], 51.
Iuramentum contra errores Modernistarum, 32, 148, 321-325.

K

Kaltschthaler Card., 335, 340.
Kilber, 97, 109, 119.
Kleutgen, 232, 249, 280[1], 324[1].
Koch H., 327[1].
Kolde, 30.
Koeniger, 327[5].
Krueger, 29, 304, 326[2].
Kuepper, 41[1].

L

Langton S., 62.
Layman, 102.
Leges progressus dogmatici, 280-282.
Leo M., 271.
Leo XIII, 181, 327.
Lepicier, 307[1], 322[2].
Lerinensis Vinc., 6, 55-57, 288.
Libertas scientifica, 324, 327.
Loci theologici, 331.
Loisy, 32[1], 225.
Loofs, 7, 29.
Lugo, 16[2], 119, 272.
Lychetus, 80[3].

M

Mabillon, 332[1], 336[1].
Magisterium Ecclesiae, 16, ut causa progressus dogmatici, 273-275, 286.
Marin-Sola, P., 128, 131, 170-173, 185, 196, 206.
Marinis, De, 144.
Massilienses, 6.
Mausbach, 163, 330.
Mazzella Card., 114.
Mediate et immediate : vide v. revelatio.
Methodus historiæ dogmatum, 309-332 ; methodus dogmatica et historica, 313-318.
Minges Parth., 114, 127, 128.
Modernistæ : de natura evolutionis et historiæ dogmatum, 32-39, 155, 323 ; de religione, 33 ; de sensu religioso, 34 ; de fide, 34 ; de formulis dogmaticis, 221 ; de traditione, 234 ; eorum methodus in hist. dogmatim, 318-325 ; iuramentum contra errores mod., 148, 318-325.
Moehler, 243.
Molina, 116, 119.
Montaigne, 111, 125.
Mores (res morum), 13-15.
Muller J., 327[1].

N

Navarete, 120.
Newman, 290.
Nominalismus, 80.
Noort, Van, 127, 131, 241.

O

Occam, 81.
Origènes, 6, 51.

P

Palmieri A., 42[1], 127, 342.
Patres Ecclesiæ in progressu dogm., 275-277.
Pegua, 141[1].
Pègues, 10[5].
Pfeilschifter, 333[1].
Pesch Ch., 21[1], 114, 127, 131.
Petavius, doctrina de obscuratione traditionis, 265-272.
Petrus de Corbeil, 63.
Petrus Lombardus, 62-64.
Petrus de Tarantasia, vide : Innocentius V.
Pinard, 5[1], 9[4], 10[5], 15, 26[1], 260 et passim.
Pistorienses, error de obscuratione revelationis, 28[1], 264.
Pius X, 342.
Pontifex Romanus, definitio ex cathedra, 17-18, 188-193, infallibilitas, 18-21, 40, 77, 190. 193, 321, executio potestatis pontificiæ tanquam motivum evolutionis dogmatis de Ecclesia, 283.
Pragmatismus, 33[1].
Praxis Ecclesiæ, quomodo dogmata in illa contineantur, 247-253, ut motivum progressus dogmatici, 282-285.
Progressus dogmaticus, vide : evolutio.
Propositio revelatorum — quid sit, 15-17 ; propositio successiva = evolutio dogmatum, 156-160, 244-247, 267-271 ; obiectum historiæ dogmatum, 297-308.
Protestantes, conceptus de natura dogmatis, evolutionis et historiæ dogmatum, 28-32 ; de formulis dogmaticis, 222 ; de traditione, 234-237, ; de obiecto historiæ dogmatum, 304 ; errores circa methodum historiæ dogmatum, 310 s., minus apti ad historiam dogmatum, 27.
Sententia de « doctrina salutis » 14, 28-32, 154, de fide catholica, 23[1], de fide implicita, 23[1], 104 s.
Polycarpus, 50 s.

R

Rademacher A., 292.
Ratio humana, ut causa progressus dogmatici, 277 s., ratio et fides, 323-325.
Rationalistæ, 153, 234.
Reifenstuel, 102.
Reinhold G., 223.
Religio, apud Modernistas, 33 s., sensus religiosus, 33 ; veritates religiosæ, 15 ; progressus religionis tanquam motivum evolutionis dogmatum, 282-286.
Revelatio, quid sit, 11-13, 166 s. ; distinctio revelationis mediatæ et immediatæ, formalis et virtualis, explicitæ, implicitæ et virtualis, 106-115, 166-188 ; diversimoda cognitio revelatorum, 179-188 ; profectus revelationis, 64-71, 166 s. ; historia revelationis, 333.
Richardus a Mediavilla, 65, 72.
Ritschl, 23[1], 105[1].

S

Sabatier A., 30.
Salmanticenses, 12[3], 110, 112, 122 s., 180.
Sanctitis promovenda ut motivum progressus dogmatici, 284.
Schäzler C., 273, 280, 335.
Scheeben, 16[2], 127, 131, 260, 262, 264, 266.
Scheel, 30.
Schiffini, 131.
Scholastici, exhibent doctrinam completam de evolutione dogmatum, 46 ;
Conspectus historicus doctrinæ, 60-153 ; Hugo de S. Victore, 60 s. ; Magister Sententiarum, 62-64 ; scholastici saec. XIII, 64-78 : *a*) de profectu fidei, 64-71 ; *b*) de symbolis, 71-78 ; scholastici a saec. XIV usque ad conc. Trid., 78-86 ; Conc. Trid., 85 s. ; scholastici a Conc. Trid. usque ad Vatic., 86-153 ; *a*) doctrina de essentia progressus dogmatici, 87-99 ; *b*) distinctio fidei explicitæ et implicitæ, 100-106 ; *c*) distinctio revelationis explicitæ, implicitæ et virtualis, 106-115 ; *d*) definibilitas conclusionum theologicarum, 115-131 (sententia S.Thomæ, 131-146).
Vox dogmatis apud scholasticos, 6.
Scotus, 66, 84.
Scriptura Sacra, quo sensu vocem dogmatis adhibeat, 5, doctrina de progressu dogmatico, 47 s., S. Scriptura ut obiectum evolutionis et historiæ dogmatum, 253-259, S. Scripturæ relatio ad traditionem, 255.

Seeberg R., 23[1], 28 s., 105[1].
Sensus religiosus, 33, 34.
Simar, 131.
Simon P. 33[1].
Soto Dom. 88[1].
Soto Pet., 87, 116.
Spencer H. 33[1].
Spiritus S. ut causa progressus dogmatici, 285. 337.
Stange, 30.
Straub, 21[1], 321[2].
Suarez, 94-97, 100, 101, 103, 108 s, 110, 117, 120.
Substantia fidei non mutata in evolutione dogmatum, 69-71, 87-99, 129, 160-162, 266-272.
Sylvius, 102.
Symbolum, 15, 24, 60, 71-78.
Syncretismus, 227.
Szabó S., 327[1].

T

Tanquerey, 127.
Tertullianus, 24[1].
Theologia, ut causa progressus dogmatici, 275-277, theologorum errores in progressu dogmatico, 265-272.

Theologia dogmatica, obiectum, 209 ; officium, 230 ; mutuum auxilium theologiæ dogmaticæ et historiæ dogmatum, 341 s., 330-332, 27, distinctio methodi dogmaticæ et historicæ, 335-342, ; homogeneitas doctrinæ theologicæ et revelatæ, 208.

Theologia scholastica, 338-342 ; theologia positiva, 334, : theologia historica, 334, 335-342.
Thomas Aquinas, S., eius doctrina ad omnes quaestiones applicatur et citatur.

Specialiter exponitur (67-78) doctrina II, II, q. i, a. 6-10 et de definibilitate conclusionum theologicarum, 131-146.

In II. II q. i a, 7 : « quantum ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum, sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum », S. Thomas directe profectum fidei vel profectum revelationis explicat, 67-70, quæ tamen doctrina a theologis posttridentinis optime ad explicandam evolutionem *dogmatum* applicatur, 87-99.

Doctrina S. Thomæ de evolutione dogmatum proprie continetur in II. II, q. i. a. 8-10, ubi de symbolis agit, 71-78.

In particulari : vox dogmatis apud S. Thomam, 6 ; credibilia per se et per accidens, 13, 136, 138 ; directe et indirecte ad fidem pertinentia, 133-146 ; doctrina de articulis fidei, symboli apostilici (II, II. q. i. a. 6-8), 74 s., 137 s., veritates religiosæ, 15.

Tixeront, 6, 308.
Toletus, 105, 116
Traditio, notio, 231-233 ; errores circa traditionem, 234 ; constitutio traditionis, 235 s. ; transmissio traditionis, 236-239 ; mutatio traditionis, 239 s. ; mutationes insensibiles, 240-242 ; traditio in evolutione dogmatum, 242-253 ; obscuratio traditionis, 262-272.
Transfiguratio, 36.
Tridentinum Conc., 14, 85 s. et passim.
Turrecremata, 82.
Tugaerts, 31[1], 127, 131.
Tyrell, 32[1].

V

Vacant, 169.
Vasquez, 117.
Vaticanum Conc. de notione dogmatis, 8-20 ; de evolutione dogmatum, 147 s, 153, 157. Passim.
Veritas catholica, notio in saec. XIV et XV, 79-85.
Vincentius Lerinensis, 6, 55-57, 288.
Virtualiter (mediate) revelata, 106-115, 166-179 (188), definibilitas, 192-210.
Viva Dom., 103.
Voltaire, 327.

W

Weizsaecker, 25.
Weiss Alb., 341.

Z

Zigliara Card., 179[1], 168.

IMPRIMERIE DE L'EST — BESANÇON.

.233
.3
S13
Introductio in historiam
dogmatum / ~~P. Schultes~~
Reginald M.
DATE

234
.233
.3
S13
337217

Graduate Theological Union
Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO